






THEOLOGIA MORALIS

JUXTA SACRÆ SCRIPTURÆ, CANONUM, ET SS. PATRUM MENTEM,

Juſſu Eminentiſs. ac Reverendiſs. Stephani Cardinalis Le Camus Epiſcopi Gratianopolitani, Gallica lingua, & deinde Latina exarata,

AUCTORE

FRANCISCO GENETTO

Avenionenſi, Epiſcopo Vaſionenſi.

EDITIO NOVISSIMA

A plurimis aliarum mendis diligenter expurgata, & præter varia Conciliorum Provincialium, Synodorumque Italiæ Decreta, omnibus Benedicti XIV. & Clementis XIII. Conſtitutionibus ad rem moralem pertinentibus nunc primum illuſtrata.

TOMUS QUINTUS

Continens Tractatus de Ordine, & de Matrimonio: Inſtructionem ſuper abſolutionibus & diſpenſationibus Sacræ Pœnitentiariæ: Varias Sacrarum Congregationum reſolutiones ſuper Matrimonio: Et aliqua Summorum Pontificum Decreta; præſertim vero tres BENEDICTI XIV. *Conſtitutiones ad Matrimonia pertinentes.*



BASSANI, MDCCLXXV.

SED PROSTANT

VENETIIS APUD REMONDINI.

SUPERIORUM PERMISSU.

INDEX
TRACTATUUM, CAPITUM, & Quæstionum
TOMI QUINTI.

TRACTATUS OCTAVUS.
De Sacramento Ordinis.

CAPUT PRIMUM.
De definitione, & divisione Sacramenti Ordinis.

CAPUT II.
De necessariis dispositionibus ad recipiendos Ordines.

CAPUT III.

De Ministro Sacramenti Ordinis, & quibus temporibus conferri debeat.

CAPUT IV.

De Tonsura & Minoribus Ordinibus.

CAPUT V.

De Ordinibus ſacris.

TRACTATUS NONUS.

De Sacramento Matrimonii.

CAPUT PRIMUM.

De Sponsalibus.

CAPUT II.

De proclamationibus seu denunciationibus Matrimonii.

Q. 9.

CAPUT III.

De nomine & definitione Matrimonii, & motivis, quæ in eo contrahendo habere debent.

CAPUT IV.

De Materia, Forma, & Ministro Sacramenti Matrimonii.

CAPUT V.

De consensu ad Matrimonium necessario.

Q. 5.

CAPUT VI.

De impedimentis Matrimonii.

CAPUT VII.

De Dispensationibus ab impedimentis Matrimonii.

CAPUT VIII.

De Matrimonio filiorum, & de ætate requisita ad contrahendum Matrimonium.

CAPUT IX.

De Divortio.

devitare

uxor

CA-

CAPUT X.

De debito Conjugali.

Inno-



TRA-



TRACTATUS OCTAVUS DE SACRAMENTO ORDINIS.

CAPUT PRIMUM.

De definitione, & divisione Sacramenti Ordinis.

Quæst. I. UID est Sacramentum Ordinis?

Resp. Ordo est signaculum quoddam Ecclesiæ, quo spiritualis potestas traditur Ordinato: ita Magister Sententiarum distinctione vigesima quarta.

Hanc definitionem explicat Divus Thomas, dum ait (*in suppl. q.* 14. *art.* 2. *in corp.*): *Definitio quam Magister ponit de Ordine, convenit Ordini, secundum quod est Ecclesiæ Sacramentum; & ideo duo ponit, scilicet signum exterius, ibi, signaculum quoddam, id est, signum quoddam; & effectum interiorem, ibi, quo spiritualis potestas:* quæ est proprius hujus Sacramenti effectus, per quem distinguitur ab aliis Sacramentis, sicut Ordines distinguuntur inter se per diversas potestates.

Quæst. 2. Ordo est ne verum novæ Legis Sacramentum, a Christo Domino institutum?

Resp. Ordinem esse verum Sacramentum, patet ex Apostolo cum ait (2. *ad Timoth. cap.* 1.): *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Et S. Leo magnus sic de

Ordinatione loquitur (*Ep. 82. ad Dioscorum, c. 1.*) : *Intelligimus, quanta devotione curandum sit, ne tantæ benedictionis Sacramentum negligenter videatur impletum*. Denique Concilium Tridentinum (*Sess. 23. c. 3.*) id definit & probat evidenter his verbis. „ Cum Scripturæ „ testimonio, Apostolica traditione, & Patrum unanimi „ consensu perspicuum sit per Sacram Ordinationem, quæ „ verbis & signis exterioribus perficitur gratiam conferri ; „ dubitare nemo debet, Ordinem esse vere & proprie „ unum ex septem sanctæ Ecclesiæ Sacramentis.

Quæst. 3. Quomodo dividitur Sacramentum Ordinis ?

Resp. Septem Ordines a Theologis recensentur, post Concilium Carthaginense quartum, & Concilium Tridentinum sessione vigesimatertia, capite secundo; iique sunt Ostiarii, Lectoris, Exorcistæ, Acolythi, Subdiaconi, Diaconi, & Sacerdotis. Ratio hujus divisionis traditur a sancto Thoma, dum ait (*In suppl. q. 73. art. 2. in corp.*) : *Distinctio Ordinum est accipienda* secundum relationem ad Eucharistiam, quia potestas Ordinis aut est ad consecrationem ipsius Eucharistiæ, aut aliquod ministerium ordinatum ad hoc Sacramentum Eucharistiæ. Si primo modo, sic est Ordo Sacerdotium ; ideo cum ordinantur, accipiunt potestatem conficiendi Corpus & Sanguinem Christi. Cooperatio autem Ministrorum est vel in ordine ad ipsius Sacramentum, vel in ordine ad suscipientes. Primo est Ministerium, quo Minister cooperatur Sacerdoti in ipso Sacramento quantum ad dispensationem : & hoc pertinet ad Diaconum. Secundo est Ministerium ordinatum ad materiam Sacramenti ordinandam in sacris Vasis : & hoc pertinet ad Subdiaconum. Tertio est Ministerium ordinatum ad præsentandam materiam Sacramenti : & hoc competit Acolytho. Sed Ministerium ad præparationem recipientium ordinatum, non potest esse, nisi super immundos, quia qui mundi sunt, jam sunt ad Sacramenta percipienda idonei. Triplex aut est genus immundorum, secundum Dionysium, libro de Cælesti Hierarchia, capite tertio. Quidam enim sunt omnino infideles credere nolentes, & hi totaliter etiam a visione divinorum, & a cœtu fidelium arcendi sunt, & hoc pertinet ad Ostiarios. Quidam autem sunt volentes credere, sed nondum instructi, scilicet Catechumeni : & ad horum instructionem ordinatur Ordo Lectorum. Quidam vero sunt impedimentum habentes ex dæmonis potestate, scilicet Energumeni ; & ad hoc habet ministerium Ordo Exorcistarum.

Quæst. 4. Episcopatus est-ne Ordo ?

Resp. Episcopatus est verus Ordo & Sacramentum, quia Episcopi in sua consecratione recipiunt gratiam & characterem in quo consistit omnis Sacramenti Ordinis effectus. Et quidem, quod ad gratiam pertinet, patet ex Concilio Tridentino (*Sess. 23. de Ordine. Can. 4.*), dum ait : *Si quis dixerit, per Sacram Ordinationem non*

dari Spiritum sanctum, ac proinde frustra Episcopum dicere, Accipe Spiritum sanctum: *Anathema sit*. Cum igitur eædem voces proferantur tam in Episcoporum quam Presbyterorum Ordinatione, asserere debemus, in utroque gratiam conferri, ne dicere cogamur, frustra & inaniter hæc verba: *Accipe Spiritum-sanctum*, ab Episcopo proferri, quod affirmant ii, quos Ecclesia anathemate percutit. Quod probatur etiam auctoritate sancti Leonis magni, qui Ordinationem suam in summum Pontificem, Sacramentum vocat, in quo gratia collata est (*Ser. 2. in die Anniverſ. assumpt. ejus ad Pontific.*): „ Denique, *inquit*, cum hujus divini Sacerdotii Sacramentum etiam ad humanas pervenit functiones, non per generationum tramitem currit, nec quod caro & sanguis creavit, eligitur: sed cessante privilegio Patrum, & familiarum ordine prætermisso, eos Rectores Ecclesia accipit, quos Spiritus-sanctus præparavit, ut in populo adoptionis Dei, cujus universitas Sacerdotalis atque regalis est, non prærogativa terrenæ originis obtineat functionem, sed dignatio cælestis gratiæ gignat Antistitem ".

Constat etiam, Episcopos in sua Ordinatione recipere characterem, quoniam, ut diximus capite septimo de Sacramentis in genere, character est signum spirituale indelebiliter impressum in anima, quo distinguuntur ii qui illud receperunt, ab iis qui non susceperunt. Cum igitur Episcopi recipiant spiritualem potestatem ad conferendum Sacramentum Ordinis, & Confirmationis, qua potestate carent Presbyteri, & hæc potestas sit indelebilis, asserendum est, Episcopos recipere in eorum Ordinatione characterem, eos a Presbyteris distinguentem, quibus eadem non est concessa potestas.

Nec ideo tamen plura sunt, quam septem Ordinis Sacramenta; quia, ut ait sanctus Ambrosius (*in Epist. ad Ephes. c. 4.*): *In Episcopo omnes Ordines sunt, quia primus Sacerdos est*: Quare Sacerdotium proprie est unus Ordo, qui dividitur in Episcopatum, & Presbyteratum, non tamquam in duo membra totaliter distincta, sed tantum in duos Ordines, quorum perfectior continet minus perfectum.

Et probatur ex Anacleto Papa, in Epistola tertia in principio, ubi Episcopatus & Presbyteratus distinctionem tradit: „ Sacerdotum Ordo, *inquit*, bipartitus est. Scitis autem, a Domino Apostolos esse electos; cum vero messis cœpisset crescere, operarios ad eorum adjumentum septuaginta eligi præcepit discipulos. Episcopi vero Domini Apostolorum, Presbyteri septuaginta Discipulorum locum tenent ". Idem definivit Concilium Tridentinum (*seſſ. 23. c. 4. de Sacr. Ord.*) his verbis: „ Sacrosancta Synodus declarat, præter cæteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc Hierarchicum Ordinem præcipue

„ per-

„ pertinere, & positos, sicut idem Apostolus ait, a Spi-„ ritusancto regere Ecclesiam Dei; eosque Presbyteris su-„ periores esse". Quamobrem licet, ut habetur in Canone *Solicitudo*, distinctione 52. licet qui reciperet, v. gr. Diaconatum, non prius percepto Subdiaconatu, valide ordinatus fuisset, quamvis suspensus esset ab exercitio sui Ordinis, eo quod ita promotus esset contra Ecclesiæ prohibitionem; attamen qui ordinatus fuisset Episcopus, priusquam Sacerdos, non esset valide ordinatus, quia Episcopatus non solum eminenter, sicut Sacerdotium continet inferiores Ordines, sed etiam formaliter & essentialiter in se continet Ordinem Sacerdotii.

Quid est Episcopus, inquit Divus Augustinus (*veteris & novi Testam. q.* 101. *Tert. lib. de Bapt. c.* 174.), *nisi primus Presbyter, hoc est, summus Sacerdos?*

Et Tertullianus explicans subordinationem, quæ est inter Episcopum, Presbyterum, & Diaconum, non alio Episcopum nomine appellat, quam summi Sacerdotis: *Summus Sacerdos*, inquit, *qui est Episcopus, dehinc presbyteri & Diaconi*. Ex quo patet, Presbyteros esse Episcopis inferiores de jure Divino, cum id primis Ecclesiæ sæculis traditum innotuerit; ac proinde eum qui consecratus fuisset Episcopus ante Presbyteratum, valide ordinatum non fore; quia potestas quam Episcopi habent in mysticum Christi Corpus, nempe Fideles, supponit potestatem in Corpus naturale ejusdem Christi, per potestatem illud consecrandi, quam recipiunt Presbyteri in Presbyteratus Ordine. Unde ut diximus cum sancto Thoma, Ordinum distinctio accipienda est ex habitudine quam dicunt ad Eucharistiam, quia potestas Ordinis tribuitur aut ad consecrationem Corporis & Sanguinis Christi, aut ad aliquod ministerium respiciens ad hanc consecrationem; & sic Episcopatus, consideratus etiam prout distinguitur a Presbyteratu, refertur ad Eucharistiam, quatenus confert Ordinem, qui præbet potestatem Presbyteris consecrandi Corpus & Sanguinem Christi.

Hinc sanctus Epiphanius libro, quem de hæresibus scripsit, hæresi septuagesima quinta, de illa Aetii loquens, ait: „ Est autem illius dogma supra hominis captum fu-„ riosum & immane. In primis enim: Quanam, inquit, „ in re Presbytero Episcopus antecellit? nullum inter „ utrumque discrimen est. Est enim amborum unus Or-„ do, par & idem honor & dignitas. Manus imponit E-„ piscopus, imponit & Presbyter. Baptizat Episcopus, „ idem facit & Presbyter. Divinum omnem cultum ad-„ ministrat Episcopus, non minus id facit & Presbyter".

S. Epiphanius non aliis utitur rationibus, ut hanc hæresim oppugnet, nisi dicendo: „ Episcoporum Ordo ad gi-„ gnendos Patres præcipue pertinet, hujus enim est Pa-„ trum in Ecclesia propagatio: alter cum Patres non pos-„ sit, Filios Ecclesiæ regenerationis lotione producit, non „ tamen Patres, aut Magistros. Quinam vero fieri potest,

„ ut

„ ut is Presbyterum constituat, ad quem creandum manuum imponendarum jus nullum habeat, aut quomodo „ Presbyter Episcopo dici potest æqualis? Iis sancti Epiphanii verbis satis declarari videmus, subordinationem Presbyterorum ad Episcopos ideo pertinere, quia jus habent consecrandi Presbyteros, qui potestatem habeant consecrandi Corpus & Sanguinem Christi Domini.

Quæst. 5. Quomodo intelligi debent verba sancti Hieronymi, quibus in aliquibus suis operibus innuere videtur, Episcopos jure divino non esse Presbyteris superiores?

Resp. Ut Divi Hieronymi mentem intelligamus, scire juvat in primis, eum intendisse Diaconorum Romanorum superbiam reprimere, qui non solum se Presbyteris æquales esse asserebant, verum etiam se iis præferre audebant. Sanctus Hieronymus, ut ostenderet, Diaconos injuste voluisse se Presbyteris præferre, probat quantum potest, Presbyteros esse æquales Episcopis, quibus se subjectos esse fatebantur sine controversia Diaconi.

Hoc supposito, respondeo cum sancto Thoma (2. 2. q. 184. *ar.* 6. *ad* 1.), *dicendum, quod de Presbytero, & de Episcopo dupliciter loqui possumus vario modo, quantum ad nomen; & sic olim non distinguebantur Episcopi & presbyteri ... sed secundum rem semper inter eos fuit distinctio, etiam tempore Apostolorum, ut patet per Dionysium*, cap. septimo Eccles. Hierarch. Et Luc. 10. super illud: *Post hoc autem designavit Dominus, &c.* dicit Glossa: *Sicut in Apostolis forma est Episcoporum, sic in septuaginta duobus discipulis norma est Presbyterorum secundi Ordinis. Postmodum tamen ad schisma vitandum, necessarium fuit ut etiam nomine distinguerentur; ut scilicet majores dicerentur Episcopi, minores autem Presbyteri. Dicere autem Presbyteros non differre ab Episcopis, inter dogmata hæretica numerat* Aug. in lib. de Hæresibus hæresi 53. ubi dicit: *Quod Ariani dicebant, Presbyterum ab Episcopo nulla differentia discerni*. Ita Sanctum Hieronymum explicat D. Thomas. Enim vero hæc verba hujus sancti Doctoris: *Sed quia eosdem Episcopos illo tempore, quos & Presbyteros appellabat: propterea indifferenter de Episcopis, quasi de Presbyteris, est locutus*; satis ostendunt, eum locutum esse de nomine, quod est Episcopis, & Presbyteris commune.

Idem autem S. Hieronymus alio loco fatetur: Episcopos habere potestatem conferendi Ordines, quam non habent presbyteri (*in Epist.* 11. *ad Evagrium.*): *Quid enim*, inquit, *facit, excepta Ordinatione, Episcopus, quod Presbyter non faciat?* Idem etiam sanctus Doctor asserit, Episcopos stabilire posse Presbyteros in omnibus suæ Diœceseos locis.

Audiant Episcopi, inquit (*c.* 1. *Epist. ad Titum.*), *qui habent constituendi Presbyteros per urbes singulas*

pote-

potestatem. Sed clarius de potestate & Episcoporum jurisdictione, quia jure divino superiores sunt Presbyteris, loqui videtur, cum hortatur eos his verbis (*c. 3. Epist. ad Titum.*) : *Imitantes Moysem, qui cum haberet in potestate solus præesse populo Israel, septuaginta elegit: cum quibus populum judicare*. Qui plura de hac quæstione scire volunt, consulant Patrem Petavium, libro 2. De Cælest. Hierarch. c. 5.

Quæst. 6. Tonsura est ne Ordo?

Resp. Divus Thomas, & sanctus Bonaventura, Magistrum sententiarum secuti asserunt, eam non esse Ordinem, sed solum sanctam cæremoniam in Ecclesia Apostolica traditione stabilitam, qua, qui eam recipit, a sæculo separatur, Deum in hæreditatis partem suscipit, & ita se disponit ad recipiendos Ordines.

Cum, inquit D. Thomas (*in suppl. q. 42. art. 2. in corp.*), *per coronam nulla potestas peculiaris tradatur, sed ad communia quædam Ecclesiæ Ministeria deputatio tantum fiat, non Ordo est, sed ad ipsum potius est præambulum*.

Quæst. 7. Cum sint plures Ordines, quare non erunt plura Ordinis Sacramenta?

Resp. Quamquam secundum sanctum Thomam & sanctum Bonaventuram, aliosque Theologos, unusquisque Ordo separatim sumptus Sacramentum sit, non ideo tamen plura sunt Ordinis Sacramenta; quia, ut ait sanctus Thomas (*in 4. sent. dist. 24. q. 2. art. 1. q. 1. ad 1.*) : „ Tota plenitudo hujus Sacramenti est in uno Ordine, scilicet Sacerdotio; sed in aliis est quædam participatio Ordinis: & hoc significatum est in hoc quod Dominus dicit, Numeri undecimo, Moysi: Auferam de spiritu tuo, & tradam eis, ut sustentent tecum onus populi: & ideo omnes Ordines sunt unum sacramentum.

Quæst. 8. Quare Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus dicuntur Ordines Sacri, & cæteri non Sacri?

Resp. Ex Divo Thoma ibidem quæstiuncula tertia: „ Ordo dicitur Sacer dupliciter, uno modo secundum se, & sic quilibet Ordo est Sacer, cum sit Sacramentum quoddam, alio modo ratione materiæ, circa quam habet aliquem actum, & sic Ordo Sacer dicitur, quia habet aliquem actum circa rem aliquam consecratam; & sic sunt tantum tres Ordines Sacri, scilicet Sacerdos, & Diaconus, qui habent actum circa Corpus Christi & Sanguinem consecratum, & Subdiaconus, qui habet actum circa vasa consecrata; & ideo etiam eis continentia indicitur, ut sancti & mundi sint qui Sancta tractant ".

CAPUT II.

De necessariis dispositionibus ad recipiendos Ordines.

Quæst. I. QUænam sunt dispositiones necessariæ ad suscipiendos Ordines?

Resp. Duplicis sunt generis; quædam sunt externæ, cæteræ vero internæ.

Quæst. 2. Quænam sunt dispositiones externæ?

Resp. Requiritur primo, ut ad Ordines promovendi, nulla sint irregularitate implicati: est autem irregularitas, inhabilitas jure divino, vel Ecclesiastico introducta, qua directe impeditur susceptio Tonsuræ, & Ordinum, & indirecte eorumdem Ordinum jam susceptorum usus interdicitur. Irregulares autem esse possunt aliqui aut per defectum, aut per crimen. Irregulares per defectum sunt ii, qui non sunt nati ex legitimo thoro; aut insigni quodam defectu corporis laborant, qui reddit eos incapaces ad rite obeunda Ordinum munia, aut insignem efficit deformitatem, seu scandalum causare potest. Propter animæ vero defectus irregulares sunt stulti, dæmoniaci, lunatici, seu qui morbo caduco laborant; infames, bigami, sive qui duas duxerint uxores, sive viduam duxerint, aut alio quovis modo; neophyti, qui noviter ad fidem sunt conversi: illi etiam qui tutelam aut officium aliquod publicum administrarunt, & rationem receptorum reddere tenentur: qui mortis aut mutilationis alicujus causa fuerunt, aut ei contribuerunt, juste licet & licite, ut in bello aut in judicio; grassarii quoque, testes, accusatores, ipsique judices sunt irregulares.

Irregularitas quoque contrahitur variis diversisque criminibus, ut hæresi; quin etiam filii hæreticorum censentur irregulares, si Patres eorum hæresi ante mortem suam non renunciaverint. Qui bis baptizati sunt, & ii qui bis eos baptizarunt, irregulares sunt. Qui aliquem Ordinem susceperunt, aut eum exercuerunt, cum censuræ alicui Ecclesiasticæ subessent, aut Ordinem ipsum valide non receperunt. Denique qui occiderunt aliquem, aut injuste mutilaverunt, delicti seu criminis irregularitatem incurrunt. Quæ omnia præscribuntur in variis Canonibus (*Cap. de Filiis Presbyter.*)

Ut Filii Presbyterorum & cæteri ex fornicatione nati, ad sacros Ordines non promoveantur.

Infames esse eas personas dicimus (*Can. Infames*, 174. *q.* I.), quæ pro aliqua culpa notantur infamia, id est, omnes qui Christianæ Legis normam abjiciunt, & statuta Ecclesiastica contemnunt, similiter fures, sacrilegos, & omnes capitalibus criminibus irretitos, sepulcrorum quoque violatores, & Apostolorum atque successorum eorum, reliquorumque Patrum statuta licenter vio-

violantes, & omnes qui adversus Patres armantur, qui in omni mundo infamia notantur: similiter & incestuosos, & homicidas, perjuros, raptores, maleficos, veneficos, adulteros, de bellis publicis fugientes, & qui indigna sibi petunt loca temere, aut facultates Ecclesiæ abstrahunt injuste, & qui fratres calumniantur, aut accusant, & non probant, vel qui contra innocentes Principum animos ad iracundiam provocant, & omnes anathematizatos, vel pro suis sceleribus ab Ecclesia pulsos, & omnes quos Ecclesiasticæ vel sæculi leges infames pronunciant. Hi nimirum omnes, nec servi ante legitimam libertatem, nec pœnitentes, nec bigami, nec illi qui Curiæ deserviunt, vel non sunt integri corpore, aut sanam non habent mentem vel intellectum, aut inobedientes sanctorum Decretis existunt aut furiosi manifestantur: hi omnes, inquam, nec ad sacros gradus debent provehi.

Si quis viduam aut ab alio dimissam duxerit, non admittatur ad Clericatum: quod si irrepserit, dejiciatur. Similiter si homicidii, aut facto, aut præcepto, aut consilio, aut defensione, post Baptismum conscius fuerit, & per aliquam subreptionem ad Clericatum venerit, dejiciatur (*Can. Si quis*, 8. *dist.* 50.)

Canone *Priscis*, dist. 55. Can. *Communiter*, & seq. dist. 35. c. 1. & seq. de Bigamis. Can. *Quoniam*, dist. 48. Can. *Legem*, dist. 51. c. *Magnus*, de Obligat. ad ratioc. Can. *Qui in aliquo*, dist. 51. c. *Quicumque* parag. *Hæretici*. De Hæret. in 6. c. *Statutum felicis*, ib. Can. *Qui hi*. De Consec. dist. 4. Can. *Confirmandum*, dist. 50. c. *Cum illorum*. De sent. excommunic. tot tit. *De eo qui furtive Ordines suscepit*, tot tit. *De Clerico excommun.* & c. *Ministrantes*, cap. *Si quis*, De Cler. non ord. ministr. cap. *De cætero*. De Homicid.

Necessarium etiam est, ut aliquis dispositus sit ad recipiendos Ordines, ut nulla sit censura Ecclesiastica innodatus; debet esse baptizatus, confirmatus; ut Tonsuram susceperit, ut ætatem habeat convenientem, & interstitia servet ab Ecclesia statuta.

Quæst. 3. Si quis ante Baptismum ordinatus fuisset, esset-ne valide ordinatus?

Resp. Cum Baptismus sit Sacramentorum janua, sequitur, eum, qui fuisset ordinatus ante Baptismum, non fore valide ordinatum; ut dicitur in Canone (*Can. si quis*, *De Presbyt. non baptizato*). *Si quis Presbyter ordinatus, deprehenderit se non esse baptizatum, baptizetur, & iterum ordinetur.*

Quæst. 4 Confirmatio est-ne necessaria ad suscipiendos Ordines?

Resp. Ecclesia sanctissime statuit in Concilio Tridentino (*sess.* 23. *de refor. c.* 4.), ne Tonsura & Ordines conferantur non confirmatis; *Prima Tonsura*, inquit, *non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susce-*

pe-

perint. Et ratio est, quia per Confirmationem perfecti fimus Christiani, ut habetur in Can. I. De Consecr. dist. 5. *Ut pleni Christiani inveniantur*. Et juxta Sanctum Dionysium (*Ecclesiast. Hierarch. c. 2.*), *Perficiens Unctio sacri divini ortus perfectio est*. Quæ perfectio necessaria est iis, qui ad Ordines & statum Ecclesiasticum promoveri debent, nihilominus tamen qui sacros Ordines ante Confirmationem suscepisset, valide foret ordinatus. Verum si id ex negligentia, aut culpabili ignorantia fecisset, graviter peccasset.

Quæst. 5. Si quis reciperet Ordines nondum Tonsura initiatus, esset-ne valide ordinatus?

Resp. Valide foret ordinatus, sicut etiam qui susciperet Ordinem superiorem, nondum suscepto inferiori, quod Canones vocant promoveri per saltum: sed præter peccatum quod committeret, suspensus esset ab executione Ordinis suscepti sine Tonsura. Cum promotis tamen per saltum, si non ministraverint, Episcopus ex legitima causa potest dispensare, & illis conferre Tonsuram, aut Ordinem non susceptum, ut dicitur in Concilio Tridentino (*sess. 23. de refor. c.* 14.): *Cum promotis per saltum, si non ministrarint, Episcopus ex legitima causa possit dispensare*. Idem habet Innocentius Papa III. relatus in Canone *Tuæ*; *De Clerico per saltum promoto*. Et Alexander II. in Canone *Solicitudo*, dist. 52. his verbis: „ Solicitudo dilectionis tuæ statuit consulere utrum portator istarum litterarum, Diaconatus & Presbyteratus officium idoneus sit peragere, nec ne, cum ad id præpostero cursu, Subdiaconatus Ordine postposito, negligentia potius quam superbia cognoscatur ascendisse. Unde nos mandamus, ut ab officio Sacerdotali eum prohibeas, donec Subdiaconatus ministerium tibi rite imponat, & sic deinceps ad majora Officia eum redire concedat “.

Quæst. 6. Quænam interstitia servare debent in Ordinum susceptione?

Resp. Interstitia ab Ecclesia constituta diversa sunt, pro diversa Ordinum dignitate. Ea quidem prioribus sæculis Ecclesiæ accuratius servabantur, singulique Ordines Minores diuturno tempore exercebantur, priusquam superiores Ordines concederentur; id a pluribus Canonibus facile demonstrari posset: Ecclesiastici quidem viri per plures annos in diversis interstitiis stabant. Sufficiat hic Constitutionem Zozimo Papæ attributam in Canone referre, in qua sic habetur (*Ep. ad Hesyc. c. 3. rel. in Canon. in Singulis dist.* 77): *Sive inter Lectores, sive inter Exorcistas quinquennio teneatur; exinde Acolythus vel Subdiaconus quatuor annis: & sic ad benedictionem Diaconatus, si mereatur, accedat; in quo Ordine quinque annis, si inculpate se gesserit, hærere debebit.*

Concilium Tridentinum diversa hæc intervalla moderari, & stabilire voluit, ut Ordinandi tempus modum-

que haberent quo plenius instrui, & exerceri in Ordinis uniuscujusque functionibus possint, ut eas secundum Ecclesiæ constitutiones administrent, & ut Ecclesiastici viri ita gradatim ascendentes, possint majorem scientiam, majusque meritum cum ætatis profectu comparare: & ut ait Joannes Papa VIII. Epist. 199. „ Qui in minori„ bus officiis sic diu perdurent, & vota eorum pariter, „ & obsequium comprobentur, ut per tempora a majo„ ribus instituta comprobatis prius moribus, & bonæ vi„ tæ meritis fulgentibus, ad summum Sacerdotium post„ modum veniant ".

Quæst. 7. Quænam interstitia servari debent in minoribus Ordinibus?

Resp. Quamvis Concilium Tridentinum positive non statuerit, seu præscripserit interstitia servanda in Minoribus Ordinibus; liquet tamen ex his quæ decrevit, optare, ut serventur quatuor temporum interstitia, ita ut unus tantum ex Minoribus Ordinibus quatuor temporibus recipiatur, omnesque ita unius anni spatio suscipiantur. Sic enim legitur: *Minores Ordines iis qui saltem latinam linguam intelligant, per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videretur, conferantur.* Enimvero interstitia ideo sunt introducta, ut assiduitas, industria, pietasque Ecclesiasticorum in Ecclesiæ servitio comprobentur. Et ut ait idem Concilium Trid. (*sess.* 23. *de refor. c.* 11.) ibidem: *Ut in eis cum ætate, vitæ meritum, & doctrina major accrescat: Quod & bonorum morum exemplum, & assiduum in Ecclesia Ministerium, atque major erga Presbyteros & superiores Ordines reverentia, & crebrior, quam antea, Corporis Christi Communio maxime comprobabunt.*

Ex his Concilii verbis satis constat, necesse esse tres saltem menses ad uniuscujusque Ordinis exercitium servari, ut quis comprobari possit; & hanc esse veram Concilii intentionem, cum ait, Minores Ordines servatis temporum interstitiis conferri debere. Reliquit quidem Concilium liberam Episcopis potestatem hanc regulam non observandi, ubi id magis expediens judicaverint, id est, ubi ratio aliqua ex Ecclesiæ bono & utilitate profecta, dispensationem a legitimis illis intervallis postulat.

Quæst. 8. Quænam observari debent interstitia in sacris Ordinibus?

Resp. Cum Ordines Sacri majoris sint ponderis & momenti, eorumque functiones in Religione magis considerandæ; ita quoque Ecclesia noluit, ut ii tam facile & prompte conferantur; atque adeo in eodem Concilio Tridentino (*sess.* 13. *de refor. c.* 1.) statuit, ut *Non nisi post annum a susceptione postremi gradus Minorum Ordinum ad sacros Ordines promoveantur, nisi necessitas aut Ecclesiæ utilitas, judicio Episcopi, aliud exposcat;* ideoque ad minus anni interstitium inter Subdiaconatum & Diaconatum, eumdemque Diaconatum & Presbyteratum,

tum, esse servandum, ut videre est in eodem Concilio, eadem sessione, cap. 14. *Qui ad Presbyteratus Ordinem assumuntur, hi sunt qui in Diaconatu ad minus annum integrum, nisi ob Ecclesiæ utilitatem, ac necessitatem aliud Episcopo videretur, ministraverint.*

Quamobrem Sanctus Carolus in Concilio Mediolanensi (4. *tit. Quæ pertinent ad Sacr. Ord.*) ait, „Statuta illa temporum intervalla Ordinibus tum Minoribus, tum Majoribus suscipiendis, Concilii Tridentini Decreto præscripta, ne facile ac passim sine ullo delectu prætermittantur, omittanturve: quod si de iis aliquid ab Episcopo remitti dispensarive contigerit, id in litteris dimissoriis testimonialibusve Ordinum, adscripta etiam dispensationis causa testatum plane fiat". Qui sacros Ordines tanta cum præcipitatione suscipere volunt, coram Deo considerare debent ea, quæ dicit Sanctus Gregorius (*epist.* 122. *vel* 110. *ad Siagr. lib.* 7.): *Ordinate ad Ordines ascendendum est: nam casum appetit, qui ad summa loci fastigia, propositis gradibus per abrupta quærit ascensum.* Sanctus Yvo Carnotensis Episcopus ad Canonicos Senonenses illud ex Proverbiis petitum applicat (*ep.* 8. *ad Canon. Senon.*): *Hæreditas, ad quam festinatur in principio, in novissimo benedictione carebit.* Quæ tamen benedictio viris Ecclesiasticis est plane necessaria, ut rite sanctorum & simul tremendorum Ordinum munia possint obire.

Quæst. 9. Quænam sunt dispositiones internæ, quæ ad suscipiendos Ordines exiguntur?

Resp. Plures assignari possunt, quæ tamen ad duas revocari licet, nempe ad vocationem Dei, & ad vitæ sanctitatem.

Quæst. 10. Vocatio Dei est ne necessaria ad rite Ordines suscipiendos?

Resp. Vocationis divinæ necessitas in Scriptura sanctisque Patribus evidenter patet, ut quis digne, & cum utilitate Ecclesiasticum statum amplectatur, sanctosque Ordines suscipiat; atque ut prætermittamus id, quod in lege naturæ fiebat, in qua Sacerdotium primogenito tribuebat Deus, ita ut cum in hominum potestate non esset, ut primi nascerentur, ita nec ad hunc statum pervenire per seipsos poterant; sed eadem providentia, qua primogeniti nascebantur, eos ad Sacerdotium destinabat, gratiasque præparabat ad illud suscipiendum: neve de lege scripta loquamur, in qua Deus Tribum Levi sibi delegerat, ut ex illa sola Tribu essent Ministri Altaris, ut ipse ait (*Num. c.* 3.): *Ego tuli Levitas a Filiis Israel, eruntque Levitæ mei*: Deus etiam voluit, ut sola Aaronis familia Sacerdotium exerceret (*Exod. c.*28.); *Applica quoque ad te Aaron Fratrem tuum cum Filiis suis de medio filiorum Israel, ut Sacerdotio fungantur mihi.* Potiori igitur jure opus est eadem voca-

tione Dei in Lege nova, cujus Ministerium & sanctius, & sublimius est. Unde Christus Dominus cum suam fundaret Ecclesiam, ejus quoque Ministros elegit, ut expresse habetur Marci capite tertio: *Et vocavit ad se quot voluit ipse, & venerunt ad eum*. Quin etiam Joannis decimo quinto ait, *Non vos me elegistis, sed Ego elegi vos, & posui vos, ut eatis & fructum afferatis*; & Joannis capite 6. *Nonne ego vos duodecim elegi?* Voluit etiam indicare Deus, electionem Ministrorum a sola voluntate Jesu Christi pendere. S. Paulus clarissimis verbis ait (*Ad Hebr. c.* 5.): *Nec quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron*; & ibidem ait loquens de Christo Domino; *Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fuerit; sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu*. Unde etiam Apostoli cum substituere vellent alium in Collegio Apostolico loco Judæ prævaricatoris, Deum humiliter precantur his verbis (*Actor. c.* 1.): *Tu, Domine, ostende quem elegeris*. *Per eum nempe si quis introierit*, ait D. Bernardus (*de vit. & morib. Cler. c.* 42.), *salvabitur, & inveniet pascua. Si vero ascenderit aliunde plane fur est & latro*. Et ibidem cap. 5. ait: *Videte vocationem vestram, ait vocatus Apostolus. Consideremus & nos, an vocati venerimus, & vocati a Deo, cujus nimirum hæc vocatio est: nec communem modo vocationem dixerim, quæ sane juxta eumdem Apostolum quos prædestinavit, hos & vocavit: sed qua vocaverit in honorem Cleri*.

Quæst. 11. Quænam sunt divinæ Vocationis signa, seu indicia?

Resp. Ad duo reduci possunt, nempe ad spiritum Ecclesiasticum, & ad rectam intentionem. Constat, neminem vocari ad statum Ecclesiasticum, si ejus spiritu careat; Deus enim neminem ad aliquem statum vocat, quem ejusdem status spiritu statim non repleat, ut patet ex Scriptura sacra; videmus enim in lege antiqua ita vocatum fuisse Bezeleel ad Tabernaculum fabricandum (*Exod.* 31.): *Ecce vocavi eum nomine Bezeleel, & implevi eum Spiritu Dei, sapientia & intelligentia, & scientia in omni opere, ut facias cuncta quæ præcepi tibi, Tabernaculum fœderis, & Arcam Testimonii, & Propitiatorium, quod super eam est, & cuncta vasa Tabernaculi*. Ita Dominus præcipiens Moysi, ut eligeret septuaginta ex prudentioribus Israelitis, qui cum eo populum judicarent, ait (*Num.* 11. *c.* 11.): *Auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi*. Ideoque hanc necessitatem intuens Ecclesia, hunc Spiritum postulat a Deo in prima pro Tonsura donandis, oratione, *Ut donet illi Spiritum Sanctum*. Propterea Pater æternus hunc dedit Spiritum Filio suo ad indicandum, quod ipsum elegerat, & vocaverat ad Sacerdotium. Ait enim per Prophetam suum (*Is. c.* 41.): *Electus meus, complacuit sibi in illo anima mea: Dedi Spiritum*

tum

tum meum super eum. Et in Evangelio Matthæi sic habetur (*c.* 12.): *Ecce puer meus quem elegi, dilectus meus, in quo bene complacuit animæ meæ, ponam Spiritum meum super eum.*

Quæst. 12. Quid est Spiritus Ecclesiasticus, & quænam sunt ejus signa?

Resp. Spiritus Ecclesiasticus nihil aliud est, quam plenitudo gratiæ, seu Spiritus sancti sese uberius & liberalius in Ecclesiasticorum, juxta eorum gradus, & officia, animos, quam in aliorum Fidelium corda effundentis, ut prompte, facile, & debite Ecclesiastica munia peragere possint.

Hujus spiritus indicia sunt: Primum, summo in pretio habere, & maximi facere Ecclesiasticum Statum, etiam ejus minores gradus, ut quis Tonsuram sublimius quid esse putet supremis mundi dignitatibus. Secundo, libenter deferre suæ conditionis signa, verbi gratia, talarem vestem, capillos breviores, Tonsuram, &c. Et, ut habetur in libro de contemptu mundi Divi Augustini, Tomo nono: *Quisquis igitur Clericus, ad sortem Domini vocatus, comam nutrit, & capillos radere, vel tondere erubescit, profecto se non de Dei, sed de mundi sorte esse testatur*. Tertium signum est, lubenter velle minimas quasque Ecclesiastici status functiones obire, verbi gratia, Candelabrum gestare, Missæ servire. Quartum est, magnum habere Ecclesiasticæ disciplinæ zelum, ejusque instaurandæ desiderium, ita ut enitantur pro viribus illam in pristinum decorem revocare optimis exemplis, exhortationibus, orationibus, &c. Quintum, odio habere mundum, & quæ in eo sunt, juxta illud S. Pauli ad Romanos duodecimo: *Nolite conformari huic sæculo*; & e contra Divus Petrus admonet nos, ut fugiamus concupiscentiam mundi (2. *Petr. c.*1.): *Fugientes*, inquit, *ejus quæ in mundo est concupiscentiæ corruptionem*. Nam, ut ait S. Joannes (1. *Jo. c.* 5.), *Mundus totus in maligno positus est*. Et, ut habetur Jac. c. 4. *Amicitia hujus mundi inimica est Deo; quicumque ergo voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur*. Amicus autem mundi censetur, quisquis amat, quærit, aut sectatur voluptates, honores, & divitias: nam, ut habet D. Joannes (1. *Jo. c.* 2.), *Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*. Sextum denique indicium est Ecclesiastici Spiritus, aptitudo ad scientias necessarias, ut Ecclesiæ inserviatur in hoc statu; amare lectionem & studium; quotidie aliquas horas in intimo cubiculi recessu, lectioni studioque cum voluptate impendere; quæ quidem ad studia inclinatio ita viro Ecclesiastico necessaria est, ut vix fieri possit sine illa propensione, ut quis diu vitam ducat huic statui convenientem; ut enim ait Concilium Aquisgranense (*sub Steph. IV. anno* 816. *Can.* 6.), *Sicut iniqui & peccatores Ministerium Sacerdotale assequi prohibentur, ita indocti & imperiti a tali Officio retrahuntur*. Locuti sumus

mus de signis Vocationis, Tr. de Beneficiis c. 2. Tom. 2.

Quæst. 13. In quo posita est recta intentio, quæ requiritur ad Ordines suscipiendos?

Resp. Oportet, ut sola adsit intentio sese Deo ejusque Ecclesiæ consecrandi, ut una Dei gloria, animarumque salus, propriæque perfectionis cura intendatur; ut ait Concilium Tridentinum (*Sess.* 21. *de refor. c.* 4.) loquens de illis qui prima Tonsura initiantur, *Sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse*. De hac bona intentione copiose satis locuti sumus, Tom. 2. Tr. de Benef. c. 3. ubi explicavimus, quænam essent malæ intentiones, quæ diligenter vitandæ sunt cum suscipiuntur Beneficia, quæ non minus fugiendæ sunt in ipso sanctorum Ordinum ingressu; & præcipue illud quod damnavit Divus Bernardus, cum ait (*Ep.* 14. *ad Henrich. Arch. Ben.*): *Curritur in Clero passim ab omni ætate & ordine, a doctis pariter & indoctis, ad Ecclesiasticas curas; tamquam sine curis jam quisque victurus sit, cum ad curas pervenerit*. Valde etiam necessarium est evitare intentionem, quæ satis communis est, dum aliquis Clero adscribitur, ut habeat, unde vivat; quod Divus Augustinus damnat, dum ait (*lib.* 2. *de serm. Domini in monte, c.* 16.): *Quæcumque res propter aliud quæritur, sine dubio inferior est, quam id propter quod quæritur. Si propterea evangelizamus, ut manducemus, vilius habemus Evangelium, quam cibum*.

Quæst. 13. Potest-ne quis Ordines suscipere intuitu alicujus Beneficii?

Resp. Si Beneficia quærerentur dumtaxat ut media serviendi Ecclesiæ, & majori cum vi, & assiduitate, & diligentia laborandi in vinea Domini, ut par est, & ut quisque tenetur, Concilia & sancti Patres non tam acriter eos damnassent, qui Ordines intuitu alicujus Beneficii suscipiunt. Verum cum certum sit, ex deploranda cæcitate, honores & commoda temporalia in Ecclesiasticis Beneficiis sæpius quæri, quam laborem & opus, ac propriam potius quam Dei divinique cultus utilitatem: ideo intentio suscipiendi Ordines ad obtinenda Beneficia, expresse damnata est: „ Alios, *inquit Catechismus Concilii Tridentini* (*De Ord. Sacr.* 7.) honorum cupiditas, „ & ambitio ad Sacerdotalem Ordinem ducit: alii vero, „ ut divitiis affluant, initiari volunt; cujus quidem rei „ illud argumento est, quod nisi opulentum aliquod Ec„ clesiasticum Beneficium iis deferatur, nullam sacri Or„ dinis cogitationem habent. Hi vero sunt, quos Salvator „ noster Mercenarios appellat, & quos Ezechiel dicebat „ semetipsos, & non oves pascere ... Quæstus & lucri cau„ sa ad Altare accedere, maximum sacrilegium est ". Hinc est, quod Divus Bernardus ait (*de vit. & morib. Cler. c.* 5.): *Qui gradus Ecclesiasticos, & Ministeria Sanctuarii eo quærit, aut tenet animo, eoque intuitu, ut hujus vitæ habeat necessaria; evangelizat, ut man-*

mandutet, & perverso nimis ordine cælestibus terrena mercatur.

Concilium etiam Constantinopolitanum generale octavum (*ann.* 70. *Act.* 10. *c.* 5.) verbis expressis hanc habendi Beneficii intentionem damnat, cum ait: „ Prioribus Canonibus concordantes definimus, neminem de „ mundana conversatione nuper tonsum, super intentio- „ ne vel expectatione Pontificatus honoris, Clericum „ aut Monachum factum, ad hujusmodi ascendere gra- „ dum: neque enim propter Religionem, vel amorem „ Dei, aut propter expectationem transeundi viam vir- „ tutum, sed ob amorem gloriæ, aut principatus, ton- „ sus hujusmodi reperitur. Si vero quis per nullam su- „ spicionem prædictæ concupiscentiæ & expectationis, „ se propter ipsum bonum humilitatis, quæ est circa „ Christum Jesum, abrenuncians mundo, fiat Clericus, „ &c. beneplacuit huic sanctæ & universali Synodo, eli- „ gi hunc & admitti “.

Et, ut ait Divus Gregorius (*Pastor. p.* 1. *c.* 8.), *Sacrum Officium non solum non diligit omnino, sed nescit, qui in occulta meditatione cogitationis ad honorem cor elevat, rerum affluentium abundantia exultat: Mundi ergo lucrum quæritur, sub ejus honoris specie, quo mundi destrui lucra debuerant.* Cui concordat, quod dicit S. Gregorius Nazianzenus (*Orat.* 1.): *Tamquam non virtutis exemplum, sed victus parandi occasionem & subsidium hunc Ordinem esse judicantes.* S. Bonaventura amare deplorat infelicitatem illorum, qui ea intentione suscipiunt Ordines, aut Beneficia, ut ditentur (*S. Bon. in opusc. de præpar. ad Missam c.* 8.): „ Væ, „ væ, væ, *inquit*, Domine Deus, quanti hodie infeli- „ ces ad sacros Ordines accedunt, & divina Mysteria „ accipiunt, non cælestem panem, sed terrenum quæ- „ rentes; non Spiritum, sed lucrum; non Dei honorem, „ sed suam ambitionem; non salutem animarum, sed „ quæstum pecuniarum; non Christo servire mundo cor- „ de & corpore in sacris Mysteriis, sed deliciari, dita- „ ri, superbire, & luxuriari de patrimonio Christi, & „ de eleemosynis pauperum: ac Ecclesiasticas dignitates „ ambiendo multis litigiis & simoniis potius rapiunt „ quam assequuntur, non vocati a Deo, sed impulsi a „ diabolo tamquam Dathan & Abiron! Tu autem, o ho- „ mo Dei, dirige vota tua & desideria ad Deum, & vi- „ de quibus affectionibus & desideriis trahi debes “.

Quæst. 15. Qualis sanctitas ad statum Ecclesiasticum amplectendum desideratur.

Resp. Consideranda tantum est sublimitas, pondus & sanctitas Ecclesiasticorum munerum, ut perspectam habeamus necessitatem, ut ii qui hoc sublime vitæ genus amplectuntur, sint in perfecta vitæ innocentia stabiliti; ut enim ait sanctus Dionysius (*Ep.* 8. *ad Demoph.*): *Qui cum Deo versatur, ad maximam similitudinem quo-*

ad ejus fieri potest, effectum expressumque esse oportet. Perfecte siquidem in seipsis exhibere debent vitam Jesu-Christi, qui Princeps primusque Sacerdotum est, cujusque veræ sunt imagines, in Sacrificiis quæ ejus loco Patri æterno debent offerre. Si enim, ut ait Apostolus (*ad Hebr. c. 7.*), „ Talis decebat, ut nobis esset Pontifex san„ ctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, „ & excelsior cælis factus, qui non haberet necessitatem „ quotidie, quemadmodum Sacerdotes, prius pro suis de„ lictis hostias offerre, deinde pro populi "; qualis tandem non debet desiderari perfectio in illis, qui ejus Sacerdotii esse participes volunt? Justum profecto est, æquumque videtur, ut aliquam habeant proportionem cum Capitis sui perfectione; destinati enim sunt, ut sint mediatores inter Deum & homines: qua vero ratione tanti ponderis officium exercere possunt, si vitæ innocentia non sunt commendati? Ut enim ait Divus Gregorius (*Past. p. 1. c. 11.*): „ Si homo apud hominem, de quo mini„ me præsumit, fieri intercessor erubescit; qua mente „ apud Dominum intercessoris locum pro populo accipit, „ qui familiarem se ejus gratiæ esse per vitæ merita ne„ scit; aut quomodo ab eo pro aliis veniam postulat, qui „ utrum sibi sit placatus, ignorat? Qua in re est adhuc „ aliud solicitius formidandum, ne qui placare iram pos„ se creditur, hanc ipse ex proprio reatu mereatur: cun„ cti enim liquido novimus, quia cum is, qui displicet, „ ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora „ provocatur ". Et sanctus Bernardus ait (*De Convers. ad Cler. cap. 19.*): „ Væ ministris infidelibus, qui necdum „ reconciliati, reconciliationis alienæ negotia, quasi ho„ mines qui justitiam fecerint, apprehendunt: Væ filiis „ iræ, qui se ministros gratiæ profitentur: Væ filiis iræ, „ qui pacificorum sibi usurpare gradus & nomina non ve„ rentur: Væ filiis iræ, qui fideles sese mediatores pa„ cis, ut peccata populi comedant, mentiuntur ".

Hac de causa antiqui Canones repellebant a statu Ecclesiastico non solum eos qui subditi fuerant pœnæ publicæ, sed etiam qui aliquo fuerant gravi crimine implicati, licet postea de peccato pœnitentiam egissent in Monasterio: *Si quis*, ait Gelasius Papa relatus in Canone (*Si quis, dist. 55.*), *monasterialibus disciplinis eruditus, ad Clericale munus accedit, etiam de Laicis, anteacta ejus vita requiratur, ne sit aliquo facinore infectus, vel illiteratus, vel bigamus, vel ab adolescentia sordidatus.*

„ Si vero, *inquit Concilium Nicænum* (1. c. 2.), præ„ cedente tempore aliquod mortale peccatum admiserit, „ & convictus duobus vel tribus testibus fuerit: cesset a „ Clero, qui hujusmodi est ". Et D. Augustinus, relatus in Canone *Apostolus*, (*dist. 81.*), ait: „ Apostolus „ Paulus quando elegit ordinandos Presbyteros, vel Dia„ conos, & quicumque ordinandus est ad præposituram

„ Ec-

„ Ecclesiæ, non ait: Si quis sine peccato est; hoc enim
„ si diceret, omnis homo reprobaretur, nullus ordina-
„ retur; sed ait: Si quis sine crimine est; sicut est ho-
„ micidium, adulterium, aliqua immunditia fornicatio-
„ nis, furtum, fraus, sacrilegium, & cæteræ hujusmo-
„ di. Quolibet itaque horum implicatus, ordinari non
„ debet". Ex hactenus dictis patet, optandum fore, ut accedentes ad Ordines, vitam ab omni scelere prorsus innocuam egissent. Nam ut ait S. Ambrosius (*in* 1. *ad Tim. c.* 5.): „ Merita debent præire bonorum ope-
„ rum, ut dignus habeatur ad ordinationem". Quod si in hac portentosa sæculi corruptione, difficile plane foret tales reperire, qui nuptialem illam vestem, quam in Baptismo receperunt, conservaverint: requiritur saltem, ut ante ordinationem diuturnos egerint pœnitentiæ fructus; ita ut quodammodo reparaverint injuriam præteritæ vitæ peccatis Deo illatam, & ut spes concipi possit, ex eorum in omni virtutum Christianarum genere perseveranti exercitio, fore, ut reconciliati sint Deo; cum, ut ait Sanctus Chrysostomus (*hom.* 10. *in* 1. *ad Tim. c.* 3.), Sacerdos, *Debet vitam habere immaculatam, atque compositam, ut omnes in illum, & ejus vitam, veluti in aliquod exemplar excellens, intueantur*.

O Pœnitentia, inquit idem sanctus Chrysostomus (*ser. de Pœnit.*), *quæ statum restauras, honorem renovas, fiduciam das, gratiam abundantiorem refundis*! Nihilominus tamen, qui diu in peccati sordibus jacuit, ad sacros Ordines non nisi tremens debet accedere; quoniam jure timere debet, iis se prorsus esse indignum, ac vereri, ne satis a suis delictis purgatus sit, ut ad sancta illa tremendaque Ministeria possit accedere; animo sæpe revolvens, quod ait sanctus Gregorius Nazianzenus (*De oratione*): „ Hic est Ordo naturalis, purgari prius,
„ deinde purgare; Sapientia instrui, atque ita demum
„ alios sapientia instruere: Lux fieri, & alios illumina-
„ re; Ad Deum appropinquare, & ita alios deducere:
„ Sanctificari, & postea sanctificare".

Quæst. 15. Quænam sunt indicia, quod quis vocatus minime sit ad Ecclesiasticum statum?

Resp. Ea diversa sunt, quæ communiter loquendo satis indicant, eos, in quibus reperiuntur, nec statum Ecclesiasticum ingredi, nec in eo admitti debere; quoniam a Deo non videntur vocati. Et primo locus est credendi, quod quis ad eum statum non sit a Deo vocatus, cum in se nullum deprehendit ex eis vocationis signis, de quibus mox egimus. Secundo qui aliquam contraxerunt irregularitatem, aut nati sunt irregulares, in se signum habent, quod ad hujus sanctitatem status minime sunt vocati; quare nisi aliunde præclaris dotibus fulgeant, ex quibus colligi possit, eos aliquando Ecclesiæ fore utilissimos, eique magna præstituros obsequia, vi-

videntur arcendi, nec omnino expedit, ut aliquam petant dispensationem.

Tertium signum est, cum quis caret prudentia naturali, cum stupidus est & rudis, si sit levis ingenii, aut indocilis, a litteris abhorrens & a studio: qui enim hujusmodi vitiis laborat, sacris non potest esse aptus officiis, aut proximi salutem procurare. Ait enim Divus Paulus, de Ministris Ecclesiæ loquens (1. *ad Tim. c.* 3.); *Oportet esse sobrium, prudentem. Litteris carens, sacris non potest esse aptus officiis*, ut dicitur in Canone *Illiterato*, dist. 36. Quarto, cum quis adeo inops est, ut nequeat sibi constituere patrimonium, nec alias expensas necessarias suppeditare possit, verbi gratia, ut maneat per aliquod tempus in Seminario Clericorum, cum enim Deus quempiam ad aliquem statum vocat, dat illi media necessaria, ut in eo degere possit.

Quintum signum est, cum quis caret zelo salutis animarum, instructionis ignorantium, ad procurandum pauperibus subsidium spirituale & temporale; ut enim habet sanctus Joannes Chrysostomus (*Hom. 6. in c. 8. Matth.*); *Qui sua contentus salute, alienam negligit, nec suam consequi potest*. Sexto cum quis nullum erga Ecclesiam Dei amorem habet, ejusque utilitates procurare non curat: ut enim ait Divus Augustinus (*tr. 22. in Jo.*): *Quantum quisque amat Ecclesiam Christi, tantum habet Spiritum-sanctum*. Cum parvi facit regulas morum & disciplinæ, quas hæc sancta Mater nobis tradidit in suis Conciliis & sacris Canonibus: verbi gratia, si quis interstitia nolit servare; quod numquam fieri deberet, nisi motu proprio ipsius Episcopi, qui super his dispensare potest ob solam necessitatem, aut utilitatem Ecclesiæ. Verum qui hujusmodi dispensationes solicite quærunt, satis indicant, se vere a Deo non esse vocatos. Septimum signum est, cum quis non satis reveretur nec æstimat Ecclesiæ cæremonias, illas præsertim quas præscribit, & servat in administratione Sacramentorum, & Sacrosancti Missæ Sacrificii; cum quis debitam non impendit operam, ut de iis instruatur, & omnia munia rite obeat Ordinum Minorum, aut Majorum, quos aut suscepit, aut mox suscepturus est; „ Si quis dixerit, *inquit Concilium Tridentinum* (*sess.* „ 1. *Can.* 13.), receptos, & approbatos Ecclesiæ Catho„ licæ ritus, in solemni Sacramentorum administratione „ adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a „ Ministris pro libito omitti, aut in novos alios per „ quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, ana„ thema sit". Octavum signum est, cum quis Ordines suscipit cum spiritu prorsus mundano, & terrenarum rerum amore pleno, cum litigiosus est, contra id quod dicit Apostolus (*ad Tim.* 1. *c.* 3.) *Non litigiosum, non cupidum*; cum quis Beneficia Ecclesiastica, ac privata commoda solummodo insectatur; ut enim inquit S. Ber-

nardus (*De Vit. & morib. Cleric. c. 4. n. 15.*): *Universos in Ordinibus Ecclesiasticis, cæterisque ad Sanctuarium pertinentibus, honorem quærentes proprium, aut divitias, seu corporis voluptatem, postremo quæ sua sunt, non quæ Jesu-Christi; manifeste prorsus & indubitanter, non ea, quæ Deus est, charitas, sed aliena a Deo, & quæ omnium radix malorum, cupiditas introducit*. Non, cum quis paratus non est ad abdicandum ea omnia, quæ aut dedecent, aut a sacris Canonibus interdicuntur Clericis, verbi gratia, venationem, comœdias, cauponas, mulierum familiaritatem, saltationes, ludos, vitam otiosam, & similia; ut enim dicitur in Canone Clericus; *Ab omnium bestiarum, & volucrum venatione penitus alienus existat*; & in Canone (*Can. Nullus* 21. quæst. 4.) dicitur: *Nullus vestimentum indecens habeat, sive in civitate degens, sive in itinere ambulans; sed stolis utatur, quæ concessæ sunt Clericis*. Videri potest, quod de venatione dictum est, Tom. 6 Tract. 6. cap. 3. num. 8. in fine. Denique decimum, & ultimum signum est, aliquem a Deo non vocari ad Ecclesiasticum statum, dum sæculi amat vanitates, etiam in habitu Clericali; nam in Concilio Nicæno (2. *Can.* 10.) statuitur, quod *Omnis luxus, & ornatus corporis, est a sacerdotali statu alienus .... quidquid enim non propter usum sed ostentationem assumitur, in nequitiæ reprehensionem incurrit*; ut enim habet Concilium Mediolanense I. *Omnem habitus & ornamenti novitatem Clerici fugiant; nec serico vestimento, aut ornamento utantur: a venatione abstineant.* Et Concilium Senonense anni 1524. ait: *Ne omnino ludant ad taxillos & aleas, neque ad chartas*. Qui enim in iis rebus, quemadmodum in iis, quæ ad Tonsuram, Comas, Coronam spectant, Ecclesiæ placitis & statutis non obtemperat, & modestissimos quosque, beneque moratos Ecclesiasticos viros non imitari conatur; aut qui facilius, quam par est, sine ulla necessitate, talarem vestem non gerit contra Ecclesiæ intentionem, quæ cum olim prohibuisset in generali Concilio vestes breviores, eas ne hodie quidem tolerat, nisi cum induuntur ad vitanda incommoda longiorum vestium in itineribus; denique quoties sæcularem potius vestem, quam Clericalem breviorem quis gerit, & Laicos potius, quam Clericos imitari curat, Ecclesiasticæ vitæ minus se aptum esse probat.

CAPUT III.

De Ministro Sacramenti Ordinis, & quibus temporibus conferri debeat.

Quæst. I. QUISNAM est legitimus Sacramenti Ordinis Minister?

Resp.

Resp. Proprius Episcopus, ut decrevit Conc. Tridentinum his verbis: (*Sess.* 23. *de reform.* c. 8.) *Unusquisque autem a proprio Episcopo ordinetur. Quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei etiam cujusvis generalis, aut specialis rescripti, vel privilegii prætextu, etiam statutis temporibus, permittatur; nisi ejus probitas, ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur.*

Quæst. 2. Quisnam est proprius Episcopus?

Resp. Secundum Bonifacium octavum relatum in Canone (*Cap. cum nullus, de temp. Ordin. in 6.*), ita definitur proprius Episcopus: *Cum nullus Clericus Parœciæ alienæ, præter Superioris ipsius licentiam debeat ordinari, Superior intelligitur in hoc casu Episcopus, de cujus Diœcesi est is, qui ad Ordines promoveri desiderat, oriundus, seu in cujus Diœcesi Beneficium obtinet Ecclesiasticum; seu habet, licet alibi natus fuerit, domicilium in eadem.* Advertendum hic est, quod licet Tonsura non sit Ordo, ut diximus, conferri tamen non potest, nisi a proprio Episcopo, aut alio de ejus expressa licentia, ut habetur in capite, *Nullus*, De temp. Ordin. in 6. *Nec absque sui superioris licentia homini Diœcesis alienæ Clericalem præsumat conferre Tonsuram.*

Quæst. 3. Episcopus loci, in quo quis natus est, est-ne semper proprius Episcopus originis?

Resp. Possunt contingere casus, in quibus Episcopus originis non censeretur proprius Episcopus: ut cum uxor Legati alicujus Principis filium parit in terris alienis; in hoc casu cum dictus filius non judicetur esse ex illa natione aliena, sed ex loco Patris sui; Episcopus loci, in quo Pater plerumque degit, est proprius Episcopus originis illius pueri: idem dicendum est de eo, qui natus est in eo loco, in quo ejus Mater erat tantum transeunter, sine intentione constituendi ibi domicilium, ut in itineribus terra marique susceptis: & hoc quidem secundum Legem Civilem, in qua sic habetur (*L. Filios, Cod. de Municip. & orig.*) *Filios apud originem Patris, non in materna civitate, etsi ibi nati sint, ad honores, seu munera posse compelli, explorati juris est.* Videatur Bulla Innocentii Papæ XII. in fine Tomi hujus quinti apposita.

Quæst. 4. Quisnam est Episcopus domicilii?

Resp. Est Episcopus Diœceseos, in qua quis perpetuam habitationem constituit, licet in ea natus non sit: *Domicilium enim*, ut habetur in Lege (*L. Domicilium, ff. ad municip. & de incolis.*), *re & facto transfertur, non nuda contestatione.* Verum quia multa simul concurrere debent, ut Episcopus domicilii possit Ordines conferre, in præjudicium Episcopi originis; ideo Episcopus domicilii in praxi locum non habet quoad Ordines, præsertim in Gallia: necesse enim est, ut quis probet se intentionem habere constanter residendi in

Patria,

Patria, in qua natus non est, nec ullam habere voluntatem redeundi ad locum originis, ut ibi resideat: necesse etiam est, ut majorem partem bonorum suorum eo transferat, aut perpetuum aliquod munus ibi acquirat, & ut ibi manserit saltem per decem annos continuos, sine ullo desiderio expresso, aut declarato eum locum deferendi; secus enim nec decem quidem anni, imo nec viginti sufficerent, ut quis ad Ordines promoveatur ab Episcopo domicilii, ut accidit Scholaribus, Gubernatoribus locorum, aliisque similibus, qui veri domicilii jus non contrahunt, quia præsumi potest, eos non plane renunciare intentioni redeundi in proprios lares; & hoc juxta legem, in qua sic habetur (*L. Nec ipsi Cod. de incolis.*) *Nec ipsi qui studiorum causa aliquo in loco morantur, domicilium ibi habere creduntur, nisi decem annis transactis, eo loco sedes sibi constituerint.* In praxi Episcopus domicilii locum non habet, nisi in eo qui per tres annos continuos commoratus est in familia alicujus Episcopi, qui in hoc casu jus habet illum promovendi ad Ordines, modo testimoniales litteras proprii Episcopi habeat; ut habetur in Constitutione Innocentii Papæ duodecimi, quæ incipit: *Speculatores*, quam in fine tomi hujus ad longum referemus: dummodo illi statim conferat Beneficium citra omnem fraudem, ut ait Concilium Tridentinum (*sess. 25. de refor. c. 9.*): *Episcopus familiarem suum non subditum ordinare non possit, nisi per triennium secum fuerit commoratus: & Beneficium quacumque fraude cessante, statim reipsa illi conferat.* Hoc tamen locum non habet in Episcopis titularibus, seu in partibus infidelium, ut ait idem Concil. Trid. (*Sess. 14. de ref. c. 2.*): *Nemo Episcoporum qui titulares vocantur, alterius subditum, etiam prætextu familiaritatis continuæ, & commensalitatis suæ, absque sui proprii Prælati expresso consensu, aut litteris dimissoriis, ad aliquos sacros, aut minores Ordines, vel primam Tonsuram, promovere seu ordinare valeat.*

Quæst. 5. Quisnam est Episcopus Beneficii?

Resp. Cum omnia Beneficia olim residentiam postularent, certisque essent affixa muniis & officiis in Ecclesiis particularibus, licet exiguus esset reditus, ut ex multis Canonibus satis constat, & præsertim Canone, *Si quis*, (*Can. Si quis, 7. q. 1.*) in quo sic legitur:

„ Si quis Presbyter, vel Diaconus, vel quilibet Clericus deserta sua Ecclesia, ad aliam transeundum esse crediderit, & ibi paulatim tentet, quo migravit, perpetuo manere, ulterius ministrare non debet, præsertim si ab Episcopo suo ad revertendum fuerit exhortatus: quod si post revocationem sui Episcopi non obedierit, omni modo ab Officio deponi debere; nec aliquando spem restitutionis habere decernimus. Et *Alexander Papa tertius relatus in Canone* (*Can. Re-*

„ *la-*

„ *latum, de Clerico non residente,*) *ait :* Cum in La-
„ teranensi Concilio statutum sit, ut personæ tali, Ec-
„ clesia, vel Beneficium Ecclesiasticum conferatur, quæ
„ residere in loco, & curam ejus per se valeat exerce-
„ re ; nonnulli ad Ecclesiam præsentati hoc se posse af-
„ firmant, sed efficere contradicunt. Cum igitur verba
„ accipienda sint cum effectu, tales, si præsentati fue-
„ rint, non debent admitti, & admissi poterunt amo-
„ veri. *Et Canone* Conquerente (*Eod. tit.*), *ibidem*
„ *ait idem Pontifex* : Conquerente Presbytero accepi-
„ mus, quod Clericus ab eo pro Ecclesia sua annuatim
„ viginti solidos extorquere conatur, asserens, Benefi-
„ cium illud in eadem Ecclesia sibi fuisse collatum ;
„ mandamus, quatenus, si tibi constiterit, quod idem
„ Ecclesiæ non deserviat, sibi super præscripto Beneficio
„ silentium imponat ".

Propter hanc rationem Bonifacius Papa, secundum antiquum Ecclesiæ morem, constituit, Episcopum Beneficii illum esse, in cujus Diœcesi Clericus habet Beneficium : cum enim Beneficium obligaret Beneficiarium ad residentiam in propria Diœcesi, poterat Episcopus majori cum facilitate probos ejus vitæ mores perspectos habere, aliasque dotes perquirere, quibus aptus esse potest ad sacros Ordines recipiendos.

Præterea cum in eadem Diœcesi servire teneretur, & Episcopi authoritati subesse, ad eum pertinebat, in ejus vitam moresque inspicere, qui in vinea Domini laborare debebat, quæ Episcopo principaliter commissa erat. Verum cum in his ultimis sæculis multa sint Beneficia, in quibus nulla sit residentia, quæque communiter simplicia dicuntur, ut ab iis distinguantur, quæ particularem aliquam annexam functionem habent ; certum est, rationem, qua Pontifex inductus est, ut assignaret pro proprio Episcopo, Episcopum Beneficii, nullum jam habere locum, atque adeo ad solum Episcopum originis ad recipiendos Ordines recurrendum esse, secundum Regulam Juris Canonici (*Cap. ult. de reg. jur. in 6.*) : *Certum est, quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem.* Et ut ait Ulpianus (*L. Fraus, ff. de legib.*) : *Fraus enim Legi fit, ubi quod fieri noluit, fieri autem non vetuit, id fit.*

Enimvero magnus foret abusus, si licitum foret sub prætextu alicujus Beneficii in Diœcesi, in qua aliquis non residet, nec Ecclesiasticam aliquam functionem exercet, ibi Ordines suscipere, cum præjudicio Episcopi originis, qui solus respondere potest de moribus, cæterisque talentis ad Ordines suscipiendos necessariis ; quique solus observare debet, ut ii qui sunt & resident in sua Diœcesi, sint in eo statu, ut digne & utiliter inserviant Ecclesiæ, cujus administratio divina providentia Episcopo commissa est. Omnis profecto regiminis Ecclesiastici foret eversio, & periculosæ confusionis in Clerum intro-

troductio, si talis licentia Clericis daretur, ut proprii Episcopi jurisdictionem contemnerent, prætextu Beneficii aliquot nummorum reditus, quod vel fundari potest, vel haberi per resignationem, aliove quovis modo, facile potest: quodque quis non alia intendit servare intentione quam ut Ordines per fraudem suscipiat. Quis credat, Jus Canonicum talibus voluisse umquam favere intentionibus, quarum exitus perniciosissimi futuri sunt?

Quocirca generalis Cleri Gallicani conventus celebratus Parisiis annis 1635. & 1636. innuit Archiepiscopis & Episcopis, ne Ordines conferrent iis, qui non sunt de sua Diœcesi, sine litteris dimissoriis in legitima forma Episcopi loci originis, cujus sunt qui promoveri volunt ad Ordines. Et Conventus Melodunensis ejusdem Cleri anno 1665. prudenter observavit, magna sequi incommoda, si proprius Episcopus censeretur Episcopus Beneficii, quoniam Clerici non jam ut olim certæ Ecclesiæ sunt adscripti: & Beneficium relinqui potest sine ulla Episcopi participatione, pluraque simplicia possideri Beneficia in multis Diœcesibus: quod proinde magnam generaret confusionem, & occasionem inobedientiæ apertam Clericis præberet.

Quia etiam „ Sacra congregatio Concilii censuit (*Tom.* „ 8. *Decret. p.* 184. *in Archivio Congreg. Concilii Tirasonen.* 15. *Febr.* 1596.), satis quidem esse, Oratorem „ ab Episcopo Tirasonensi, in cujus Diœcesi ortus est, „ ad Ordines promoveri. Cæterum posse etiam Episcopum Valvensem, in cujus Cathedrali Canonicatum „ obtinet, eumdem ordinare. Verumtamen instructionem de vita, moribus, natalibus, cæterisque qualitatibus ordinandi, ab Episcopo Tirasonensi sumere ipsum „ Valvensem Episcopum debere, præterquam quoad doctrinam, circa quam ab eodem Episcopo ordinante diligenter examinandus est ".

Observandum autem est, in casu proposito Congregationem loqui de Clerico qui Beneficium habebat, quod residentiam requirebat; erat enim Canonicus Cathedralis Ecclesiæ: nihilominus tamen docti illi cardinales, & Theologi celebris illius Congregationis, satius esse statuerunt, ut ille Canonicus Ordines susciperet ab Episcopo originis, quam ab Episcopo Beneficii; qui tamen, si eum vellet ordinare, instructionem de vita, moribus, cæterisque haberet ab Episcopo originis, juxta antiquum Canonem Concilii Arausicani I. Can. 8. *Si quis alibi consistentem Clericum ordinandum putaverit, prius definiat, ut cum ipso habitet. Sic quoque, non sine consultatione ejus Episcopi, cum quo habitavit, eum ordinare præsumat.* Quomodo igitur posset quis velle ad Ordines promoveri ab alio quam ab Episcopo originis, prætextu alicujus Beneficii simplicis, absque debita fide de vita & moribus, & plerumque in fraudem legis? Videatur

Bulla

Bulla Innocentii Papæ XII. in fine hujus Tomi quinti.

Quæst. 6. In quamnam incidunt pœnam, qui, ut se eximant ab examine Episcopi originis, Beneficium suscipiunt in alia Diœcesi, ut sic facile absque litteris dimissoriis proprii Episcopi ad Ordines promoveantur?

Resp. Secundum Sacros Canones suspensionem incurrunt; sic enim legitur in Canone (*Can. Eos, cui de temp. Ordin. in 6.*): „ Eos qui Clericos Parochiæ alie„ næ, absque Superioris ordinandorum licentia, scien„ ter, seu affectata ignorantia, vel quocumque alio „ figmento quæsito præsumpserint ordinare; per annum „ a collatione Ordinum decernimus esse suspensos, his „ quæ jura statuunt contra taliter ordinatos, in suo ro„ bore duraturis ".

Et in Glossa in eodem capite, verbo *Figmento*, sic ait: *Vel in fraudem constitutionis hujus aliquem in suum familiarem recepit, vel ei Beneficium contulit: Hæc & similia sunt figmenta.*

Quocirca possumus asserere, quoties vel fundatur, vel acquiritur possessio alicujus Beneficii in aliena Diœcesi, in qua quis residere non intendit, præsumi debere id fieri in fraudem, ejusque Beneficii possessorem eo facto velle se subtrahere a legitima debitaque proprio Episcopo obedientia, ejusque examen fugere, & ideo tantum ad alium Episcopum confugere, ut Ordines recipiat, quia eos facilius confert, nec tam diligenter examinat, an ii, qui ad Ordines suscipiendos veniunt, scientia, pietate, aliisque dispositionibus ad Ordines suscipiendos necessariis polleant.

Certum etiam est, secundum Constitutionem Gregorii X. in Concilio generali Lugdunensi, relatam in cap. *Eos qui*, quod quoties aliquis in fraudem accipit Ordines ab alio Episcopo, quam ab illo originis, pœnas a sacris Canonibus inflictas incurrit, & a Concilio Tridentino (*sess.* 14. *de ref. c.* . . .) renovatas, his verbis: „ Taliter vero promoti, ab executione Ordinum sic susce„ ptorum, donec suo Prælato visum fuerit, ipso jure „ sint suspensi. *Et* Si contingeret, eos sic suspensos di„ vina Officia exequi, sicut prius, irregularitatem non „ effugiant juxta Canonicas Sanctiones, *ut dicitur in* „ *cap. de sententia Exc. in 6.*

Et ut dicitur in praxi Episcopali (*Can. ex tenore, de rescript.*): *Caveri debet, ne Beneficium conferatur in fraudem, ad hoc, ut quis extrahatur ex aliena Diœcesi; talis enim fraus non prodesset.* Quoniam, secundum dispositionem Juris tam Civilis, quam Canonici: *Fraus & dolus alicui patrocinari non debent*, ut habetur in Can. (*Can. Statuimus de Officio & potestate judicis deleg. in 6.*) Et in alio Canone legitur (*L. non dubium Cod. De Leg.*): *Ne ipse commodum ex dolo vel fraude reportet.* Et in Lege Civili etiam habetur (*Trattato della sagra Ordinazione di Giuseppe Crispino*, §. 2.);

2.) ; *Nec pœnas insertas Legibus evitabit, qui contra Juris sententiam, sæva prærogativa verborum fraudulenter excusat.*

Legimus quoque in libro de Sacra Ordinatione Italice conscripto a Presbytero tunc Secretario Cardinali Carracioli, tunc Episcopo Amerino, & a Cardinali Vincentio Maria Ursino Archiepiscopo Sipontino in lucem edito (*Dei Collatori degli ordini*, §. 11. & 12.), celebrem Episcopum Cardurcensem, Alanum de Solminiac, consuluisse sacram Congregationem Cardinalium Concilii Tridentini, ut sciret quam pœnam incurrisset suæ Diœcesis Clericus, qui Ordines suscepisset ab alio Episcopo, sub prætextu Beneficii per fraudem acquisiti, ut effugeret examen proprii Episcopi; & Congregatio sic respondit (*Ex Tomo Decretorum ann. 1662. in Archivio Congreg. Cadurc. 7. Oct. 1662.*): *Congregatio Concilii sæpius declaravit, tametsi quis possit ordinari ab Episcopo loci Beneficii, si tamen adeptus sit Beneficium in fraudem, esse male promotum: ac si in susceptis Ordinibus ministraverit, irregularitatem contrahere. Ceterum an ipsa fraus intercesserit, ex legitimis conjecturis, ad præscriptum Juris, esse dignoscendum.* Idem auctor refert, Cardinalem Aquavivam Archiepiscopum Neapolitanum summo Pontifici exhibuisse fraudes, quibus nonnulli utebantur, ut suum fugerent examen, his verbis: „ Alii sunt, „ qui cum Neapoli primam Tonsuram, vel quatuor Mi- „ nores Ordines susceperint, deinde ad subterfugiendum „ examen & probationem patrimonii sufficientis, prout „ Constitutiones Synodales Neapolitanæ requirunt, ade- „ unt aliquem ex vicinis Episcopis, puta Cavensem, „ Acerranum, Viceaquensem, Litterensem, Nucerinum, „ Amalphitanum, a quo provideri sibi de aliquo vel te- „ nuissimo Beneficio curant, cujus ratione, tanquam il- „ li Episcopo subditi, ab eo ad Subdiaconatus, Diaco- „ natus & Presbyteratus Ordines promoventur, ac mox „ Neapolim reversi, Ordines per supradictam fraudem „ susceptos in hac Diœcesi exercent.

„ Congregatio Concilii censuit (*Ex Tomo 58. Me- „ morialium pag. 548. in Archivio Congreg. Concil.*), „ nec item hos ad effectum Ordinationis Beneficium a- „ dipiscentes, debere ordinari ab Episcopo conferente „ Beneficium, ordinatosque in suspensionem incidisse, „ & Episcopum a collatione Ordinum per annum et- „ tiam suspensum esse ". Videatur Constitutio Innocentii XII. in fine hujus Tomi.

CASUS IV.

De Tonſura & Minoribus Ordinibus.

Quæſt. 1. TOnſura eſt ne antiqua in Eccleſia?
Reſp. Ex ſancto Iſidoro de Eccleſiaſticis Officiis, lib. 2. cap. 4. relato in Concilio Aquiſgranenſi, cap. 1. „ Tonſuræ Eccleſiaſticæ uſus a Nazaræis, ni „ fallor, exortus eſt, qui prius crine ſervato, denuo „ poſt magnam vitæ continentiam devotione completa, „ radebant, & capillos in igne ſacrificii ponere jubebantur, „ ſcilicet ut perfectionem devotionis ſuæ Domino „ conſecrarent: hujus ergo exempli uſus ab Apoſtolis „ introductus eſt, ut hi qui in divinis cultibus „ mancipati Domino conſecrantur, quaſi Nazaræi, id „ eſt, ſancti Dei crine præciſo innoventur; hoc quippe „ & Ezechieli Prophetæ jubetur, &c. Hoc & Nazaræos „ illos Priſcillam & Aquilam in Actibus Apoſtolorum „ primum feciſſe legimus: Paulum quoque „ Apoſtolum, & quoſdam Diſcipulorum Chriſti „ qui in hujuſmodi cultu mirandi extiterunt. Eſt autem „ Clerici Tonſura ſignum quoddam quod in corpore „ figuratur, ſed in animo agitur; ſcilicet ut hoc ſigno „ in Religione vitia reſecentur, & in criminibus „ carnis noſtræ, quaſi crinibus exuamur, atque inde „ innovati ſenſibus, ut comis rudibus eniteſcamus, exſpoliantes „ nos, juxta Apoſtolum, veterem hominem „ cum actibus ſuis, induentes novum, qui renovatur in „ agnitione Dei. Quam renovationem in mente oportet „ fieri, ſed in capite demonſtrari, ubi ipſa mens noſcitur „ habitare. Quod vero detonſo capite ſuperius, „ inferius circuli corona relinquitur, Sacerdotium regnumque „ Eccleſiæ in eis exiſtimo figurari “.

Quæſt. 2. Quare tonſurati vocantur Clerici?
Reſp. Ut dicitur in Canone (*Can. Clericus*, 12. *q.* 1.): „ Clericus qui Chriſti ſervit Eccleſiæ, interpretetur „ primo vocabulum ſuum: & nominis definitione „ prolata, nitatur eſſe, quod dicitur. Si enim κλῆρος „ Græce, ſors Latine appellatur, propterea vocantur Clerici, „ vel quia de ſorte ſunt Domini, vel quia Dominus „ ſors, id eſt, pars Clericorum eſt. Qui autem vel „ ipſe pars Domini eſt, vel Dominum partem habet, „ talem ſe exhibere debet, ut & ipſe poſſideat Dominum „ & poſſideatur a Domino “. Hoc eſt peculiari quodam modo, & quidem magis quam cæteri Chriſtiani.
Et ex S. Ambroſio relato in Canone (*Can. Cui portio*, 12. *q.* 1.): „ Cui portio Deus eſt, nihil debet curare, „ niſi Deum, ne alterius impediatur neceſſitatis „ munere; quod enim ad alia Officia confertur, hoc „ Religionis cultui, atque huic noſtro officio decerpitur.

Quæſt. 3. Quænam præparatio requiritur ad Tonſuram?

Resp. Didicimus a S. Carolo in Concilio Provinciali IV. (*tit. quæ pertinent ad Sacr. Ord.*) „ Quoniam , „ *inquit*, prima Tonſura, ut Catechiſmi etiam Romani „ litteris traditur, ad Ordines ſuſcipiendos quædam præ„ paratio iis eſt, qui Dei Miniſterio dicandi ſunt, per„ multum propterea refert , omnem in illa conferenda „ & ſuſcipienda diligentiam ſtudioſe adhiberi .

Concilium Tridentinum (*ſeſſ.* 23. *de refor. c.* 4.) ſatis indicat, opus eſſe, ut Epiſcopi Tonſuram non conferrent, niſi probatis, ſeu exploratis in aliquo Seminario illis, qui eam recipere vellent; ait enim : *De quibus probabilis conjectura ſit , eos , ut Deo fidelem cultum præſtent, hoc vitæ genus elegiſſe*. Et ibidem, c. 18. ait: *Quorum indoles & voluntas ſpem afferat, eos Eccleſiaſticis Miniſteriis perpetuo inſervituros* . Quæ Concilii verba ſatis declarant, Tonſuram ab Epiſcopis paſſim conferri non debere, niſi iis, quos per aliquod tempus notabile in aliquo Seminario ſeu in domo receſſus probaverint.

Quis enim non facile videt, Epiſcopos alio modo habere non poſſe certitudinem, quam poſtulat Concilium Tridentinum, quam cogendo eos , qui Tonſuram petunt, notabili quodam tempore ſtare in Seminario, in quo poſſint addiſcere, quænam ſint obligationes ſacri ſtatus, quem amplecti cupiunt; ubi vocationem ſuam examinare poſſint, & ſigna dare fideli ſua perſeverantia in exercitiis pietatis, & aliarum virtutum Clericalium, & præſertim conſtantis voluntatis qua ſignificant, ſe nolle unquam Eccleſiaſtici ſtatus habitum, quem in Seminario ſuſceperunt, exuere, ac tandem ſe penitus conſecrare per totam vitam ſanctis Eccleſiæ & Altarium Miniſteriis . Quod quidem eo verius eſt, quod experientia quotidiana nos docet, plures, ubi Tonſuram receperunt, ſtatus Clericalis habitum rejicere, quem induerunt: qui ideo videntur, in hac ipſa ſancta actione, non ſine horribili contemptu, preces Epiſcopi irridere, quas fudit, cum ipſos Tonſura donavit: *Ut donet eis*, inquit Epiſcopus (*Pontificale Rom.*), *Spiritum ſanctum, qui habitum Religionis in eis in perpetuum conſervet*; qui gratias, quæ neceſſariæ ſunt, ut piam illam ac religioſam veſtem, quam ſemel acceperunt, ſemper conſervare poſſint, a Deo inſtanter petit, cum in eodem tempore veram habeant eam exuendi intentionem, nec alia de cauſa re tam ſancta uti velint, quam ut aliquod Beneficium quocumque tandem modo aſſequantur.

Unde prudenter in Concilio Neapolitano (*Conc. Prov. Neapol. anno* 1699. *tit.* 3. 2. 7. *num.* 2.) decernitur his verbis: *Quoniam* non quiſquam ſibi ſumit honorem, ſed qui vocatur a Deo tamquam Aaron, *diligenter primum Epiſcopus inquirat, quo quiſque ſpiritu ad petendos Ordines rapiatur, atque ad primam Tonſuram eos dumtaxat admittat, quos probabili conjectu-*

ra

ra constet, hoc vitæ genus elegisse, ut Deo fidelem cultum præstent. *Quamobrem Clericalem habitum per sex menses, Episcopi facultate gratis concedenda, gestantes antea probentur, ii vero repellantur, qui vel sæcularis judicii declinandi fraude, vel lucri cupiditate, aut aliis temporalibus commodis inhiantes, nullo cœlesti gratiæ instinctu supernaque vocatione adducti, ut disperdant & rapiant, non per ostium intrare, sed aliunde in Ecclesiam irrumpere moliuntur. Illi etiam ab Ordinibus arceantur, qui talarem habitum & tonsuram, ad præscriptum Sacrorum Canonum, deferre negligunt, sed in vestibus prope laicalibus, laicalem animum præ se ferunt.*

Et in Synodo Cardinalis Denoff (*Syn. Cæsenat. an.* 1693. *in Addit. pag.* 426.) plura notantur, quæ tam pro Tonsura, quam pro aliis Ordinibus expetenda sunt ab Episcopo, his verbis: *Fides requisitorum pro promovendis.*

Pro prima Tonsura.

1. De Baptismo, natalibus, & ætate.
2. De Confirmatione.
3. De vita, & moribus, Doctrinæque Christianæ frequentatione.
4. De schola.
5. De denunciatione nominis, & desiderii, facta in Ecclesia suæ Parochiæ.

Pro minoribus Ordinibus.

1. De prima Tonsura, vel ultimo Ordine suscepto.
2. De vita, & moribus, & habitus clericalis gestatione.
3. De frequenti perceptione Sacræ Communionis.
4. De frequentatione Doctrinæ Christianæ.
5. De exercitio Ordinum susceptorum, & servitio Ecclesiæ, cui est adscriptus, præstito, nisi studiorum causa absit.
6. De schola.
7. De frequentatione collationum casuum conscientiæ.

Pro Subdiaconatu.

1. De ultimo Ordine minore suscepto.
2. De denunciationibus in Ecclesia Parochiali factis, tam quoad nomen, & desiderium personæ ordinandæ, quam quoad Beneficium, seu pensionem, seu patrimonium; & de pacifica possessione ejusdem.
3. De ætate viginti duorum annorum incœptorum.
4. De Ordinis suscepti exercitio, & servitio Ecclesiæ, cui est adscriptus, præstito, & Clericalis habitus gestatione.

5. De frequentatione Sacræ Communionis.

6. De natalibus, vita & moribus, Doctrinæque Christianæ frequentatione.

7. De frequentatione Collationum casuum conscientiæ.

8. De titulo, ad quem ordinari petit, ejusque pacifica possessione, & fructuum inde perceptione.

Pro Diaconatu.

1. De Ordine Subdiaconatus suscepto.

2. De denunciationibus, ut supra.

3. De ætate viginti trium annorum incœptorum.

4. De Subdiaconatus exercitio, & servitio Ecclesiæ, cui est adscriptus, præstito, & Clericalis habitus gestatione.

5. De frequentatione sacræ Communionis.

6. De natalibus, vita, & moribus, Doctrinæque Christianæ frequentatione.

7. De frequentatione casuum conscientiæ.

8. De titulo, ad quem ordinari petit, ejusque pacifica possessione, & fructuum inde perceptione.

Pro Presbyteratu.

1. De Ordine Diaconatus suscepto.

2. De denunciationibus, ut supra.

3. De ætate viginti quinque annorum incœptorum.

4. De exercitio Ordinis Diaconatus in Ecclesia cui est adscriptus, & Clericalis habitus gestatione.

5. De frequentatione sacræ Communionis.

6. De natalibus, vita & moribus, Doctrinæque Christianæ frequentatione.

7. De frequentatione Collationum casuum conscientiæ.

8. De titulo, ad quem ordinari petit, ejusque pacifica possessione, & fructuum inde perceptione.

Præterea in celebri Synodo Nucerina (*ann.* 1608. *De Sacr. Ord.*) sic prudenter statuitur: „ Quoniam magnopere refert, ut fidelis populus noverit, quibus maxime impedimentis a sacrorum Ordinum limine alii qui arceantur: Parochi partes erunt, eos, sacrarum Ordinationum præsertim tempore adveniente, vulgari lingua populo enunciare.

„ Hi vero sunt, hæresis nomine suspecti, irregulares, homicidæ, qui tulere sententiam capitis, aut capitalis criminis acta & sententiam testificationesque edixerunt aut conscripserunt, quive causas criminales egerunt: vagi, insigniter deformes, & corpore vitiati; manci, servi, criminosi, illegitime nati, bigami, peregrini, ignoti, neophyti, ebrietati & gulæ dediti, impudici, incontinentes, scurræ, mimi, histriones, infames quoquomodo, & vitiis dediti: usurarii mani-

„ festi,

„ festi, & ratiociniis obligati : suspensi, interdicti, ex-
„ communicati, amentes, morbo caduco laborantes, e-
„ nergumeni, ante tempus sive per saltum promoti, aut
„ aliis hujusmodi criminibus, censuris, aut canonicis
„ impedimentis irretiti".

Præterea qui aliorum precibus Ordinationem sacram consequi conantur, ut plurimum vera Dei vocatione carent; ideoque in Synodo Bituntina (*anno* 1682. *tit.* 13. §. 12.) statuitur, ut *ad Ordines ascendere cupientes, nullo modo audeant adhibere intercessores pro suscipiendis Ordinibus: alias ad Ordines non admittentur*. Vide Tomo 2. Tr. 2. c. 3. q. 12.

His addere possumus, quod prudenter notatum est in Conventu generali Cleri Gallicani anno 1655. summa cum cura Episcopos Tonsuram conferre debere; quoniam qui semel Tonsuram acceperunt, tunc faciles variosque modos inveniunt, quibus cogant Episcopos, ut sibi Ordines omnes conferant: nec alia superest via, qua indigni a sacris Ordinibus excludantur, quam ipsis ostium, seu introitum status Ecclesiastici occludendo, nec facile, aut leviter eos ad primam Tonsuram admittendo.

Quæst. 4. Quænam sunt status Ecclesiastici obligationes, quas quis per Tonsuram amplectitur?

Resp. Eæ certe tantæ sunt, tantique ponderis & momenti, ut vix justo volumine pro rei dignitate possint explicari; enimvero de his integri conscripti sunt libri, nobis vero sufficiet referre hic Canonem desumptum ex operibus sancti Isidori, in quo sic habetur (*Can. His igitur, dist. c.* 3.): „ His igitur, lege Patrum cave-
„ tur, ut a vulgari vita seclusi, a mundi voluptatibus
„ sese abstineant, non spectaculis, non pompis inter-
„ sint; convivia publica fugiant, privata non tantum
„ pudica, sed & sobria colant: usuris nequaquam in-
„ cumbant, neque turpium occupationes lucrorum, frau-
„ disque cujusquam studium appetant, amorem pecuniæ
„ quasi materiam cunctorum criminum fugiant, & sæ-
„ cularia officia negotiaque abjiciant; honoris gradus per
„ ambitionem non subeant, pro beneficiis medicinæ Dei
„ munera non accipiant; dolos & conjurationes caveant;
„ odium, æmulationem, obtrectationem atque invidiam
„ fugiant: non vagis oculis, non effræni lingua, aut
„ petulanti fluidoque gestu incedant; sed pudorem &
„ verecundiam mentis, simplici habitu incessuque osten-
„ dant; obscœnitatem etiam verborum, sicut & ope-
„ rum, penitus execrentur: viduarum & virginum fre-
„ quentationem fugiant, contubernia extranearum fœ-
„ minarum nullatenus appetant, castimoniam quoque
„ inviolati corporis perpetuo conservare studeant; se-
„ nioribus quoque debitam obedientiam præbeant, nec
„ ullo jactantiæ studio semetipsos attollant; postremo
„ doctrinæ, Lectionibus, Psalmis, Hymnis, Can-
„ ti-

„ ticis, exercitio jugi incumbant. Tales enim debent
„ esse, qui divinis cultibus se mancipandos student ex-
„ hibere, scilicet ut, dum scientiæ operam dant, do-
„ ctrinæ gratiam populis administrent“.

Clericorum obligationes accurate eleganterque comprehenduntur in præclara relatione de statu Ecclesiæ Sarsinatensis, ab Illustrissimo Joanne Baptista Braschio Episcopo in lucem Romæ edita ann. 1704. his verbis (*pag.* 53. & *seqq.*): „ Cæterum communi Ecclesiasticorum
„ sanctimoniæ operam dantem, hæc universaliter profi-
„ teor me cavisse: ne quis personatus incedat: choreas
„ agat, aut spectet: comœdiis ludisve indulgeat, aut
„ nocte sonans aut cantans obambulet: nemo canes aut
„ accipitres alat, clamorosis venationibus aut aucupio
„ tempus insumat, cauponas frequentet, pagellis pictis
„ ludat, armatus incedat, ecclesiasticos tamdem reditus
„ in pravos usus profundat. Anulis & armillis, qui in
„ Clero sunt, non utantur: non crepidis calceisve spe-
„ ciosis, non calamistratis crinibus vel peruchis, non
„ crispatis vel pretiosis indusiis, vel splendidis in amictu
„ coloribus: laicis vili officio inserviant: pro aliis non fi-
„ dejubeant, negotiationibus non incumbant; sæcularia
„ munia non exerceant: mulierum amores fugiant, non
„ eas doceant, cum illis non cohabitent, nec earum præ-
„ cursores sint, aut vernæ. A mensis laicorum se absti-
„ neant: scurræ partes non exequantur: commessationes
„ tandem abhorreant, ac ebrietates devitent.

„ Laudabilis autem disciplinæ formam tenentes, o-
„ mnes decenti utantur amictu, nec eleganti nimium,
„ nec sordido: Tonsura brevi, competenti rasura: col-
„ lari rotundo, ac pallio vestem tegente. Omne otium
„ fugiant: benignitate affluant; sint a criminibus & cri-
„ minum suspicione immunes, Divinisque officiis ac
„ scientiarum studiis intenti; laicos virtutibus, & præ-
„ cipue doctrina & pietate præeant: quod verbis docent,
„ factis exprimant: adeo tandem sancte vivant, ut &
„ laudantium encomia mereantur, & maledicorum effu-
„ giant obloquia“.

Præcipuas quoque Clericorum obligationes habemus in sæpius laudata Synodo Farfensi (*sub Carolo Cardin. Barberino c.* 21. *p.* 65.), in qua sic statuitur: „ Clerici
„ choreis, spectaculis scenicis, aliisque cœtibus, ubi a-
„ matoria & turpia obscœnis verbis, atque indecoris cor-
„ poris motibus, lascivoque cantu exprimuntur, nullo
„ modo intersint; ipsos autem Clericos, præsertim sacris
„ Ordinibus initiatos, in prophanis comœdiis, aut etiam
„ sine nostra licentia, in spiritualibus repræsentationibus
„ actores fieri, aut denique larvatos, seu personatos, in
„ publicum prodire, sub suspensionis, aliisque arbitrariis
„ pœnis prohibemus. Nocte domi se contineant, & si
„ qua urgente causa exeundum erit, in habitu clericali,
„ ac etiam, post secundam noctis horam, cum lumine,
„ nec

„ nec voce, nec fidibus canendo canentesve comitan-
„ do, sub severis pœnis, modeste incedant.

„ Cum Clericis per sacros Canones districte prohibi-
„ tum sit, secum in eadem habitatione retinere quascum-
„ que fœminas, etiam non suspectas, præterquam usque
„ ad secundum consanguinitatis vel affinitatis gradum
„ conjunctas, nempe matres, avias, sorores, materteras,
„ amitas, fratrum & sororum filias, & filiorum uxores;
„ propterea edicimus, ne ullam mulierem, sub quovis
„ etiam ancillæ seu famulæ nomine, licet honestæ sem-
„ per famæ & quinquagenaria majorem, sine nostra, vel
„ Vicariorum prædictorum nostrorum licentia, sub gra-
„ vissimis pœnis, domi secum habere præsumant. Mo-
„ nemus insuper, ut omne incontinentiæ periculum ac
„ suspicionem caute vitantes, extranearum quoque fœmi-
„ narum ædes, familiaritates, congressus, secreta collo-
„ quia, quovis officii aut pietatis prætextu, nullatenus
„ frequentent; ne forte vigilantissima per Curiam nostram
„ super talibus habenda inquisitione, in impudicitiæ sor-
„ dibus versari deprehensi, indignationi nostræ, ad sa-
„ crorum Canonum & Concilii Tridentini præscriptum,
„ experiantur severitatem.

„ Quia Deo militantes, nec lucrum sectari, nec nego-
„ tiis sæcularibus implicari decet: ideo nullum mercatu-
„ ræ aut negotiationis genus, per se vel per alium exer-
„ ceant; aliena prædia, reditus, vectigalia non condu-
„ cant, nec ulla cum conductoribus communione jun-
„ gantur; fructus, bona, jura suorum Beneficiorum fi-
„ deliter, & diligenter tuentes, aliena non usurpent.
„ Publicis Universitatum Conciliis non intersint, nec ea-
„ rum negotiis se immisceant. Tabellionatus in profanis
„ rebus officium non capessant. Non advocati vel procu-
„ ratoris, extra casus a jure permissos, & absque nostra
„ licentia, munus suscipiant; nec pariter fidejussoribus
„ pro locis, sine dicta licentia, inserviant. Non aliis
„ Clericis in occupatione vili, nec sæcularibus personis,
„ præcipue fœminis, in ulla re, ne in procurandis qui-
„ dem negotiis, aut domus gubernatione, famulentur.
„ In nullo demum commercio, officio, aut arte sæcula-
„ ri, præsertim inhonesta ac sordida ullatenus versentur.
„ Qui in aliquo ex præmissis deliquerit, se pœnis juris,
„ aliisque arbitrio nostro, severe puniendum noverit ".
Super venatione, videatur Tom. 7. Tr. 6. c. 3. q. 8. Super ebrietate, videatur T. 7. Tr. 7. c. 3. q. 13. Super castitate, videatur Tom. 7. Tr. 7. c. 1. q. 13. & 14 Super ludo, videatur Tom. 1. Tr. 6. c. 4. Videatur in fine hujus Tom. 5. Edictum Cardinalis Cantelmi, Archiepiscopi Neapolitani.

In Synodo etiam Auximana Antonii Mariæ Cardinalis Galli (*ann.* 1593. *De vita & honest. Cler. c.* 11.) sic decernitur: „ Ludos omnes alearum & taxillorum fo-
„ mites otii, infamiæ ministros, mendaciorum, perjurio-
„ rum, blasphemiarum, & scelerum omnium parentes,
„ Cle-

„ Clericis districte prohibemus. Nec solum ludere inter-
„ dicimus, sed etiam eos prohibitorum ludorum specta-
„ tores aut participes esse nolumus; nec lusores in pro-
„ priis ædibus recipere & permittere; sique aliquis in
„ præmissis deliquerit, præter alias pœnas a Sacris Cano-
„ nibus impositas, graviter etiam arbitrio nostro pu-
„ nietur".

Eadem fere Decreta reperiuntur in eleganti Synodo Venusina, quam Episcopus Andreas Perbenedictus congregavit: „ Caveant, *inquit*, Clerici omnes cujusvis ge-
„ neris, ne personati incedant, ne choreas publicas vel
„ privatas agant, nec comœdiis aliisve profanis & inani-
„ bus rerum spectaculis intersint, diurno vel nocturno
„ tempore: ne cœtibus se immisceant, in quibus ama-
„ toria & turpia decantantur: neque nocturno tempore
„ vagentur, nisi justa de causa, & tunc cum lumine post
„ secundam noctis horam; neque etiam in nuptialibus
„ laicorum conviviis, aut mensis, operam suam ulli præ-
„ stent ad canendum, vel inserviant; & omnino publica
„ convivia, & comessationes, & compotationes vitent,
„ maxime quibus intersunt mulieres suspectæ. Et quia in
„ cauponis & tabernis, ac in cellis vinariis deesse non
„ solent flagitiorum occasiones; ideo omnibus Clericis
„ earum usum, & aditum interdicimus, nisi in itinere,
„ necessitatis causa. Et denique nullum venationis ge-
„ nus a sacris Canonibus eis vetitum exerceant, ac ne-
„ mini ipsorum canes, aut accipitres, vel ejus generis
„ alia ad venandum habere liceat, atque alere ipsi non
„ præsumant. Neque audeant se immiscere taxillorum,
„ seu tesserarum, alearumque seu chartarum ludis, aliis-
„ que minus honestis & licitis, neque eis interesse, nec
„ quemquam ludentem in ædibus suis admittere, sub
„ pœna 23. ducatorum operibus piis applicandorum, &
„ carceris, arbitrio nostro". Cardinalis Bonifacius Cajetanus sic etiam statuit (*Syn. Tarentina ann.* 1614. *tit.* 28.): *Alearum, tesserarum, & taxillorum ludos Clericis omnino interdicimus.*

Concilium Provinciale Beneventanum Cardinalis Jacobi Sabellii (*anno* 1567. *De vita & honest. Cler. c.* 8.) statuit his verbis: „ Præcipimus Clericis, ne cum ipsos
„ spectaculum fieri oporteat mundo, Angelis, & homi-
„ nibus, spectaculis ab eorum vitæ ratione alienis, & quæ
„ Christum non sapiunt, intersint. Itaque comœdias, fa-
„ bulas, choreas, hastiludia, aut ludicrum & profanum
„ ullum spectaculi genus ne agant, vel spectent. Nec
„ talis, tesseris, pagellis pictis, & omnino alea, aut ul-
„ lo præterea vetito, aut indecoro ludi genere ludant,
„ neve ejus spectatores sint, nec in eorum domibus ludere
„ permittant; pilæ vero ludum, & illorum globorum,
„ qui malleis propelluntur, in locis publicis, aut pecunia
„ intercedente, nullo modo exerceant".

Et in Concilio Provinciali Salisburgensi, a Summo Pon-

Pontifice Gregorio XIII. expresse approbato (*anno* 1568. *Constit.* 17. *de aleis*), prohibetur: „ Ne Clerici in majoribus Ordinibus constituti, ad aleas, taxillos, vel „ chartas, neque etiam in privato lucri gratia in pecu- „ nias ludant: cui nostro statuto si quispiam contrafece- „ rit, juxta Canones puniatur: & si quis sæpius, vel in „ hospitio publico, aut alias palam idem perpetraverit, „ duplici pœna plectatur ".

In Concilio quoque Provinciali Salernitano (*anno* 1565. *De vita & hon. Cler. c.* 2.) statuitur inter alia, quod „ Clerici, sive in Ecclesia, sive extra, habitum ta- „ larem induant; cum vero iter sunt facturi, tunc habi- „ tum contractiorem gestare eis liceat, infra tamen ge- „ nua ... comœdiis aliisque profanis repræsentationibus „ nullo pacto intersint; alearum ac talorum ludos omni- „ no eis interdicimus, neque hujusmodi ludorum specta- „ tores esse patimur. Si vero valetudinis causa, parva pi- „ la, vel non indecenti alio ludi genere, exercere se se „ contigerit, id non publice fiat, neque in eis pecunia „ intercedat, vel si intercedat, minima sit".

Similia decernit Episcopus Nolanus, Fabritius Gallus, in Synodo (*Syn. Nolana an.* 1588. *de Vita & hon. Cler. c.* 6.): „ A venationibus, *inquit*, fabulis, comœdiis, „ hastiludiis, choreis, amatoriis cantilenis, comessatio- „ nibus, & ebrietatibus: a taxillorum, tesserarum, pi- „ ctarumque pagellarum lusu, publice & privatim ita „ abstineant, ut illorum non modo factores, sed nec spe- „ ctatores sint".

Lucius Sanseverinus, Archiepiscopus Rossanensis, harum circa Clericos prohibitionum aliquam rationem insinuat his verbis (*Syn. Rossanen. anno* 1598. *c.* 10.): „ Cle- „ ricorum honestatem magnopere ludus offendit: statui- „ mus, quod nedum aleis, taxillis, aliisque hujusmodi „ ludere ullo modo præsumant, sed nec ad ludorum, co- „ mœdiarum, aliudve publici spectaculi genus prospi- „ ciendum accedant, sub pœna carceris bimestris ".

Præterea Cardinalis Ptolomæus Gallus, dictus vulgo Comensis, in Synodo Sabinensi (*anno* 1590. *c.* 1.) statuit: Clerici *fœminas nobiles, aut alias cujusvis generis mulieres non comitentur, nec eis famulentur, aut in earum domibus sine licentia nostra, vel Vicarii nostri, commorentur. Lusus cartarum aut taxillorum non exerceant, nec ludentibus locum præbeant; & hoc sub pœna decem aureorum pro qualibet vice, qui Ecclesiæ, aut aliis piis locis applicentur. Puniantur etiam Clerici, qui ludorum, chorearum, & spectaculorum spectatores fuerint.*

Nec prætereundum duxi salubre Decretum Concilii Provincialis Mediolanensis septimi a Federico Cardinali Borromeo congregati (*an.* 1609. *de Missis*), in quo sic habetur: „ Quoniam compertum est, Clericos, qui sunt in „ hominum sæcularium famulatu, indignis plerumque „ eo gradu ministeriis occupari; decet autem clericalem „ di-

„ dignitatem ab omni genere ſordium, quoad ejus fieri „ poteſt, puram atque integram conſervari; Statuimus, „ Decreto Concilii primi inhærentes, ne quis in poſte- „ rum Clericus ſacris initiatus, cujuſquam famulatui, „ vel ad inſtituendos pueros, vel ad aliud quodvis mu- „ nus & officium obeundum, ſe ſe addicat, niſi permiſ- „ ſu Epiſcopi. Hortamur autem Epiſcopos omnes, ut „ dandis hujuſmodi facultatibus velint eſſe parciſſimi, „ atque eam maxime cautionem adhibeant, ut vir, in „ cujus ille famulatu futurus eſt, tam numeroſa familia „ ſit inſtructus, ut credi veriſimiliter poſſit, ejus opera „ ad rem ullam ſordidam atque indignam non eſſe uſu- „ rum. Cui vero hæc facultas conceſſa fuerit, ſexto quo- „ que menſe coram Vicario generali ſe ſiſtat, & ad men- „ ſtruas Congregationes conveniat. Qui contra fecerint, „ arbitrio Epiſcopi, pœna etiam pecuniaria plectantur". Unde etiam Innocentii Papæ XII. juſſu ſcriptæ ſunt litteræ circulares ad Epiſcopos, quarum exemplar repe- ritur inſertum Synodo Bononienſi Jacobi Cardinalis Bon- compagni, an. 1698. ut ſequitur.

Litteræ circulares, juſſu Sanctitatis ſuæ, ab Eminentiſs. Cardinali Carpineo tranſmiſſæ: ne Sacerdotes, cum eorum ſtatus dedecore, laicis inſerviant.

Eminentiſſimo e Reverendiſſimo Signor mio oſſervandiſſimo.

TRA le più aſſidue ſollecitudini, che occupano la mente zelantiſſima di noſtro Signore per il bene ſpirituale della Chieſa, una ſi è di conſervare, e ravvivare nel ſuo vero decoro la ſantità, e dignità del Sacerdozio; poichè dipendendo da gli Uffizj di queſt' Ordine l' iſtruzione, la correzione, e la ſantificazione de' fedeli, conviene ancora, che l' eſemplarità della vita, e la gravità de' coſtumi ſia in eſſo così diſtinta, e ſuperiore ad ogni altro, che corriſponda alla ſublimità del grado, e al fine della ſua iſtituzione.

Quindi è, che con l' oracolo di ſua viva voce ha ſua Beatitudine ordinato, che ſi ſcriva a tutti i Paſtori di Dioceſi la preſente lettera circolare, a fine di eccitare una più eſatta vigilanza in proccurare l' adempimento e oſſervanza delle Ordinazioni de' Sacri Concilj ecumenici, e ſpezialmente di quello di Trento, in ordine all'oneſtà della vita del Clero, e ſingolarmente in non permettere, ed onninamente impedire, che i Sacerdoti non s' impieghino in uffizj vili del ſecolo, e de' laici, e ſpezialmente di donne, impropri a Miniſtri dell' Altare, ed al carattere ſacroſanto: il quale quando venga conferito ſecondo le diſpoſizioni del ſacro Concilio di Trento, e con l' attuale ſervigio di una Chieſa, ceſſerà l' occaſione di ſimili ſcandali, e ſi toglierà all' ozioſità, e po-

vertà di un numero ſtraordinario, e diſapplicato, ogni ſcuſa ó compatimento per tollerargli, contra i ſagri divieti, in impieghi abbietti e indecenti.

Saprà Voſtra Eminenza, col fervente ſuo zelo, conformarſi coll' eſecuzione a quello di ſua Beatitudine, comunicando queſti medeſimi ſentimenti della Santità ſua a i Prelati ſuoi Suffraganei. Ed a Voſtra Eminenza bacio per fine umilmente le mani.

Di V. Eminenza.

Roma 16. Marzo 1697.

Umiliſs. e Affezionatiſs. ſervo
G. Card. Carpegna.

Quæſt. 5. Peccant-ne qui ſuſcipiunt Tonſuram abſque intentione perſeverandi in ſtatu Eccleſiaſtico?

Reſp. Quamvis abſolute quis non teneatur perſeverare in ſtatu Eccleſiaſtico poſt ſuſceptam Tonſuram; certum tamen eſt, eos graviter peccare, qui eam ſine tali intentione recipiunt; quia impudenter ſuo mentiuntur Epiſcopo, & Eccleſiam decipiunt in re graviſſima, ſi in animo habent occultam voluntatem, aut intentionem, data prima occaſione, ſubducendi ſe ab ejus ſervitio, tunc cum ſolemniter proteſtantur coram Deo ſuiſque Altaribus, velle ſe penitus divino cultui mancipare. De illis profanatoribus dici poteſt, qui tam indigne hanc ſanctam cæremoniam tractant, illud Actuum Apoſtolorum (*c.* 5.): *Non es mentitus hominibus, ſed Deo.* Et cum tali fallacia utuntur, Eccleſiaſticum ſtatum amplectendo, utique non intrant per oſtium, quod ipſis occluderetur, ſi ſciret Epiſcopus, eos id vitæ genus non elegiſſe, ut perpetuo permanerent in Eccleſia Dei: juxta Decretum Concilii Tridentini (*ſeſſ.* 23. *de refor. c.* 3.), in quo ſic habetur: *De quibus probabilis conjectura ſit, eos ut Deo fidelem cultum præſtent hoc vitæ genus elegiſſe.* Proindeque fures ſunt & latrones, ut ait Chriſtus Dominus in Evangelio (*Jo. c.* 10.): *Qui non intrat per oſtium in ovile ovium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt & latro*; & eo quidem magis rei, quod domeſtici fures ſunt.

Enimvero non alia plerumque intentione Clericatum ſuſcipiunt, quam ut Beneficium aliquod quamprimum conſequantur, & Tonſura prorſus abutuntur propter fines omnino temporales & ſæculares, nullo modo reflectendo ad terribile judicium, in quo Deo reddent rationem fidei publice & ſolemniter præſtitæ, cum Deum in hæreditatis partem ſuſceperunt, & omni bonorum ſæcularium affectui penitus renunciarunt.

Hac de cauſa ſic dicitur in Concilio Toletano (10. *Can.* 6. *anno* 616.): *Quiſquis vel abolitione Tonſuræ, vel*

vel sæcularis vestis assumptione, detectus fuerit attigisse transgressionem, excommunicationis censuram accipiet.

Concilium Mexicanum (*ann.* 1585. *lib.* 1. *tit.* 4. §. 2.) ait; *Nullus nisi prius juramento præstito de intentione permanendi in habitu Clericali admittatur, nec ad primam Tonsuram promoveatur.* Tarantina Synodus a Bonifacio Cardinali Cajetano edita, tit. 26. c. 2. idem exigit. Statuta Ecclesiæ Rhemensis anno 1633. cap. 15. ita habent: *Nulli Tonsura detur, nisi idoneo, & postea ad sacros Ordines probabiliter ascensuro: quid enim opus mittere panem filiorum canibus, & spiritualia mundi amatoribus?*

Quæst. 6. Quanam ætate conferenda est prima Tonsura?

Resp. Ut ait Concilium Coloniense (*anno* 1556. *p.* 1. *c.* 27.): „Quid indecorum magis, quam admoveri in„fantes qui non intelligant, quid agatur: imo ne ca„piant quidem, quid Clerici nomen significet? Qui e„nim in Clerum alleguntur, rem profitentur minime ri„diculam: nempe se particulariter in sortem Domini ad„scitos, quibus post hæc omnia sordeant, ac solus Do„minus sors & pars hæreditatis futurus sit". Quare in variis statutis Synodalibus cavetur, ne Tonsura iis conferatur qui decimum quartum ætatis annum non attigerint, quæ est vera discretionis ætas: & Eminentissimus Cardinalis Grimaldi Archiepiscopus Aquensis in suis statutis Synodalibus ait (*de Sacr. Ord.*) *Circa primam Tonsuram, e qua velut e radice totius Ecclesiastici Ordinis integritas pendet, statuimus neminem illa fore initiandum, qui natus non sit ad minus annorum quatuordecim.* Ex dictis de hoc Ecclesiastici status ingressu, colligere facile licet, hanc ætatem omnino expectandam ordinarie esse, ne pueri leviter in Ecclesiam introducantur, qui, præ ætatis infirmitate, satis ponderare non possunt fidem, quam solemniter Deo præstant coram sacris ipsis Altaribus.

Quæst. 7. Clerici non Beneficiati tenentur-ne gestare Tonsuram, & capillos breviores, ac vestem talarem?

Resp. Cum Tonsura sit dispositio, & veluti institutio seu novitiatus ad Ordines suscipiendos, sequitur a Tonsuratis deferri debere habitum Ecclesiasticum, dum permanent in intentione perseverandi in hoc sancto statu; ut enim ait sanctus Carolus (*Conc. Mediol.* 4. *tit. quæ pertinent ad Sacr. Ord.*) *Quoniam prima Tonsura ad Ordines suscipiendos quædam præparatio iis est, qui Dei Ministerio dicandi sunt.* Enim vero justum plane & æquum est, ut hic tanti ponderis novitiatus, qui est ingressus in magnæ perfectionis statum, eodem modo peragatur ac reliqui novitiatus, habitum conditioni suæ convenientem deferendo. Quomodo enim Episcopus certus esse posset, eos in exercitio officiorum sacrorum Ordinum, quos illis esset collaturus, fideles fore, & perseveraturos in vita exemplari, & in Ecclesiastico homine digna, si illos a primo ingressu non sine contemptu vi-

deat negligere illius ſtatus indicia? Nonne e contrario judicare debet Epiſcopus, eos non, *Ut Deo fidelem cultum præſtent, hoc vitæ genus elegiſſe*, ut ait Concilium Tridentino (*ſeſſ. 23. de refor. c. 4. Pontifical. Rom.*): *Et ad deponendum comas capitum pro ejus amore non feſtinaſſe*, cum tam cito veſtes mutent, comas creſcere ſinant, quibus oſtendunt id, quod ait S. Auguſtinus (*lib. unico de contemptu mundi*): *Quiſquis igitur Clericus ad ſortem Domini vocatus, comam nutrit, & capillos radere vel tendere erubeſcit profecto ſe non de Dei, ſed de mundi ſorte eſſe teſtatur?* Quare licet Concilia, & ſummi Pontifices adigentes Clericos, ut geſtent veſtem ſtatui congruentem, videantur in pœnis, quas ſtatuunt, eos tantummodo complecti, ſeu involvere, qui ſunt in Ordinibus ſacris, aut aliquod Beneficium poſſident; id unice contingit, quia cum Eccleſia de internis judicare non poſſit, merito præſumit, Clericos deponentes veſtem Clericalem, ſimul depoſuiſſe intentionem, quam habuerant perſeverandi in Eccleſiæ ſtatu; ac proinde iis pœnis ſubeſſe nequeunt, quæ ſolos Clericos complecti videntur; ideoque eos privilegiis omnibus & commodis ad Clericalem ſtatum pertinentibus privat, & eos tantum ut Laicos conſiderat, juxta illud Concilii Tridentini (*ſeſſ. 23. de refor. c. 6.*): *is etiam fori privilegio non gaudet, niſi Beneficium Eccleſiaſticum habeat, ut Clericalem habitum & Tonſuram deferat; quoniam ignominiam ſæcularis habitus*, juxta Pontificale Romanum, quam depoſuerant, iterum induunt.

Plures Synodi eos ſacris Ordinibus indignos plane declarant, aut Beneficium aliquod poſſidendi. Synodus Aquenſis ab Eminentiſſimo Cardinali Grimaldo edita ait (*Stat. de Sacram. Ord ab Emin. Card. Grimaldo Archiep. Aquenſi §. 1.*); „ Clericali Tonſura initiatos, „ illam ſemper deferre, & in habitu Clericali continuo „ incedere Dominicis & diebus feſtis cum ſuperpelliceo „ in Eccleſia Parochiali deſervire, & Sacerdotibus miniſtrare, præcipimus & jubemus; Si ſecus fecerint, „ privilegiis Clericatus ſui non gaudere, & ab Ordinibus ac Beneficiis rejiciendos tamquam inhabiles declaramus".

Synodus Nucerina de Sacramento Ordinis ait: „ Quis „ Clericalem habitum Epiſcopi authoritate ſuſceptum, „ eo inconſulto, depoſuerit, non ſolum graves ejuſdem „ arbitrio pœnas luet: ſed ſciat etiam, ſe omni ſpe ulterius in Ordinibus progrediendi, aut eumdem habitum obtinendi, cariturum".

Theodorus quoque Balſamon, Patriarcha Antiochenus, in Canones Apoſtolicos ſcribens, ait (*Can. 62.*): „ Si „ quis Clericus, propter metum humanum, vel Judæi, „ vel Græci, vel Hæretici, negaverit; Si quidem nomen „ Chriſti, ejiciatur: Si autem nomen Clerici, deponatur; pœnitentiam autem agens, ut Laicus recipiatur.

„ No-

„ Nota, Ex hoc, quod qui Tonsuræ signaculum, seu
„ characterem acceperunt, & deinde in Lectorum Ordine
„ constituti sunt; si sacras vestes projecerint, & instar
„ Laicorum conversati fuerint, non possunt quidquam ut
„ Lectores agere. Si rursus ad Cleri habitum redierint;
„ vel etiam Monachi facti fuerint, sed ut Laici vitam
„ agent. Si enim qui, propter metum, Clericatum suum
„ negavit, deponitur, & tanquam Laicus solum post Pe-
„ nitentiam admittitur, multo magis, qui talem sua spon-
„ te abnegationem admisit, & sanctum amictum illusit,
„ dignus priori Ordine non censebitur". Optandum cer-
te foret, ut hæc disciplina etiam nunc servaretur.

Hujus disciplinæ aliquam speciem reperimus in recenti Synodo Cremensi (*an.* 1688. *c.* 14.), in qua sic habetur:
„ Qui Clericalem habitum semel legitime sumptum di-
„ miserit, & instar laici, animo iterum illud sumendi,
„ per dies in publicum prodierit; si postea, Nobis in-
„ consultis, dimissum Clericalem habitum ausu temera-
„ rio reassumpserit, noverit se omni spe frustratum in
„ posterum clericandi". Videatur id quod dictum est Tom. 2. Tr. 1. c. 6.

Et in Synodo Derthonensi (*ann.* 1687. *De Vita & honest. Cler.*) decernitur: „ Quemadmodum nulli habi-
„ tum Clericalem assumere licet, nisi de licentia & ap-
„ probatione Ordinarii; ita nemini fas est, etiam si pri-
„ ma tonsura sit insignitus, eum denuo induere, quem
„ semel deposuit, aut reliquit: imo declaramus, hunc
„ prorsus privatum esse potestate deferendi habitum Cle-
„ ricalem, suspensumque esse ab aliis Ordinibus sacris
„ imposterum suscipiendis, & pœna carceris punitum iri,
„ sine spe ut denuo in Ordinem Clericalem admittatur,
„ nisi evidenter ex probatione morum eum resipuisse con-
„ stiterit; quo casu, si ex sanctitate muneris, quod obi-
„ re debet, futurus verus Ecclesiæ minister dignoscetur,
„ eidem habitum deferendi nova in scriptis, arbitrio no-
„ stro, si placuerit, concedi poterit".

Omnes Canones, quibus Ecclesiastici viri Tonsuram, & habitum Ecclesiasticum ferre tenentur, simplices quoque Clericos complectuntur, æque ac eos, qui ad Ordines sunt promoti, soloque Clerici nomine semper utuntur, sub quo sine dubio Tonsurati comprehenduntur. Quamobrem celebris ille Guillelmus Episcopus Parisiensis, in Synodo sic habet: „ Præcipitur Presbyteris, ut
„ Clericos, cujuscumque sint Ordinis, in Parochia sua
„ commorantes moneant, quod Tonsuram congruentem,
„ & honestum habeant habitum juxta Canones, & si a-
„ liqui in hoc inobedientes, vel rebelles fuerint, moni-
„ tione præmissa, ab ingressu Ecclesiæ arceantur".

Concilium Bituricense (*ann.* 1584.) expresse etiam de omnibus Clericis loquitur: *Clerici omnes Tonsuram gerant, crines calamistratos aut retortos non habeant, vestibus talaribus utantur.*

Et in præclara Synodo Farfensi (*sub Carolo Cardin. Barberino c. 13. n. 3. pag. 130.*) sic habetur: *Ad sacram militiam jam admissi, sibi deinceps in Clericali habitu & tonsura incedendum esse meminerint, si quidem privilegiis Clericalibus gaudere, & ad Ordines ascendere volunt*. Vide Tom. 2. Tr. 1. c. 9. q. 1. & 2.

Hoc decretum distinctius exponunt plura Concilia Provincialia, præsertim Italiæ, & Synodus bene multæ, ut videre est Tom. 2. *Clerici veste talari utantur*, inquit Archiepiscopus Genuensis, Dominicus de Marini, in Synodo (*Synodus Genuen. ann. 1619. De Vita & honest. Clericor.*), *quæ dicitur sottana: quæ itinerantibus permittitur brevior aliquantulum, dummodo ad media crura pertingat*.

Celebris Cardinalis Joannes Moronus, in Synodo Novariensi (*De vita & hon. Clericor. ann.* 1553.) sic decernit: „ Statuimus, quod omnes Clerici & Sacerdotes, „ & alii in Sacris Ordinibus constituti, & Ecclesiastica „ Beneficia obtinentes in Civitate nostra, vel Diœcesi „ Novariensi, termino decem dierum, induant se vestibus superioribus usque ad talos, quæ non sint sericeæ ".

Cardinalis Uldericus Carpineus, in Synodo Eugubina (*an. 1638. de vita & hon. Clericor.*) statuit, „ quod „ omnes tam Sacerdotes quam Clerici in quocumque ordine constituti, veste usque ad talos demissa utantur, „ & breviorem non nisi itineris causa adhibeant ".

Lucius Sanseverinus, Archiepiscopus Rossanensis, in Synodo (*an. 1592. de vita & honest. Cler. c. 3.*) decernit: „ Omnibus Clericis, & Presbyteris quibuscumque „ Diœcesis nostræ mandamus, quod talari veste semper „ utantur, omni tempore ad talos extensa: itinerantibus tamen contractiori veste concessa, quæ non sit a „ Clericalis modestiæ terminis aliena ".

Prolixior essem, si Concilia omnia Provincialia Synodosque afferre vellem, quæ secundum Ecclesiæ spiritum & intentionem, volunt, ut omnes Tonsurati summa cum fide religiosum hunc habitum, quo non sine honore induti sunt, cum Clericatum susceperunt, conservent. Videri possunt, quæ ea de re fusius dicta sunt, Tom. 2. Tr. 1. c. 9. ubi de veste lugubri non ferenda.

Quæst. 8. Quænam est materia propria Minorum Ordinum?

Resp. Duplex est horum Ordinum materia, remota scilicet, & proxima: instrumenta singulis ordinibus propria, sunt materia remota; & traditio eorumdem facta ab Episcopo, est materia proxima; ideoque Claves Ecclesiæ, quas Ostiarii tangunt, sunt materia Ostiariatus; Scriptura sacra Lectoratus: Liber Exorcismorum, Exorcistatus; Urceola vacua & Candelabrum cum cera, sunt materia Acolythatus: ut videre licet in Concilio Carthaginensi quarto, relato in Canone, *Acolythus*, & quinque seq. dist. 23.

Quæst. 9. Quænam est forma Minorum Ordinum?

Resp. Horum Ordinum forma verbis continetur ab Episcopo prolatis, cum porrigit ordinandis instrumenta cuique propria, ut videre licet ex Decreto Eugenii Papæ in Concilio Florentino: *Et sic de aliorum formis, prout in Pontificali Romano late continetur.*

Quæst. 10. Est ne necesse ad validitatem Sacramenti, ut ordinandi vere & realiter tangant instrumenta, quæ sunt materia remota Ordinum, quos suscipiunt?

Resp. Sanctus Thomas, & post ipsum celebriores Theologi affirmant (*in suppl. q.* 34. *art.* 5. *ad ult.*). *Ipsa verba formæ*, inquit, *videntur ostendere, quod tactus materiæ sit de essentia Sacramenti, quia dicitur; Accipe hoc, vel illud.* Requiritur etiam, ut ordinandi tangant hæc instrumenta eodem tempore, quo Episcopus profert verba formæ, quia materia debet esse conjuncta formæ; id tamen intelligitur moraliter, & non rigorose; quare licet intercederet breve aliquod intervallum inter tactum, & prolationem verborum formæ, censentur tamen unita materiæ; moraliter etiam accipi debet tactus, qui requiritur, ideoque sufficit tangere instrumentum continens, quamvis non tangatur contentum in illo: sicut sufficit, quod ordinati in Presbyteratum tangant Calicem, licet non tangant vinum, quod continetur in Calice.

Quæst. 11. Quodnam est Ostiarii Officium?

Resp. Officia Ostiarii exacte describit sanctus Carolus in Concilio Mediolanensi primo (*tit. de Ostiario*), his verbis: „ Ostiarius fores Ecclesiæ custodiat: Ecclesiam „ suo tempore claudat & aperiat; Infideles & Hæreticos, excommunicatos, & alios, quibus jure interdictum est, ab Ecclesia arceat & ejiciat: ne populum „ propius ad Sacerdotem rem divinam facientem accedere patiatur. Campanas pulset. In Ecclesia dormientes, vendentes, ementes, deambulantes, colloquentes, „ aliave ratione Officia divina perturbantes, & quovis „ modo indecore, atque irreverenter se habentes moneat; si pertinaces sint, expellat, aut ad superiorem „ deferat; mendicantes excludat, Ecclesiam verrendam „ curet. Bruta denique canesque expellat, quidquidve in „ Ecclesia dedecet, amoveat.“.

Quæst. 12. Quodnam est Lectoris Officium?

Resp. Lectoris Officium magni semper ponderis in Ecclesia visum est: unde Concilium Carthaginense quartum, relatum in Canone (*Lect. dist.* 23. ait: *Lector cum ordinatur, faciat de illo Episcopus verbum ad plebem, indicans ejus fidem, ac vitam, atque ingenium; post hæc, spectante plebe, tradat ei codicem de quo lecturus est, dicens ad eum, Accipe & esto relator verbi Dei, habiturus, si fideliter & utiliter impleveris Officium, partem cum eis, qui verbum Dei bene administraverunt ab initio.* Et in Pontificali Romano sic habetur:

betur: *Lectorem oportet legere ea quæ prædicat, & lectiones cantare, & benedicere panem & omnes fructus novos.* Sanctus quoque Carolus in Concilio Provinciali primo, de Lectore ait: *Pueros, si ita Episcopo videatur, prima fidei rudimenta docent.*

Quæst. 13. Quodnam est Officium Exorcistæ?

Resp. Exorcistæ in Ecclesia stabiliti sunt, ut ipsius Domini nostri Jesu Christi officio fungantur, dæmones e possessorum corporibus expellendo; nunc quidem hoc munus plerumque non obeunt, quia ab Episcopis Presbyteris committitur frequentius. Exorcistarum est, ut ait Pontificale Romanum, *Dicere populo, ut, qui non communicat, det locum. Exorcistæ est aquam in ministerio fundere.* Observare quoque debet, ne aqua benedicta deficiat; & Parocho servire in Baptismi administratione, in Exorcismis qui fiunt in hujus Sacramenti cæremoniis, ut diximus loquendo de Baptismo.

Quæst. 14. Quodnam est Acolythi officium?

Resp. Acolythi officium est sequi & inservire Diaconis & Subdiaconis in Ministerio Altaris. Præterea eidem conceditur facultas parandi vinum & aquam in urceolis ad peragendum Sacrificium; quod ut rite fiat, hoc etiam Acolythorum munus est. Traditur ei etiam potestas deferendi accensos cereos, cum Missæ Sacrificium celebratur, præsertim vero cum Evangelium legitur: & ideo a Latinis Acolythi, Ceroferarii dicuntur, ait enim Yvo Carnotensis (*in serm. De Excel. Sacram. Ord.*): „ Acolythi, qui latine dicuntur Ceroferarii, quia „ cereos accensos deferunt, dum legitur Evangelium, vel „ dum offertur Sacrificium, non ut tenebras hujus aeris „ illuminent; sed ad hoc, ut sicut visibile lumen mani- „ bus gestant, ita opera lucis, errantibus viam, in tene- „ bris palpantibus ducatum præstent". Eæ enim tenebræ solo Evangelio dissipantur. Unde Christus Dominus asserit, se venisse, ut hoc officium Acolythorum exerceret, cum ait (*Joan. c.* 8.): *Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.*

Quæst. 15. Cum quatuor Minorum Ordinum officia tanti sint ponderis, nonne deberent in usum revocari in Ecclesia Dei?

Resp. Non hodie tantum gemitibus & suspiriis optat Ecclesia antiquæ disciplinæ restitutionem tam utilem, ut Deo majori cum decore & diligentia in templis divinæ Majestati dicatis serviatur. Certum enim est, quod si diversa hæc officia exercerentur ab iis, qui horum Ordinum spiritum ordinatione recepissent, & qui ad hæc munera specialiter a suis Episcopis fuerunt destinati, divinus cultus majori cum gratia & reverentia fieret, minimeque dubium est, quin hoc exercitium majorem venerationem in populorum animos inspiraret, cum tremendorum Mysteriorum Christianæ Religionis celebra-

tio-

ftioni interfunt. Clerici quoque horum diverforum Ordinum exercitio ad facros Ordines promoti, facilius & plenius Dei gratias haurirent, verumque fui ftatus fpiritum acciperent, dum fideles fe præftarent Miniftros in Minorum Ordinum functionibus. Poffent etiam Epifcopi, majore cum facilitate, hac adhibita probatione, eos eligere, quos Sacerdotio dignos & idoneos effe pueos idoneofque judicarent, qui populum fibi commiffum regerent, & inftruerent.

Unde Concilium Tridentinum (*feff. 23. de refor. c. 7.*) fummo cum defiderio volens hanc difciplinam fecundum facros Canones reftituere, ex qua magnos fructus & commoda fperare poffet Ecclefia, fic loquitur: „ Ut „ fanctorum Ordinum a Diaconatu ad Oftiariatum fun„ ctiones, ab Apoftolorum temporibus in Ecclefia lau„ dabiliter receptæ, & pluribus in locis aliquandiu inter„ miffæ, in ufum juxta facros Canones revocentur, nec „ ab Hæreticis tamquam otiofæ tradantur; illius pri„ ftini moris reftituendi defiderio flagrans fancta Syno„ dus decernit, ut in pofterum hujufmodi minifteria, „ nonnifi per conftitutos in dictis Ordinibus exerceantur, omnefque & fingulos Prælatos Ecclefiarum in „ Domino hortatur, & illis præcipit, ut quantum fieri „ commode poterit, in Ecclefiis Cathedralibus, Colle„ giatis & Parochialibus fuæ Diœcefis, fi populus fre„ quens & Ecclefiæ proventus id ferre queant, hujuf„ modi functiones curent reftituendas, & ex aliqua par„ te redituum aliquorum fimplicium Beneficiorum, vel „ Fabricæ Ecclefiæ, fi proventus fuppetant, aut utriuf„ que illorum, eas functiones exercentibus ftipendia affi„ gnent. Quibus, fi negligentes fuerint, Ordinarii judicio „ aut ex parte mulctari, aut in totum privari poffint".

Sanctus Carolus, quem folitudo Paftoralis gloriofum reddidit, quæque illius fanctitatis particularis character eft, eam imprimis manifeftavit, facri Concil. Tridentini Decreta fideliter exequendo. Ubi decreviffet in primo fuo Concilio Provinciali, ut Epifcopi omnem fuam curam impenderent, ut Minorum Ordinum functiones in ufum revocarent, efficacius de his loquitur in quarto Concilio, cum ait (*S. Carolus in Conc. Pr. 4.*): *Ut & Minorum Ordinum* functiones ad ufum revocentur, & per eos tantum præftentur, & exerceantur, qui illis conftituti adfcriptive funt, ad Tridentinæ Conftitutionis præfcriptum, hæc decernimus. Ubi Fabricæ Ecclefiæ, Capitula, Monafteria, Univerfitates, Confratriæ, Collegiave item cujufvis generis, ac alii præterea quivis homines, Laicum, Cuftodis, aut Monachi, vel alio nomine, certis etiam, olim huic muneri attributis, bominis, fructibus, reditibus, aut alio quovis modo, nominеve, etiam pro libito fub conftituta mercede, habere adhibereve folent, qui Ecclefiam cuftodiat, claudat & aperiat, Campanas pulfet, aliafve hujufmodi Ecclefiafti-

cas functiones obeat, aut alius censſus eſt quavis ratione huic ſuſtentationi attributus; ejus Laici hominis loco, Clericus deligatur, qui pro ratione Ordinum Minorum, quos ſuſceperit, earum functionum munus præſtet; atque is conſtitutam illi mercedem, aut attributos fructus reditusve capiat: qui ſi ſatis non ſint, illa vel Capitula, vel monaſteria, vel Collegia, vel alii ut ſupra, ad quos ullo modo pertinet, quod deeſt, ſuppleant.

CAPUT V.

De Ordinibus ſacris.

Quæſt. I. QUid eſt Subdiaconatus, & quænam ejus materia?

Reſp. Subdiaconatus eſt Ordo ſacer, per quem confertur gratia & poteſtas apparandi vaſa ſacra ad peragendum Miſſæ Sacrificium neceſſaria, & ad decantandam Epiſtolam in Miſſis ſolemnibus. Hic autem Ordo dicitur Subdiaconatus, eo quod Subdiaconus, in Altaris Miniſterio, Diacono, qui inter Sacrificii Miniſtros primum locum obtinet, inſerviat.

Quoad Subdiaconatus materiam, conſtat, eſſe traditionem Calicis vacui cum patena vacua ſuperpoſita, ut declaratum eſt a Concilio Carthaginenſi relato in Canone (*Can. Sub. diſt.* 3.), his verbis: *Subdiaconus cum ordinatur, patenam de manu Epiſcopi accipiat & Calicem vacuum.* Quod etiam declaratur ab Eugenio Papa in Decreto unionis his verbis; *Subdiaconatus vero per Calicis vacui cum Patena vacua traditionem confertur.* Videtur etiam ex verbis Epiſcopi, dum librum Epiſtolarum Subdiaconis tradit, porrectionem libri Epiſtolarum eſſe materiam Subdiaconatus. Sic enim legitur in Pontificali Romano: *Accipite librum Epiſtolarum, & habete poteſtatem legendi eas in Eccleſia.*

Quæſt. 2. Quid eſt Diaconatus, & quænam ejus materia?

Reſp. Diaconatus eſt Ordo ſacer, in quo confertur gratia, & traditur præcipua poteſtas miniſtrandi Epiſcopo, & Presbytero in Miſſæ Sacrificio, cui poteſtati Evangelii inter Miſſarum ſolemnia legendi facultas adjicitur. Iſta vox *Diaconus* Miniſtrum ſignificat, & iſtud nomen peculiariter Diaconis attributum eſt, quippe qui principatum obtineant in Miniſtrorum ordine, qui omnes Epiſcopos, & Presbyteros in Eccleſia deſervire ſolitos amplectitur. Omnibus igitur ordinibus Miniſtrorum præſtat Diaconatus, eo præſertim nomine, quod propius ad Altare accedant Diaconi, & Epiſcopo, ſeu Presbytero cæleſtibus Myſteriis operantibus maxime deſerviant.

Quod ſpectat ad materiam, juxta communiorem ſententiam Scholaſticorum, impoſitio manuum, & liber Evangeliorum videntur eſſe duplex materia eſſentialis

hujus

hujus Ordinis. Patet ex Concilio Carthaginensi relato in Canone (*Can. Diac. dist. 23.*), his verbis : *Diaconus cum ordinatur, solus Episcopus qui eum benedicit, manus super caput illius ponat.* Et Eugenius Papa in Decreto unionis ad Armenos : *Diaconatus vero*, ait, *per libri Evangeliorum dationem confertur.* Denique ex Pontificali Romano, in quo sic legitur, *Accipite Spiritum sanctum, &c. Accipite potestatem legendi Evangelium, &c.*

Quæst. 3. Quid est Presbyteratus, & quænam ejus materia ?

Resp. Presbyteratus est Ordo Sacer, in quo gratia, & Corpus Christi consecrandi, & illud æterno Patri in Sacrificium offerendi, necnon peccata remittendi potestas accipitur. Quoad ejus materiam, quoniam hic Ordo duplicem, eamque distinctam confert potestatem, alteram in Corpus Christi naturale, alteram in ejus Corpus mysticum, id est, Fideles, constare videtur duplici materia essentiali, nempe porrectione Calicis cum vino, & Patenæ cum pane, nec non impositione manuum Episcopi, ut patet ex Pontificali Romano, *Accipite potestatem offerendi Sacrificium, &c. Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata, &c.*

Quæst. 4. Quænam est forma prædictorum Ordinum ?

Resp. Consistit in verbis, quæ profert Episcopus sive porrigendo instrumenta cuique Ordini propria, sive imponendo manus : quæ verba in Pontificali Romano late continentur, ut habetur in Decreto Eugenii unionis Armeniorum. Inutile fore existimavi, plenius de his materiis formisque Ordinum differere, & sufficere saniorem eorum cognitionem tradere, nec diutius immorari in dissertationibus, quæ legentium mentem fatigarent, magis quam iis prodessent. Hoc solum observandum est, quod ut quis variis se expediat difficultatibus, quæ in hac materia occurrunt, stare potest sententiæ doctissimi Cardinalis Bellarmini, qui ait (*c. 9. De Sacr. Ord.*) : *Credibile autem est, Dominum instituisse istas omnes materias Ordinum, non quidem in particulari, sed generaliter monendo Apostolos, ut Ordines conferrent per cæremoniam instrumentorum, quibus significatur eorum potestas.*

Hoc modo facile erit respondere objectionibus, quæ fieri possunt circa prætensas mutationes materiæ & formæ singulorum Ordinum, & circa diversam consuetudinem Ecclesiæ Græcæ ; neque necessarium est, longius excurrere in varias quæstiones & disputationes, quæ confusionem potius, quam eruditionem ullam parerent. Vere quidem doctissimus Pater Morinus, in Commentario *De sacris Ecclesiæ Ordinationibus*, alium excogitavit medium, ut his difficultatibus satisfaceret, nimirum asserendo, materias Diaconatus & Presbyteratus sola manuum impositione contineri ; formas vero horum Ordinum constare verbis in Pontificali Romano notatis, quæque profert Episcopus, cum manus ordinandis imponit ;

nit; quod quidem ſtabilire conatur univerſali Eccleſiarum omnium traditione, quarum Pontificalia refert, quibus oſtendit, manuum impoſitionem, cum verbis ei correſpondentibus, ubique ſemper fuiſſe uſurpatam: e contra vero inſtrumentorum traditionem, cæteraque, quæ communiter materia & forma Ordinum eſſe dicuntur, ab aliquot ſæculis eſſe introducta, & ne quidem hodie in Eccleſiis orientalibus obſervari. Verum cum hæc opinio, validis licet niti videatur rationibus, non admodum tamen inter Theologos communis ſit, aut ab iis recepta, hic ſententiam communem ſequi potius exiſtimavi.

Quæſt. 5. Quænam ſunt diſpoſitiones neceſſariæ ad Ordines ſacros ſuſcipiendos?

Reſp. Patet ſanctitatem vitæ, ſpecialem Dei vocationem, ſpiritum Eccleſiaſticum, propenſionem ad ſtudium, & ingenium ad ſcientias ſtatui accommodatas comparandas, de quibus ſupra diſſeruimus agendo de diſpoſitionibus ad Ordines in communi; quæ quidem in excellentiori gradu deſiderantur in iis, qui ad ſacros Ordines promoventur; requiritur integræ & inviolabilis caſtitatis obſervatio: unde Innocentius Papa tertius relatus in Canone (*Can. A multis, de ætate & qualit. & Ordine præficiendorum.*), „ *ait*, Erubeſcant impii, & intelligant, judicio Spiritus-ſancti, eos qui in ſacris Ordinibus „ ſunt poſiti, ſi caſte non vixerint, excludendos ab omni „ eorumdem graduum dignitate: nemo ad ſacrum Ordinem „ permittatur accedere, niſi aut virgo, aut probatæ caſtitatis exiſtat". Quamobrem cum Subdiaconatus traditur, qui primus eſt ſacrorum Ordinum, monentur ordinandi, ut ſerio cogitent de cœlibatu, caſtaque vita, & obligatione, quam contrahunt, Deo ſemper, dum vivunt, ſerviendi in Eccleſiaſtico ſtatu, ſacriſque Altarium functionibus. Ideoque neceſſe eſt, ut titulum habeant ad honeſte vivendum ſufficientem; ut ait Concilium Tridentinum (*ſeſſ.* 21. *de refor. c.* 2.), his verbis: „ Cum non „ deceat eos, qui divino Miniſterio adſcripti ſunt, cum „ Ordinis dedecore mendicare, aut ſordidum aliquem „ quæſtum exercere".

Ut Epiſcopus poſſit agnoſcere, utrum qui Ordines, præſertim ſacros, petunt, ſint recte diſpoſiti, ſtatuitur in Concilio Neapolitano (*Conc. Provinc. Neapolit. an.* 1699. *inſtruct. pro Ordinandis*, §. 2. *pag.* 234.), ut „ Vicarii „ foranei, Parochi, aliive Commiſſarii, diligenter ac diſtincte referant requiſiti, ſuper capitibus infraſcriptis".

An Ordinandus, ab Ordine poſtremum ſuſcepto, habitum clericalem ac tonſuram congruentem abſque fuco vanitatis geſtarit?

An erga majoribus Ordinibus inſignitos reverenter ſe geſſerit?

An laudabili vita, an potius improba pareat, an in plateis aut officinis vagari ſolitus, & an cum laxioris vitæ hominibus converſetur?

An cum mulieribus cohabitet, & cujus ætatis illæ sint: an consanguineæ, & quo gradu? & an mulieres legere, scribere, aut canere doceat?

An, & qualiter Ecclesiæ, cui fuit adscriptus, inserviat, & quatenus exerceatur?

An Ecclesias frequentet, maxime cum Sanctissimum expositum fuerit, sive ad infirmos defertur, aut Processiones sive Conciones habentur?

An & quatenus Parochos adjuvet in Doctrina Christiana, aliisque sacris functionibus?

An sacramentorum usum frequentet, & quoties in mense?

An solitus sit arma deferre, aut sæcularibus se immiscere? & quatenus? an ludis illicitis, aut comœdiis vacet, sive intersit, & an licitis publice?

An laicorum servitio sit addictus; & an officio statu Clericali indigno?

Quæst. 6. Quotuplex est titulorum genus, sub quibus ordinari possunt Subdiaconi?

Resp. Per multa sæcula non licebat ordinare Ministros, nisi propter necessitatem Ecclesiarum: ac proinde nullus erat titulus ad recipiendos Ordines præter titulum alicujus Beneficii, juxta dispositionem Concilii Chalcedonensis relati in Canone his verbis (*Can. Sanctorum, dist.* 70.): „ Sanctorum Canonum statutis consona sancitione decernimus, ut sine titulo facta ordinatio irrita habeatur, & in qua Ecclesia quilibet ordinatus est, in ea perpetuo perseveret “.

Verum progressu temporis indultum est Episcopis, ut promovere possent ad Ordines sub titulo patrimoniali. Quare Concilium Tridentinum (*sess.* 21. *de refor. c.* 2.) ait: „ Patrimonium vero vel pensionem obtinentes, ordinari posthac non possunt, nisi illi quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum “. Hinc triplex distingui solet titulus, nimirum Beneficii, Patrimonii, vel paupertatis, quam solemni voto in approbato quopiam Ordine quis professus fuerit.

Quæst. 7. Quænam esse debent qualitates titulorum Beneficii, aut Religiosæ paupertatis?

Resp. Beneficium debet pacifice possideri, & sufficere ad alendum eum, a quo obtinetur. Titulus Religionis censetur sufficiens ad Ordinum susceptionem, dummodo juxta Constitutionem Pii Papæ quinti, de qua sanctus Carolus in Provinciali Concilio secundo ita loquitur: „ Ut quod summus Pontifex Pius quintus in explicatione Decreti Concilii Tridentini, quod est sess. 22. cap. 2. constituit, executionem habeat; Episcopus nec Clericum ullum regularem, neque sæcularem, qui regularium more, in communi vitæ disciplina sit, Beneficiumque Ecclesiasticum non habeat, Ordinibus sacris adscribat, nisi a superiore fidem ille attulerit, se

„ Re-

„ Religionis, cui ille adscriptus est, professionem con-
„ fecisse: juratusque affirmet scripto manu sua subsignato
„ coram Episcopo, se id sponte fecisse, aut ratum ha-
„ buisse; illud autem scriptum in Archivio asservandum
„ Episcopus curet “.

Conventus Cleri Gallicani anni 1628. 1635. 1645. art. 18. præterea desiderat, ut aliam conditionem exigant Episcopi a Religiosis ordinandis, his verbis: Cum experientia constet, plures Regulares propter diversas causas a domibus religiosis expelli, & societatibus, postquam sacros Ordines susceperunt titulo societatis, & paupertatis religiosæ; & ubi ex talibus Monasteriis sunt expulsi, omni titulo carere, pauperes & indigentes cum contemptu & opprobrio Ecclesiæ, quod sacris Canonibus prorsus contrarium est; ut iis incommodis obviam eatur, Episcopi deinceps cavebunt, ne Religiosum aliquem ad sacros Ordines admittant, nisi prius domum, ex qua est, coegerint protestari eum se tenturam, & conservaturam, aut ei sufficienter, ut honeste possit vivere, provisuram; si egressus, aut expulsus fuerit, quacumque tandem de causa. Sin autem prædicta domus fundata non sit, stipulabitur cum ea prædictus Episcopus, ne Religiosus inde possit expelli sine suo aut Vicarii sui generalis consensu. Ita statutum fuit in Concilio Rotomagensi approbato a Gregorio decimo-tertio, titulo de Monasteriis, paragrapho 34. a Concilio Burdigalensi anno 1624 cap. de Ordinationibus, tit. 4. de Subdiaconatu. Idem decrevit Eminentissimus Cardinalis Grimaldus Archiepiscopus Aquensis in statutis Synodalibus. Sed hæc Decreta vix in praxi observantur.

Quæst. 8. Quid intelligis per titulum Patrimonii?

Resp. Oportet, ut bona illa Patrimonialia ad honeste alendum Clericum sufficiant per totum vitæ spatium, juxta usum cujusque Diœceseos, & ordinationem Episcopi; vult præterea Concilium Tridentinum (*sess.* 23. *de refor. c.* 16.), ut Ordinati sub titulo Patrimonii eodem tempore alicui Ecclesiæ particulari adscribantur, his verbis: *Cum nullus debeat ordinari, qui judicio sui Episcopi non sit utilis aut necessarius suis Ecclesiis; Sancta Synodus vestigiis sexti Canonis Concilii Chalcedonensis inhærendo, statuit, ut nullus in posterum ordinetur, qui illi Ecclesiæ, aut pio loco, pro cujus necessitate aut utilitate assumitur, non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus, nec incertis vagetur sedibus. Quod si locum inconsulto Episcopo deseruerit, ei Sacrorum exercitium interdicatur.*

Quæst. 9. In quasnam incidunt pœnas qui Ordines suscipiunt sub aliquo falso, aut ficto titulo; quique utuntur variis ad id fraudibus, v. gr., promissis, sive in scripto, sive verbo tenus, se nihil inde percepturos, & similia ad decipiendum Episcopum?

Resp. Constat, omnes hujusmodi, qui ita ordinantur, frau-

fraudulentos exhibendo titulos, ipso facto suspensos esse ab executione suorum Ordinum, eosdemque fore irregulares, si sine dispensatione Ordines susceptos exerceant, ut patet ex Concilio Tridentino (*Sess.* 21. *de refor. c.* 2.), cum ait: *Antiquorum Canonum pœnas super his innovando*. Quæ pœnæ continentur in capite, *Per tuas nobis*. De Simonia, ubi sic legitur: *Nec ad superiores Ordines ascendere, nec in suscepto debet Ordine ministrare*. Et in cap. *Si quis*, De Simonia legitur: *Ordinatus ab Ordine sic suscepto, donec dispensationem super hoc per sedem Apostolicam obtinere meruerit, noverit se suspensum*. Idem habetur in Bulla beati Pii quinti 75. quæ incipit, *Romanus Pontifex*. Constat etiam ex declaratione sacræ Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, his verbis: *Sacra Congregatio Cardinalium censuit, Clericum, qui adhibito dolo, confictoque titulo Ordinatorem decepit, esse ipso jure suspensum, caretque Ordinum executione*. Die 27. Novembris 1610. apud Fagnanum in cap. *Cum secundum*, De Præbendis, num. ultimo.

Quæst. 10. Quænam sunt præcipua Subdiaconatus munia?

Resp. Primo Subdiaconi est sacra Vasa, & alia Sacrificio deservientia, munda procurare. Secundo, præparare aquam, & in Calicem vino superinfundere. Tertio, cantare Epistolam in Missis solemnibus. Quarto, deferre codicem Evangeliorum, & sustinere cantante Diacono. Quinto, deferre crucem in Processionibus. Sexto, populi Oblationes accipere, Sacerdotis manus abluendas aqua perfundere, Diacono ministrare, & Patenam in usum Sacrificii eidem offerre. Tenetur etiam recitare Officium divinum cum attentione debita: De qua tom. 2. tract. 1. cap. 10.

Quæst. 11. Quibus præsertim virtutibus Diaconum fulgere oportet, & quænam sunt hujus Ordinis munia?

Resp. Sanctus Hieronymus de Ordinibus Ecclesiasticis differens, cap. 5. relatus in Canone, ait (*In Can. Diaconi dist.* 93.): *Diaconi sunt, quos in Apocalypsi legimus, septem Angeli Ecclesiarum. Hi sunt septem Candelabra aurea, hi voces tonitruorum, puri mentibus, animabus candidi, virtutum operatione præclari, humilitate præditi & quieti, humiles, evangelizantes pacem, annunciantes bona, dissensiones, & rixas & scandala resecantes, docentes, soli Deo colloquentes in templo, nihil de mundo penitus cogitantes, dicentes Patri, & Matri; Non novi vos*. Successores enim sunt Levitarum, de quibus dicitur in Canone (*Can. Cleros, parag. Levitæ, dist.* 31.): *Levitæ ex nomine authoris vocati; de Levi enim Levitæ exorti sunt, a quibus in templo Dei, Mystici Sacramenti ministeria explebantur. Hi Græce Diaconi, Latine ministri dicuntur*. Et, ut ait Moyses in Deuteronomio: *Qui dixit patri suo & matri suæ,*

suæ, *Nescio vos*; & *fratribus suis*, *Ignoro vos*, & *nescierunt filios suos*; *hi custodierunt eloquium tuum*. De quibus scribit idem Moyses Exodi cap. 30. *Hodie consecrastis manus vestras Domino*, *unusquisque in filio & in fratre suo*, *ut detur vobis benedictio*: Quando scilicet sine ullo discrimine proximos quosque interfecerunt, ad vindicandam injuriam Deo illatam, studiis omnibus affectibusque naturæ renunciando: quod quidem exemplum Levitarum in Lege scripta, qui tantum figura fuerunt Diaconorum novæ Legis, eos excitare potenter debet, cui Carni, & Sanguini, omnique naturali cognationi renuncient, cum Ordinem Diaconatus suscipiunt, quo ad Sacramenta administranda incipiunt participes fieri: olim enim Diaconi solemniter baptizabant, quod idem nunc quoque præstare possent in absentia Presbyteri: Eucharistiam etiam populo Christiano distribuebant, post consecrationem a Presbytero factam: Presbyteris & Episcopis in Missæ celebratione inserviunt: debent Evangelium cantare, & populo explicare: alia quoque munia primis Ecclesiæ sæculis habebant; circumspiciebant omnia, quæ in Ecclesia gerebantur, & ea ad Episcopum referebant: nomine Episcoporum Xenodochia ad egenorum & ægrotantium Christianorum consolationem invisebant, pauperum Virginum ac viduarum peculiarem curam gerebant, reditus Ecclesiæ administrabant.

Quales Diaconi ordinarentur, Apostolus Paulus plenissime scribit, dum ait (1. *ad Timoth. c.* 3.): *Diaconus similiter pudicos*, *non bilingues*, *non multo vino deditos*, quia ubi ebrietas, ibi libido dominatur, & furor: *Non turpe lucrum sectantes*, ne in cælesti Ministerio lucra terrena sectentur: est quoque turpis lucri appetitio, plus quam de æternis, de præsentibus cogitare: *Habentes Mysterium fidei in conscientia pura*; id est, habentes fidem Mysteriorum Christianæ Religionis, seu fidem Christianam conjunctam cum pura conscientia, id est cum animo sincero, & fervida charitate. Post hoc autem subjecit Apostolus: *Et hi autem probentur primum*, & *sic ministrent*, *nullum crimen habentes*.

Quæst. 12. Quænam sunt dispositiones ad suscipiendum Ordinem Presbyteratus? Et quæ ejus munia?

Resp. Hujusmodi dispositiones colligi facile possunt ex summa Sacerdotis dignitate, quæ tam augusta, tamque sublimis est, ut verba nostra eam satis exprimere non valeant: consequens est, eos, qui ad hunc Ordinem plane divinum promoventur, eum vitæ sanctitatis gradum assecutos esse, in eoque stabilitos, ita ut aliquam habeant cum tanta dignitate proportionem; dicitur enim in Canone (*Can. Cleros*, §. *Sacerdos*, *dist.* 21.): *Sacerdos nomen habet compositum ex Græco & Latino*, *quasi sacrum dans*: *sicut enim Rex a regendo*, *ita Sacerdos a Sacrificio vocatus est*: *consecrat enim*, & *sacrificat*. Et in alio Canone dicitur (*Can. Sacerdotes dist.*

73.):

73.) : *Sacerdotes vero beatus Petrus sal terræ & mundi lumen docens, præcipit, in splendore bonorum operum, patrem glorificare Deum*. Sic in sacra Scriptura Sacerdotes veteris Testamenti Dii & Angeli vocantur, ut patet ex capite secundo Malachiæ : *Labia enim Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est* : & in Psal. 81. legitur : *Ego dixi, Dii estis, & filii Excelsi omnes* : denique Exodi c. 22. *Diis non detrahet* : Si a populo Israelitico Sacerdotes celebrantur admodum reverenter propter Ministerium suum, quod figura tantum erat, & rudis quidam typus Sacerdotum novi Testamenti ; majori profecto jure hi honorum tituli ipsis tribuendi sunt, majorque ipsis debetur veneratio a supremis mundi potestatibus. Quocirca Divus Gregorius Magnus scribens Imperatori Mauritio, ut refertur in Canone (*in Can. Sacerdos* 21. q. 1.), eum hortatur, ut eos potius revereatur, quam judicare velit : „ Sacerdotibus autem, *inquit*, non ex terrena po„ testate dominus noster citius indignetur ; sed excellen„ ti consideratione, propter eum, cujus servi sunt, eis „ ita dominetur, ut etiam debitam reverentiam impen„ dat : nam in divinis eloquiis Sacerdotes, aliquando Dii, „ aliquando Angeli vocantur. " Eorum certe virtus proportionem aliquam, & quantam humana fragilitas pati potest, habere debet cum iis nominibus Deorum & Angelorum & cum sacris Ministeriorum functionibus.

Concilium Tridentinum (*sess. 23. de ref. cap.* 14.) paucis complectitur dispositiones ad Presbyteratum necessarias, qui est veluti finis & complementum cæterorum Ordinum : „ Qui pie & fideliter in Ministeriis anteactis „ se gesserint, & ad Presbyteratus Ordinem assumuntur, „ bonum habeant testimonium : & hi sint, qui non mo„ do in Diaconatu ad minus annum integrum, nisi ob „ Ecclesiæ utilitatem ac necessitatem aliud Episcopo vi„ deretur, ministraverint ; sed etiam ad populum docen„ dum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, „ ac administranda Sacramenta, diligenti examine præ„ cedente, idonei comprobentur, atque ita pietate ac „ castis moribus conspicui, ut præclarum bonorum ope„ rum exemplum, & vitæ monita ab eis possint expectari.

Sacerdotum potestas amplissima est, cum per verba consecrationis e cælis in terram advocent Christum Dominum : *Obediente Deo voci hominis* ; qui profunda humilitate, quæ annihilationis quamdam speciem habet, eorum ministerio se sub speciebus panis & vini abscondit. Vitam gratiæ peccatoribus restituunt in Sacramento Pœnitentiæ, eisque Ecclesiæ Cælique portas aperiunt : non possunt tamen hanc potestatem exercere, nisi de expressa Episcopi licentia, ut ait Concilium Tridentinum (*sess. 3. de ref. c.* 16.) : *Quamvis Presbyteri in sua ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipiant : decernit tamen sancta Synodus, nullum, etiam Regularem*,

larem, posse confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochi Beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat: privilegiis & consuetudine quacumque etiam immemorabili non obstantibus.

Tamen in articulo mortis quilibet Sacerdos, etiam non approbatus, quoslibet pœnitentes absolvere potest, quando Sacerdos approbatus facile haberi non potest; ut patet ex eodem Concilio Tridentino (*sess.* 14. *de refor. cap.* 7.): *In Ecclesia Dei*, inquit, *custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis & censuris absolvere possunt.*

Solemniter in Ecclesia baptizant, & omnia administrant Sacramenta, de licentia tamen Episcopi, si non sint Parochi: exceptis Sacramentis Ordinis & Confirmationis, quæ reservantur Episcopis. Benedicunt populo in Missæ Sacrificio, ad eos etiam spectat aliis in locis Fideles, bona terræ, alimenta, & universa, quæ hominibus inservire possunt, benedicere: ait enim Episcopus in eorum ordinatione: *Et ut omnia benedicantur, quæ ab ipsis benedicuntur.* Denique stabiliti sunt ad prædicandum Evangelium, & annunciandum verbum Dei omnibus hominibus, cum Episcopi licentia, qui in primis & specialiter prædicare tenetur, & gregem sibi commissum æternæ salutis viam docere, & per seipsum, & per Presbyteros, quando ei non licet, prædicationi vacare; ut ait Concilium Tridentinum, sess. 24. De Reform. c. 2.

Cum tam ampla sit Sacerdotum potestas, & eorum functiones multum ad Dei gloriam & salutem animarum conferant, ex hoc necessario sequitur, quod illas cum magna animi pietate & devotione exercere debent, & quod illorum vita aliquo modo correspondere deberet sanctitati suarum functionum; ideoque S. Isidorus ait (*Pelusiota, lib.* 2. *ep.* 105.): *Tantum inter Sacerdotem, & quemlibet probum interesse debet, quantum inter cælum & terram discriminis est.* Et multum vertit in dedecus Sacerdotii, ut ait Petrus Blesensis, Laicos esse perfectiores Clericis, licet sint negotiis sæcularibus necessario intricati: quod tamen sæpissime accidit (*Serm.* 59.): *Erubescant*, inquit, *Sacerdotes, si sacratioris vitæ inveniantur Laici, qui hujus mundi fluctibus sunt immersi.* Ideoque debemus, ut ait Apostolus Paulus, diligenter attendere ad Ministerium, quod accepimus a Domino, ut illud impleamus.

Unde S. Carolus Sacerdotes sic graviter monet (*in Synodo* XI. *Concione* 2. *ad Cler.*): *Si Sacramenta ministras, o Sacerdos, meditare, quid facis: si Missam celebras, meditare, quid offers: si psallis in Choro, medita-*

ditare, ubi & quid loqueris: si animas regis, meditare, quo sanguine sint lavatæ, & omnia vestra in charitate fient; sic difficultates omnes, quas innumeras in dies experiamur necesse est, in hoc siquidem positi sumus, facile vincere poterimus: sic vires habebimus parturiendi Christum in nobis, & aliis.

„ Vides, *inquit S. Ambrosius* (*l.1.ep.6. ad Irenæum*), „ nihil in Sacerdotibus plebejum requiri, nihil populare, „ nihil commune cum studio, atque usu, & moribus in- „ conditæ multitudinis sobriam a turbis gravitatem, se- „ riam vitam, singulare pondus, dignitas sibi vendicat „ sacerdotalis". Videatur Tom. 1. Tr. 6. c. 4. n. 2.

Quæst. 13. Difficultas inveniendi personas, quæ habeant dispositiones ad Presbyteratum necessarias, & in Concilio Tridentino notatas, quas modo retulimus, potest-ne sufficiens præbere motivum ordinandi eos, qui tales non habeant dispositiones?

Resp. Huic quæstioni, quam sibi proposuerat, respondet S. Thomas his verbis (*in suppl. q.* 36. *art.* 4. *ad* 1.): „ Deus numquam deserit Ecclesiam suam, quin inve- „ niantur idonei Ministri sufficientes ad necessitatem ple- „ bis, si digni promoverentur, & indigni repellerentur. „ Et si non possent tot Ministri inveniri, quot modo „ sunt, melius esse habere paucos Ministros bonos, quam „ multos malos.

Concilium Lateranense generale sub Innocentio III. (*c.* 27.) huic difficultati videtur etiam respondere, cum ait: „ Cum sit ars artium regimen animarum, districte „ præcipimus, ut Episcopi promovendos in Sacerdotes „ diligenter instruant & informent, vel per seipsos, vel „ per alios viros idoneos, super divinis Officiis, & Ec- „ clesiasticis Sacramentis, qualiter ea rite valeant cele- „ brare; quoniam si ignaros & rudes de cætero ordinare „ præsumpserint (quod quidem facile poterit deprehen- „ di) & ordinatores & ordinatos gravi decrevimus sub- „ jacere ultioni. Satius est enim, maxime in ordinatio- „ ne Sacerdotum, paucos bonos quam multos habere Mi- „ nistros; quia si cæcus cæcum duxerit, ambo in foveam „ dilabuntur: *Ut dicitur in Evangelio*".

Enim vero Ecclesia non indiget Presbyteris inutilibus, sed bonis indiget Presbyteris, qui laborent utiliter in vinea Domini; & videmus quotidie, parvum eorum numerum, qui ministeria sua fideliter exequuntur, majorem fructum ad procurandam animarum salutem in aliqua Diœcesi facere, quam magnum numerum ignarorum, aut otiosorum, aut alio quovis modo sancto Sacerdotio, ad quod promoti fuerunt, indignorum: qui ideo non prosunt Ecclesiæ, quinimo eis magis nocent, & grave præjudicium inferunt, malis fere suis moribus destruendo, quidquid a bonis Presbyteris fit ad sanctificationem populorum; quod quidem recte observatum est in Concilio Burdigalensi (*ann.* 1583. *c.* 23.), ubi dicitur:

citur: *Ut vinea Domini, ex illius præcepto, rite semper colatur, multaque messis in ejus horreum reportetur, multis operariis opus est, quorum non tam numerus, quam virtus spectanda est; paucos enim idoneos & probatos habere satius est, quam multos inutiles, atque adeo ipso vitæ genere perniciosos.*

Unde propter eandem rationem dicitur in Canone (*Can. Tolet. dist.* 23.), qui S. Clementi adscriptus est; „Tales ad Ministerium eligantur Clerici, qui digne „ possint Dominica Sacramenta tractare: melius est enim „ Dominici Sacerdotii paucos habere Ministros, qui possint digne opus Dei exercere, quam multos inutiles, „ qui onus grave ordinatori adducant".

Dilatata videtur Ecclesia, inquit sanctus Bernardus (*Convers. ad Cleric. c.* 9.), „ ipse etiam Cleri sacratissimus Ordo, fratrum numerus super numerum multiplicatus est: verum & si multiplicasti gentem Domine, „ non magnificasti lætitiam, dum nihil minus apparet „ defecisse meriti, quam numeri accessisse".

Quocirca concludere possumus, secundum Canonem attributum S. Zosimo Papæ ((*Canon. Si Officia, dist.* 59.): *Divinos Ordines largiri, oportet districti semper esse judicii: rerum enim est omne, quod magnum est.*

Et quoniam Presbyteri virtus eximia esse debet, graviter metuendum est, ne ad hanc tantam dignitatem promoveantur ii, qui non habeant dispositiones requisitas ad perficiendas sacras tanti muneris functiones, & ad vivendum secundum præscriptas tantæ dignitati leges; quoniam cum Ecclesiastico dicere possumus (*Eccli. c.* 12. *v.* 22.), quod Ecclesia *Non concupiscit multitudinem filiorum infidelium, & inutilium.*

Quæst. 14. Tenentur ne omnes Presbyteri, animarum salutem, in quantum possunt, procurare, & eo fine laborare?

Resp. Cum unicuique Christiano, nemine prorsus excepto, mandatum sit, ut proximi sui salutem secundum vires suas agat, juxta illud Ecclesiastici (*Ecclesiast. c.* 17.), *Mandavit illis unicuique de proximo suo*; dubitare non debemus, quin hoc mandatum ad Presbyteros præcipue pertineat, quorum ope & ministerio, sive virtute prædicationis, sive administratione Sacramentorum, Deus populos sanctificare decrevit. Ideoque per Episcopum semper monet Ecclesia Presbyteros omnes ordinatos, ut intelligant, per Sacerdotium susceptum, ipsis onus incumbere populos instruendi: unde Concilium Tridentinum (*sess.* 14. *de refor. c.* 14.) de presbyteris ordinandis loquens ait: *Hi sint, qui ad populum docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac ad ministranda Sacramenta, diligenti examine præcedente, idonei comprobentur.*

Ideoque quilibet Sacerdos illud Apostoli sibi debet applicare (1. *ad Cor. c.* 9.): *Si evangelizavero, non est mihi gloria, necessitas enim mihi incumbit; væ enim mihi est,*

est, *si non evangelizavero*. Verum quidem est, non eodem omnes valere talento, quibus respondet D. Bernardus (*S. Bern.*): *Si multum accepisti, multum da; si parum; & illud tribue: de solo credito tibi talento respondere tibi para, securus de reliquo*. Nemo tamen est, qui non sit idoneus, ut laboret aliquo tandem modo in vinea Domini, doctrinam saltem Christianam faciendo, aut familiares instructiones instituendo, aut pauperum & ægrotorum curam agendo, aut aliquod tandem munus in Ecclesia obeundo, quod suis viribus, suoque captui conveniat; ut enim ait S. Prosper laudatus in Concilio Aquisgranensi (*1. de vita contempl. l. 10. in Conc. Aquisgr. c. 26. an. 816.*): *Ad hoc, nisi me fallit opinio*, sancte vivendum est Sacerdoti, ne dicta sua repugnantibus factis evacuet; si quod prædicat fieri debere, non faciat; aut si quod non faciat, prædicare præsumpserit, nihil apud eos, qui ejus vitam novere, proficiet. Quia ad hoc est Ecclesiæ Dei præpositus, ut non solum bene vivendo filios exemplo suæ conversationis instituat, sed etiam fiducialiter prædicando, singulis ante oculos suos peccata constituat; quæ pœna maneat duris, quæ gloria obedientibus, ostendat, nullius salutem desperando contemnat, animas emendari nolentium plangat, imitatus Apostolum, qui ait: *Ut lugeam multos ex his, qui ante peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam*. Et iterum: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror?* Quapropter sciens, quod si quibuslibet divitibus, ac potentibus male viventibus parcat, aut foveat, eos perdat, simul & pereat: & sancte debet vivere propter exemplum, & pie docere propter suæ administrationis officium: certus, quod ei sua justitia nihil suffragetur, de cujus manu anima pereuntis exigitur. Quando quicumque alius perierit, quem nulla docendi necessitas manet, solus pœnas sui sceleris dabit: ille autem, cui dispensatio verbi commissa est, etiamsi sancte vivat, & tamen perdite viventes arguere aut erubescat, aut metuat cum omnibus, qui eo tacente perierint, perit; & quid ei proderit non puniri suo, qui puniendus est alieno peccato? Mentior, nisi hoc Dominus per Ezechielem Prophetam sub cujusdam terroris denunciatione loquitur ad eum. *Et tu, fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel*. Nec hoc transeunter debemus audire, quod Sacerdotem speculatorem appellet... *Audies*, inquit, *sermonem ex ore meo, & annunciabis iis ex me*... Si ei peccata sua non annuntiaveris; cum non argueris, ut ab impietate sua convertatur, & vivat; & te qui non increpasti, & ipsum qui te tacente peccavit, flammis perennibus perdam. Quis rogo tam saxei pectoris, quis tam ferreus erit, quem sententia ista non terreat? Quis tam alienus a fide, qui sententiæ isti non credat?

Denique, ut ait Concilium Aquisgranense (*Concil. Aquisgr. c. 16.*): *Sacerdotes pro populorum iniquitate* da-

damnantur, si eos ignorantes non erudiant aut peccantes non arguant. Sunt tamen nonnulli, qui existimant, se non teneri ad instruendum populum, aut confessiones audiendas, prætextu, ut dicunt, incapacitatis, aut quia credunt se minus idoneos ad ea munia obeunda: at si hoc verum est, veniam a Deo enixe postulare debent, quod Sacerdotio se ingesserint sine talentis necessariis ad utiliter operandum in vinea Domini; ideoque omnem operam adhibere debent ad hunc defectum reparandum, & ut idonei sint ad aliquod munus exercendum in Ecclesiastico statu, suis viribus proportionatum.

Quæst. 15. Qui recipit Minores Ordines aut etiam sacros, aut qui eos exercet in statu peccati mortalis, committit-ne novum peccatum?

Resp. Tres sancti Doctores, iidemque conspicua Ecclesiæ lumina, huic quæstioni plane satisfecerunt. Primo enim certum est, illum, qui suscipit aliquem Ordinem in statu peccati mortalis, committere peccatum mortale: quod quidem sacrilegium in tali Sacramento, eo gravius est, quo non modo ei, qui suscipit Ordinem, verum etiam toti Ecclesiæ magnum præjudicium affert, quam sic ordinatus suo crimine deturpat, ac copioso fructu privat, quem ex ejus Ministerio jure sperare poterat. Hic, cum destitutus sit gratiis sibi præparatis, quibusve se indignum reddidit in Ordinis susceptione, nonnisi infelicem expectare debet exitum ex hac indigna ordinatione.

Sanctus Thomas, sanctus Raymundus, & sanctus Antoninus asserunt expresse, eum mortaliter peccare, qui in statu peccati mortalis suum exercet Ordinem; & quidem sanctus Antoninus ait (3. *p. tit.* 14. *de Temp. & loc. Ordin. c.* 16. §. 10.): „ Et ut dicit Thomas, in „ quolibet actu cujuscumque Ordinis, quandocumque se „ exhibet, ut minister Ecclesiæ, peccat mortaliter; & „ toties, quoties hoc agit: quia, ut dicit Dionysius, „ immundis nec Symbola, id est, Sacramentalia signa „ tangere fas est ".

S. Thomas ait (*in suppl. art.* 5. *q.* 36. *in corp.*): „ Respondeo dicendum, quod lex præcipit, ut homo juste „ ea, quæ justa sunt, exequatur: & ideo quicumque hoc, „ quod sibi competit ex Ordine, facit indigne; quod ju„ stum est, injuste exequitur, & contra præceptum Legis „ facit; ac per hoc mortaliter peccat ". Sancta enim sancte tractari debent; unde inquit idem S. Thomas (*ibid.*), „ Sanctitas vitæ requiritur in suscipiente Ordines, ut sit „ idoneus ad exequendum: sed peccat mortaliter, qui cum „ peccato mortali ad Ordines accedit: ergo multo fortius „ peccat mortaliter in qualibet executione Ordinis ".

Sacerdos, inquit idem Doctor (*ibid.*), *est quasi blasphemus & deceptor, qui indigne Ordinem exequitur, & sic mortaliter peccat: & eadem ratione quilibet alius ordinatus*. Quæ verba satis declarant, quanta esse debeat,

beat, & quam firmiter stabilita vitæ innocentia, & sanctitas, non solum Presbyterorum, verum etiam omnium Clericorum: quoniam eorum peccata tot formidanda secum trahunt præcipitia. De illis præsertim dici possunt illa Psalmi verba (*Ps.* 41.), *Abyssus abyssum invocat.* Quia cum semper parati esse debeant ad obeunda munia suis Ordinibus propria magno se exponunt periculo sacrilegii perpetrandi, si cum continua attentione sanctitatem & perfectionem suo statui debitam conservare non nitantur. Magni prorsus interest, ut a funestis rerum sanctissimarum prophanationibus graviter abhorreant, atque adeo a minima peccati mortalis umbra penitus effugiant, cum ea tremendis exposita sit præcipitiis in viris Ecclesiasticis, quorum obduratio fere penitus insuperabilis est, cum ad eum impietatis gradum pervenerunt, ut sacris suis functionibus, ac ministeriis abutantur, ea in statu peccati mortalis exercendo: audent enim se profiteri sanctæ nostræ Religionis divinique cultus Ministros, cum ejus sunt inimici, suas obeundo functiones sine gratiæ auxilio, quæ prorsus necessaria est, ut digne fiant, quæque iis in singulorum Ordinum susceptione collata fuit: unde, ut ait Divus Gregorius Papa (*in c.* 3. *lib.* 1. *reg.*), *Plerique eorum in impœnitentis cordis caliginem projiciuntur, & nulla hominis adhortatione resipiscunt.*

Gregorius etiam Papa nonus ait (*In cap. ult. de Temp. Ord.*): „ Quæsitum est de Sacerdotibus, vel aliis Clericis, qui bonum conscientiæ rectæ perdiderunt, si proposita crimina ordine judiciario comprobata, vel alias notoria fuerint; qui si non potuerint, monendi sunt, & sub interminatione divini judicii obtestandi, ut in testimonium suæ damnationis, in susceptis etiam Ordinibus non ministrent ". Ut saltem ex hoc significent, quod cum se reos coram Deo cognoscant, se indignos existimant functiones suorum Ordinum exercendi.

Quæst. 16. Quanam ætate suscipiendi sunt Ordines sacri?

Resp. Concilium Tridentinum (*Sess.* 23. *de refor. c.* 4.) „ Nullus in posterum ad Subdiaconatus ante vigesimumsecundum, ad Diaconatus ante vigesimumtertium, ad Presbyteratus Ordinem ante vigesimumquintum ætatis suæ annum promoveatur. Sciant tamen Episcopi, non singulos in ea ætate constitutos, debere ad hos Ordines assumi; sed dignos dumtaxat, & quorum probata vita senectus sit. Regulares quoque nec in minori ætate, nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur, privilegiis quibuscumque quoad hoc penitus exclusis ". Observandum tamen est, sufficere vigesimum secundum annum inchoatum ad Subdiaconatum recipiendum, & sic de cæteris: quia in favorabilibus annus incœptus habetur pro completo.

Quæst. 17. Quinam sunt effectus Sacramenti Ordinis?

Resp. Effectus hujus Sacramenti, magni sane ponderis & momenti sunt, non tantum respectu recipientis, verum

rum etiam respectu totius Ecclesiæ: quocirca hæc sancta Mater divino in suis Decretis animata Spiritu, dignos Ministros ardenter operando, præcipit omnibus fidelibus, ut implorent per universalia jejunia, ferventesque preces, particularis gratiæ cælestis auxilium pro omnibus ordinandis, quod eos disponat ad abunde recipiendas in hoc Sacramento gratias, muneri suo digne obeundo necessarias, & huic sacro statui proprias, ut utiliter in vinea Domini laborent, tum ad suam, tum ad aliorum sanctificationem.

Primus hujus Sacramenti effectus est gratia sanctificans, ut ait Catechismus Concilii Tridentini (§. 18. *p.* 2. *de Sacram. Ord.*), his verbis: „ Constat vero, „ quamvis Ordinis Sacramentum, ut antea dictum est, „ maxime ad Ecclesiæ utilitatem & pulchritudinem spectet; tamen in ejus quoque anima, qui sacris initiatur, sanctificationis gratiam efficere; qua idoneus habilisque ad recte munus suum agendum, Sacramentaque administranda reddatur ".

Secundus hujus Sacramenti effectus, est character indelebiliter impressus in anima, quo Ministri Ecclesiæ a cæteris fidelibus secernuntur, divinoque cultui unice ac semper mancipantur, potentiamque illam recipiunt, quæ respicit Sacro-sanctum Altaris Sacramentum, ad quod omnes diversi Ordines referuntur. Hæc potestas integra est, & perfecta in Presbyteris, & minor in inferioribus Ordinibus, secundum proportionem respectus, quem habent ad Sacrificium Missæ.

Unde Concilium Tridentinum (*Sess.* 23. *de Ord. Can.* 4.) ait: „ Si quis dixerit, per sacram Ordinationem „ non dari Spiritum sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere: Accipe Spiritum sanctum; aut per eam „ non imprimi characterem, vel eum qui Sacerdos semel „ fuit, Laicum rursus fieri posse, Anathema sit ".

Quæst. 18. Omnes Ordines, etiam Minores, conferuntne gratiam, & imprimunt-ne characterem?

Resp. Audiendus solummodo est Sanctus Thomas, qui ait (*in suppl. qu.* 35. *art.* 1. *in corp.*): „ Cum divinorum operum perfectio requirat, ut cuicumque aliqua divinitus potentia datur, eidem & ea, per quæ illius potentiæ executio fieri congrue possit, donentur ". Et ibidem ad 2. „ Cum per quemlibet Ordinem constituatur aliquis supra plebem in aliquo gradu potestatis „ ordinatæ ad Sacramentorum dispensationem: perspicuum est, in singulis Ordinibus characterem imprimi ". Et denique ibidem, art. 2. ad 1. „ Quilibet Ordo vel „ habet actum circa ipsum Sacramentum, vel ordinatur „ ad Sacramentorum dispensationem, sicut Ostiarii habent actum admittendi homines ad divinorum Sacramentorum inspectionem; & sic de aliis; & ideo in „ omnibus requiritur spiritualis potestas ". Ideoque ratione hujus characteris reiterari non possunt.

TRA-

TRACTATUS NONUS DE SACRAMENTO MATRIMONII.

CAPUT PRIMUM.

De Sponsalibus.

Quæst. I. QUID sunt Sponsalia, & quorsum instituta?
Resp. *Sponsalia futurarum sunt nuptiarum promissa*, ut dicitur in Canone, ab illis facta, qui futuris illis nuptiis sunt conjungendi.

Requiritur autem primo, ut hujusmodi promissio sit vera: simulata enim promissio, non est vera promissio; quare fictus ille promissor non obligatur vi sponsalium, quæ nulla sunt; tenetur nihilominus contrahere vel componere cum sponsa, cui illusit, tum propter injuriam ei factam, tum propter scandalum. Si autem habuerit animum promittendi, non autem promissum implendi, sponsalia sunt valida.

Secundo requiritur, ut sit deliberata; debet enim esse actus ex rationis deliberatione procedens.

Tertio, ut sit signis exterioribus expressa; quia, ut ait Divus Thomas (*q.* 88. *art.* 1. *in corp.*); *Promissio quæ ab homine fit homini, non potest fieri nisi per verba, vel quæcumque exteriora signa.*

Quarto, ut sit libera; quia promissio violenter, aut per metum cadentem in constantem virum extorta, non obligat, nisi sit juramento firmata. Ex eodem sancto Thoma 2. 2. q. 89. art. 7. ad 3.

Quinto, ut sit mutua: ita enim definiuntur sponsalia, ut dicantur mutua promissio futuri Matrimonii, signo aliquo sensibili expressa. Hinc infertur primo, promissionem inter sponsalia absenti vel præsenti factam, antequam alter acceptet, posse sine ulla culpa revocari; quia promissio sponsalitia non est gratuita, sed sub conditione reciprocæ promissionis facta. Secundo, admitti peccatum lethale ab eo, qui sine gravi causa sponsalitiam promissionem acceptatam implere renuit, quia in hujusmodi promissione est ultro citroque obligatio. Tertio, si quis postularet a fœmina, utrum vellet sibi promitti nuptias, & illa sponderet, & responderet, Placet, essent tunc contracta sponsalia; nisi forte joco, & non serio id diceretur.

Quod spectat ad signa, quibus consensus contrahentium inter sponsalia exprimi posset, varia sunt: vel enim ipsa sponsalia contrahuntur verbis, vel scripto, vel nutu, vel anuli, sive cujuspiam alterius arrhæ donatione: & interdum silentio contrahuntur sponsalia, etiam absolute, vel adjecta conditione, vel simplici promissione, vel interposita jurisjurandi religione.

Quod si verba, vel signa sint obscura, & dubia sit mens contrahentis, recurrendum est ad verisimilitudinem, comparando res ad invicem: vel ex antecedentibus, vel ex consequentibus, & ex qualitate personarum; spectanda etiam est consuetudo regionis.

Præmittuntur autem sponsalia Matrimonio, primo, quia, ut ait D. Augustinus (*l.8.Conf.c.3.*); *Est institutum, ne jam pactæ sponsæ non tradantur statim, ut vilem habeat maritus datam, quam non suspiraverit sponsus dilatam*. Secundo, ut majore reverentia, & maturiori deliberatione Matrimonium tot oneribus, & molestiis implicatum ineatur. Tertio ex veteri Ecclesiæ consuetudine, ut Matrimonia, modesta tribulatione carnis ut plurimum conflictata, felicem sortirentur exitum. Celebratis scilicet sponsalibus, debent sponsi incumbere in flagrantissimas Orationes, ad alliciendam in suum futurum conjugium divinam gratiam, cujus ope nuptias ineant: atque ita cum nupserint in Domino, Christiana tranquillitate potiantur.

Aliquæ rationes, cur instituta sint sponsalia, afferuntur, ut scilicet interjecto inter illa & Matrimonium spatio, in contrahentium statum, mores, & conditionem, diligens inquisitio factitari valeat; & præterea deprehendi possit legitimum impedimentum, si aliquod vel futurum Matrimonium impediens, vel contractum dirimens lateat.

Quæst. 2. Quinam possunt contrahere sponsalia?

Resp. Septennium est legitimum tempus contrahendis sponsalibus idoneum, cum libero rationis usu. Affirmat autem Divus Thomas (*in suppl. q. 43. art. 2. in corp.*), quod „ In fine primi septennii incipit homo esse aptus ad „ aliqua promittenda in futurum, præcipue de his ad quæ „ ratio naturalis inclinat magis: non autem ad obligan„ dum se perpetuo vinculo, qui adhuc non firmam ha„ bet voluntatem: & ideo tali tempore possunt contrahi „ sponsalia“. Propinquitas autem ista ad septennium absolutum, non est æstimanda tantum ex quinque, vel sex mensibus, qui desunt septennio; sed etiam ex usu rationis, prout in contrahentibus acceleratus fuerit.

Quæst. 3. Possunt-ne Parentes pro filiis sponsalia contrahere?

Resp. Possunt parentes pro filiis, imo Tutores ac Curatores pro pupillis contrahere; verum ut dicitur in Canone (*Cap. 1. §. ult. de Despons. impub. in 6.*), hæc promissa non obligant, nisi post consensum expressum

vel tacitum filiorum ; sic enim legitur : „ Porro ex spon-
„ salibus, quæ parentes pro filiis puberibus vel impuberi-
„ bus plerumque contrahunt, ipsi filii, si expresse consen-
„ serint, vel tacite, ut si præsentes fuerint, nec contradi-
„ xerint, obligantur. Et est idem, si filii tempore sponsa-
„ liorum absentes, & etiam ignorantes, eadem sponsalia
„ tacite vel expresse post scientes ratificaverint “.

Quæst. 4. Qui contraxit sponsalia, tenetur-ne in con-
scientia implere promissa : & ad ea implenda adigi-ne
potest, qui ea exequi recusaret ?

Resp. Tenetur, ut patet ex S. Thoma (*in* 4. *dist.* 27.
q. 1. *art.* 1. *ad* 2.), his verbis : „ Ex tali promissione
„ sponsalium obligatur unus alii ad Matrimonium con-
„ trahendum, & peccat mortaliter non solvens promis-
„ sum, nisi legitimum impedimentum interveniat ; &
„ secundum hoc etiam Ecclesia cogit, injungendo Pœni-
„ tentiam pro peccato : tamen in foro contentioso non
„ compellitur ; quia coacta Matrimonia consueverunt
„ malos exitus habere “.

Quæst. 5. Quibusnam in casibus Sponsalia dirimuntur,
seu dissolvuntur ?

Resp. Sanctus Antoninus, post sanctum Raymundum,
novem refert, omnes in Canone fundatos (1. *p. tit.* 1. *c.*
18. *De Sponsalib.* §. 1.): „ In novem casibus, *inquit*,
„ solvuntur sponsalia de jure, & sine peccato secundum
„ Raymundum. Primus, si alter sponsorum transit ad
„ Religionem : quod etiam facere potest contracto Ma-
„ trimonio de præsenti, & nondum consummato, etiam
„ altero invito ; & sic ille qui remanet in sæculo, solvi-
„ tur a sponsalibus, & etiam a Matrimonio. Secundus
„ est, quando sponsus non invenitur, quia transtulit se
„ ad aliam regionem. Et si terminus in sponsalibus non
„ fuit appositus de contrahendo, tunc secundum Leges,
„ præsens non tenetur expectare absentem, nisi per bien-
„ nium. Tertius est, si alter sponsorum post contracta
„ sponsalia incurrat lepram, vel paralysim, amittat o-
„ culum, vel nasum. Quartus, si supervenit affinitas :
„ puta, quia sponsus cognovit consanguineam sponsæ, vel
„ e converso. Quintus, si mutuo se absolvant. Sextus,
„ si alter eorum fuerit fornicatus, in quo casu licet al-
„ teri repellere fornicantem, & hoc de fornicatione car-
„ nali, & multo magis de spirituali, scilicet de hæresi,
„ vel infidelitate. Septimus, quando sponsus vel sponsa
„ contrahit cum altero per verba de præsenti, vel etiam per
„ verba de futuro, & sequitur carnalis copula ; peccavit ta-
„ lis tamen mortaliter, qui fidem fregit. Octavus, quan-
„ do impubes qui contrahit sponsalia, venit ad ætatem a-
„ dultam, & petit absolvi a vinculo sponsalium, & dari si-
„ bi licentiam nubendi. Nonus, si fama habeat, quod inter
„ eos sit aliquod impedimentum, & de fama doceatur “.

Quæst. 6. Dirimuntur ne sponsalia per vota simplicia
castitatis ?

Resp. Respondet cum distinctione sanctus Antoninus (*Ibid.* §. 1.) „ Distingue, *inquit*, quia aut votum simplex præcedit sponsalia ipsa, aut sequitur: si præcedit votum, tunc impedit, & dirimit etiam sponsalia de futuro jurata; quia hoc casu juramentum est illicitum, cum juret facere contra id quod voverat: aut sponsalia præcedunt votum simplex, & tunc votum non impedit, vel dirimit sponsalia; sed eo casu cogi debet vel votum solemnizare, scilicet profitendo in Religione, & sic essent soluta sponsalia; vel sponsalia profiteri, & contrahere Matrimonium ".

Idem sanctus Antoninus ibidem duas affert regulas ad tollendas omnes in hac materia difficultates; „ Prima regula est, quoties contrahuntur duo vincula æqualis potentiæ incompossibilia, primum præjudicat secundo. Secunda regula est, si duo vincula disparis potentiæ incompossibilia contrahuntur, fortius repellit minus forte "; V. G., votum solemne fortius est sponsalibus, atque adeo licet posterius fuerit, dirimit tamen sponsalia.

Quæst. 7. Sponsalia sunt-ne necessaria ante Matrimonium?

Resp. Non est necessarium, inquit sanctus Antoninus (3. *p. tit.* 1. *c.* 18. *in principio*), *quod sponsalia præcedant, quia absque promissione facta de futuro, potest quis subito contrahere per verba de præsenti.*

Quæst. 8. Quot modis contrahi possunt sponsalia?

Resp. Secundum Divum Thomam (*in suppl. q.* 43. *art.* 5. *in corp.*), contrahi possunt aut absolute, aut sub conditione: „ Fit autem ista promissio, *inquit*, dupliciter, scilicet absolute, & sub conditione: absolute quatuor modis. Primo, nuda promissione, ut cum dicitur: Accipiam te in meam, & e converso. Secundo, datis arrhis sponsalitiis, ut pecunia, vel aliquo hujusmodi. Tertio annuli subtractione. Quarto interveniente juramento. Si autem fiat dicta promissio sub conditione, distinguendum est: quia aut est conditio honesta, ut cum dicitur, Accipiam te, si parentibus placeat; & tunc stante conditione, stat promissio: & non stante, non stat: aut est inhonesta, & hoc dupliciter, quia aut contraria bonis Matrimonii, ut si dicam, Accipiam te, si venena sterilitatis procures; & tunc non contrahuntur sponsalia: aut non est contraria bonis Matrimonii, ut si dicam, Accipiam te, si furtis meis consentias: & tunc stat promissio, sed tollenda est conditio ".

Quæst. 9. Sponsalia, quæ copula carnalis subsecuta fuit, transeunt-ne in verum Matrimonium?

Resp. Sanctus Carolus in Concilio Provinciali quinto (*tit. quæ ad Matrim. pertinent.*), hanc ita solvit quæstionem: *Si qui ætate etiam legitima, & Parocho præsente, testibus duobus adhibitis, & Notario item, jurati spoponderunt, se Matrimonium inituros, ac deinde, non* con-

contracto legitime per verba de præsenti Matrimonio, copulationem inter se inierunt, eorum Matrimonium nullum ab Episcopo declaretur, ac decernatur. Id vero ne accidat, Parochus quam sæpissime populum, ut opus erit, moneat ad præscriptum Concilii Tridentini.

Quæst. 10. Debent ne, qui sponsalia contraxerunt, sub eodem tecto relinqui?

Resp. Nullum est omnino tempus, quo minus concedi debeat, ut personæ diversi sexus simul commorentur, ac familiariter conversentur, quam post contracta sponsalia, quia funesta satis, & frequenti constat experientia, eam cohabitationem malos exitus habere, sub prætextu futuri Matrimonii; quin etiam hac data occasione, gravia peccata committi solent, quæ hoc Sacramentum solent præcedere, illudque sæpius impediunt, propter pravas conjecturas, quas non sine ratione sponsi ex nimia sponsarum licentia colligere solent. Quamobrem sanctus Carolus statuit (*Conc. Prov.* 2. *Decreto* 27. *tit.* 1.), ut: „ Qui sponsalia contraxerint, si una ante coierint, quam „ coram Parocho & testibus Matrimonium inter eos ce„ lebratum sit, illius peccati, quoniam in eo sæpe de„ linquitur, absolutionem Episcopo reservatam esse vo„ lumus, gravemque illis Pœnitentiam imponi". Et in Concilio Provinciali sexto (*Med. tit. Quæ ad Matrim. pertinent.*) ait: „ Itaque Episcopi cura sit pœnis & cen„ suris, quas arbitratu suo constituerit, sancire, ne spon„ si, priusquam Matrimonium in Ecclesia per verba de „ præsenti ex ritu celebraverint, non modo simul non „ habitent, sed ne ullo quidem modo mutua consuetu„ dine commerciove utantur".

Unde simili zelo accensus Eminentissimus quondam Franciscus Cardinalis Barberinus, in Synodo Farfensi (*ann.* 1628.) sic statuit: „ Ad vitanda scandala & pec„ cata, quæ in hac jurisdictione nostra, post sponsalia „ de futuro perpetrantur; prohibemus omnibus contra„ hentibus sponsalia de futuro, ne amplius ad domum „ sponsæ accedere audeant, quousque per verba de præ„ senti in facie Ecclesiæ eam legitime desponsaverint, „ sub gravissimis arbitrio nostro pœnis". Quod Decretum confirmatum, ampliatum, & expositum fuit in accurata Synodo Sublacensi, ab Eminentissimo Carolo Cardinali Barberino congregata (*anno* 1674. *cap.* 14.), quod idem Eminentissimus fusius explicavit in Synodo Farfensi (*cap.* 14. *num.* 10. *pag.* 143. *Videatur etiam Edictum in eadem Synodo, pag.* 148.) „ Ut radicitus „ invalescentis abusus originem evellamus, enixe in„ terdicimus, ne sponsi, antequam matrimonium per „ verba de præsenti ex ritu contraxerint ullam ob cau„ sam, quantumvis honestam, se invicem ultra tres „ vices invisant, aut alloquantur; quibus quidem vi„ cibus, ut modestæ urbanitatis officium explere pos„ sint, ad modicum tempus eos conversari permittimus:

„ parentibus tamen, aut duobus eorum consanguineis „ semper præsentibus, & habita prius licentia Parochi, „ cujus in hoc conscientiam districte oneramus. Verum „ si alterutrum ex his defecerint, aut ultra præscriptas „ vices, mutua consuetudine, vel commercio uti quoquo „ modo præsumpserint, pœna decem librarum ceræ albæ „ Parochiali Ecclesiæ illico exsolvenda mulctabuntur; „ imo pro auctæ inobedientiæ culpa, gravioribus pœnis, „ atque etiam in subsidium, excommunicatione plectentur. Parochi autem, qui hujusmodi contravenientes „ Nobis denunciare neglexerint, severo pariter, atque „ ipsa a Divinis suspensione punientur.

„ Demum, si quod damnabilius est, sponsi ut supra, „ ante matrimonii celebrationem, rem simul habuerint, „ sciant, hoc suum peccatum, utpote reservatum Nobis, „ per neminem alium, nisi facultate a Nobis concessa, „ posse absolvi; ac insuper se gravissimis etiam corporis afflictivis pœnis coercendos esse: quibus etiam coercebuntur illi, qui cum proborum scandalo, licentia pene maritali cohabitaverint, vel sub eodem tecto pernoctaverint. Mandamus proinde Parochis, ut sæpius populo, „ cum opportunum duxerint, ac præsertim si sponsalium „ contractibus quandoque interfuerint, præsentis nostri „ Decreti dispositionem modeste ac prudenter insinuent".

Præterea in Synodo Æsina secunda Eminentissimi Cardinalis Petrucci (*Æsina, anno* 1695. *tit.* 9.) sic statuitur: „ Ad perniciosam in hac nostra Diœcesi (quod „ dolentes dicimus) corruptelam prorsus extirpandam „ super frequenti & periculosa sponsorum conversatione „ post contracta sponsalia, pœnas in præcedenti Synodo „ statutas innovando, interdicimus expresse, ne sponsi „ antequam matrimonium per verba de præsenti contraxerint (quod quantocius fieri poterit, Parochi celebrari satagant) ullam ob causam quantumvis honestam „ se invicem, ultra tres vices invisant, aut alloquantur: „ quibus quidem vicibus ad modicum tempus conversari permittimus: parentibus tamen aut duobus eorum „ ex proximioribus consanguineis semper adstantibus, & „ Parochi obtenta licentia. Quod si præsenti Decreto „ obedire detrectaverint, & ultra præscriptas vices, sine „ præsentia parentum, aut consanguineorum, mutua consuetudine & commercio uti præsumpserint, pœnam decem librarum ceræ elaboratæ, Ecclesiæ parochiali applicandarum, illico incurrant. Imo pro auctæ inobedientiæ culpa, & ad hoc malum animarumque periculum obtruncandum, graviori pœna, ac etiam excommunicatione in subsidium, feriantur irremissibiliter: Parochorum conscientiam iterum onerantes, quatenus in „ hujusmodi prava consuetudine eliminanda sedulo invigilent, & contumaces ad Nos deferre non prætermittant". Idem Decretum statuitur iisdem fere verbis in Synodo Cæsenatensi Cardinalis Denhoff ann. 1693.

Præ-

Præterea Cardinalis Paulus Æmilius Rondininus sic decernit in Synodo Assisiensi (*anno* 1616. tit. 13. de *Matr. n.* 4.) : „ Ut peccandi pericula caveantur , quæ „ oriri solent ex nimia sponsorum per verba de futuro „ inter se conversatione , sub pœnis arbitrio nostro , præ- „ cipimus & mandamus , ne sponsi prædicti ante matri- „ monium contractum per verba de præsenti , sine nostra „ vel Vicarii nostri generalis licentia, converſentur inter se „ ultra tres vices , quibus quidem vicibus conversari per- „ mittimus, duobus consanguineis, vel affinibus alterutrius „ sponsi præsentibus , & habita prius licentia Parochi “ .

Et quia talia sponsorum peccata ubique gentium , etiam in septentrionalibus Regionibus , nimis frequentia sunt , hinc est quod Episcopus Osnaburgensis , Franciscus Gullielmus de Wartemberg , sic in Synodo (*Osnaburgensi* , *anno* 1628. *c.* 20. *de Matr. n.* 3.) statuit . „ Grave peccatum est , frequens tamen in his regionibus , „ quod post contracta sponsalia , desponsi , antequam „ legitime matrimonium contraxerint , se carnaliter co- „ gnoscant . Ad quod periculum incontinentiæ evitan- „ dum , moneant Parochi sponsos , ut intra sex septi- „ manas ad matrimonii celebrationem procedant , nec „ ante benedictionem in templo suscipiendam , sub eo- „ dem tecto habitent , aut soli converſentur ; quod si „ contra hoc aliqui attentaverint , eos Nobis aut Vica- „ rio nostro denuncient “ .

Demum Eminentiss. Cardinalis Vincentius Maria Ursinus , in Synodo Tusculana (*anno* 1703. *c.* 6.) statuit , ut Parochi „ potissimum invigilent , ne sponsi , ante con- „ tractum matrimonium per verba de præsenti , simul „ cohabitent aut versentur : sed neque alter ad alterius „ domum accedat ultra duas vel tres vices ad honestæ „ urbanitatis officium , & tunc parentibus vel consangui- „ neis præsentibus , & non aliter . Quod si detectum fue- „ rit , sponsos his contravenisse , ultra pœnas in priori „ Diœcesana Synodo inflictas , publicæ pœnitentiæ subja- „ ceant , & etiam gravioribus , arbitrio Eminentissimi „ Episcopi “ .

Et in Synodo Viterbiensi (*anno* 1699. *c.* 14.) Cardinalis Francisci Mariæ Brancatii , sic decernitur , *Detestabilem nonnullorum Locorum nostræ Diœcesis abusum , ut sponsi de futuro , ante sacerdotalem benedictionem , & ante contractum in facie Ecclesiæ matrimonium , carnaliter se cognoscant , eliminari cupientes , gravissimis pœnis pecuniariis , & aliis publicis reprimatur : ut scilicet præ foribus Ecclesiæ accensam manibus candelam , donec Missarum agantur solemnia , detineant: & id genus aliis, ultra pœnam scutorum quinquaginta monetæ .*

Quod etiam a Clemente X. dum esset Camerinensis Episcopus , sancitum erat in Synodo (*ann.* 1630. *titul.* 23. *Decret.* 5.) , his verbis : *Curent Parochi , ut sponsi , ante celebratum matrimonium per*

verba de præsenti in Ecclesia coram ipsis & testibus, nulla ratione aut quovis prætextu cohabitent; aut etiam, propter corruptæ carnis fragilitatem, & ad evitandos lapsus, mutua consuetudine vel commercio utantur.

Hunc periculosum omnino usum extirpare volens Concilium Sanctæ Severinæ (*anno* 1597. *de Matr.*) statuit, ut „ si contra prohibitionem, sponsus ad sponsæ, vel „ illa ad ejus domicilium declinaverit, aut aliqua inter „ eos consuetudo usufve intercesserit, non liceat Parocho, „ inconsulto Episcopo, ad matrimonii per verba de præ- „ senti solemnitatem & benedictionem devenire: sed cum „ primum id rescierit, statim illum ea de re commoneat, „ ejusque licentiam expectet. Si quis contrafecerit, se- „ vere puniatur ".

Cardinalis Ludovicus Madrutius sic etiam statuit in Synodo Sabinensi (*anno* 1597. *c.* 12.) „ Eorum abusus „ qui antequam matrimonium in facie Ecclesiæ contra- „ hant, cum futuris sponsis versantur (unde multoties „ diversa scandala non sine animarum pernicie subórta „ sunt) tollere cupientes, statuimus, ut nulli in poste- „ rum sponsi, cujusvis status, gradus, & conditionis „ existant, etiam visitationis, aut quovis alio prætextu, „ invicem longiorem aut frequentiorem conversationem „ habere præsumant ante celebrationem matrimonii, sub „ pœna 25. aureorum locis piis applicandorum, arbitrio „ nostro; Parochi autem qui conversationis istius noti- „ tiam habuerint, sponsos prædictos ad matrimonium „ non admittant, nisi prius a Nobis vel Vicario habita „ facultate ".

Et Cardinalis Uldericus Carpineus, in Synodo Eugubina (*anno* 1638. *de Matr.*) decernit, ut „ sponsi an- „ tea quam matrimonium per verba de præsenti ex ritu „ celebraverint, neque simul habitent, neque ullo prorsus „ commercio utantur, sub pœna florenorum decem; super „ quo conscientiam Parochorum oneramus, ut transgresso- „ res Curiæ nostræ omnino denunciare teneantur ".

CAPUT II.

De proclamationibus seu denunciationibus Matrimonii.

Quæst. I. QUid intelligis per proclamationes, sive denunciationes?

Resp. Proclamationes sunt quædam solemnitas præcedens Matrimonium, instituta seu potius confirmata a Concilio Tridentino post Concilium Lateranense (*c. ult. de Cland. desponf.*), quod ait: „ Statuimus, ut cum „ Matrimonia fuerint contrahenda, in Ecclesiis per Pres- „ byteros publice proponantur, competenti termino præ- „ finito, ut intra illum qui voluerit & valuerit, legiti- „ mum impedimentum opponat ".

Unde

Unde etiam Concilium Tridentinum (*Sess.* 24. *de refor. c.* 5.) : „ Præcipit, ut in posterum, antequam Ma„ trimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium „ Parocho, tribus continuis diebus festivis in Ecclesia, „ inter Missarum solemnia publice denuncietur ".

Finis itaque denunciationum est, ut detegantur vera & legitima, canonicave impedimenta; unde Concilium Cameracense (*an.* 1565. *de Matr. c.* 90.) ait : „ Qui „ falsum impedimentum sciens prudensque attulerit, quo „ Matrimonium futurum impediat; quique verum impe„ dimentum sciens reticuerit, excommunicationis pœna „ castigetur ".

Quæst. 2. Quomodo se gerere debet Parochus cum personis, quæ volunt ut fiant proclamationes futuri Matrimonii?

Resp. Sanctus Carolus in Concilio Provinciali sexto (*Mediol.* 6. *tit. Quæ ad Matr. pertinent.*) ait : „ Ma„ trimonium futurum Parochus antequam in Ecclesia „ denunciet, sponsos seorsum moneat, ut videant, ne „ Matrimonio, quod inter se contrahere volunt, aliquod „ impedimentum obstet. Viderint igitur, an alteri fidem „ adstrinxerint, aut jurejurando spoponderint? an casti„ tatis religionisve votum ediderint? an aliquod impe„ dimentum inter eos intercedat cognationis etiam spi„ ritualis, aut affinitatis usque ad gradum jure, Tri„ dentinoque Concilio prohibitum? Si vero filii familias „ sint, hos Parochus valde cohortetur, ut parentibus, „ in quorum potestate sunt, eum honorem tribuant, ut „ illis ne insciis quidem nedum invitis, rem tanti „ momenti ineant. Id præterea studiose paterneque et„ iam utrumque hortetur, ut singulari quadam animi „ pietate, & oratione in primis frequentiori, in re tam „ gravi ad Deum confugiant. Quo in genere Tobiæ ado„ lescentis, cum uxorem duxit, commemorabile exem„ plum, imitationeque dignum proponat ".

Notandum etiam est, quod statuitur in Concilio Provinciali Senensi, congregato a Cardinali Francisco Maria Taurusio, Sancti Philippi Nerii socio (*de Matrim. c.* 2. *an.* 1599.), *ne assensu conjugum per vim metumve expresso, in Sacramentum Matrimonii perturbatio inducatur : hujus nostræ Provinciæ Parochos ipso facto suspensos intelligi, quatuorque præterea nummis aureis, in piorum locorum usum vertendis, mulctari volumus, qui matrimonium contrahendum populo ante denunciaverint, quam ex viro prius, quam ex muliere seorsim quæsierint, utrum id fieri sibi placeat, atque ad eam rem sponte per se ipsi ac libere veniant; quod tamen ita accipiendum statuimus, ut ex hujusmodi voluntate, de futuro contracta sponsalia dici non possint : sed eo solum consensus hic referatur, ut denunciationes in Ecclesia tres habeantur. Quod si non in eadem Parochiali vicinia degant, idipsum ab utroque Parocho, cujus cura*

subje-

subjecti sunt, omnino præstari jubemus; neque ab altero matrimonium ante vulgari quam ex altero cognitum consensum ejus habuerit, qui e suo grege non sit. Dum vero mulieris consensus exquiritur, sive in paternis ædibus, sive in domicilio Parochiali, sive in ipsa Ecclesia sint; illud præ oculis habeatur, ut decenti apertoque loco semper id fiat, pluresque adsint, qui mulierem & Parochum colloquentes videre, non tamen audire possint: ac proinde non ita prope accedant, ut suspicari Parochus possit, mulierem, præ pudore aliamve ob causam, minus libere animi sui sensum patefacturam.

Verum si in illius explorando consensu, Parochus invitam ad id trahi animadverterit, in tota re supersedeat, atque aliquam rationem prudenter excogitet, ne de ea Parentes, propter indignationem, gravius aliquid statuant. Denique rem ad Episcopum, seu ejus generalem Vicarium deferat; atque hi cum mulieris libertati prospiciant, tum eamdem ab omni periculo tutam, & incolumem præstent.

Idem decernitur in Synodo Auximana Antonii Cardinalis Bichii (*ann.* 1661. *c.* 13. *de Matr.* §. 2.), his verbis: „ In denunciationibus faciendis expectetur semper „ petitio & consensus sponsorum tam viri, quam mulie„ ris, nec ad aliorum instantiam, etiam parentum, & „ proximorum, vel curas eorum gerentium, matrimonia „ celebranda publicentur; imo Parochi sponsos ipsos inter„ rogent, an denunciationes fieri velint ". Idem statuitur in Synodo Tiburtina Cardinalis Marcelli Santacrucii an. 1658. De Matrim.

Demum in Concilio Provinciali Ravennatensi, celebrato ab Archiepiscopo Christophoro Boncompagno *an.* 1683. *de Matr. c.* 2.), expresse statuitur, quod „ *Parochi matrimonia Parochianorum suorum celebranda ne ante denuncient, quam ii quorum matrimonium denunciandum est, & non alii eorum nomine, etiam si parentes sint, illas denunciationes fieri petant, aut ut fiant, consensum suum præbeant. Quod si in diversis Parochiis illi habitent, utriusque item Parochus hoc ipsum servet, nec matrimonium alter Parochus denunciet, nisi sit ab altero Parocho certior factus de illius consensu qui ejus curæ subditus est*. Quod etiam jubetur a Cardinali Carolo Rosseto in Synodo Faventina an. 1648.

Et Cardinalis Jacobus Fransonus, in appendice ad Synodum celebratam an. 1630. a Clemente X. dum esset Episcopus Camerinensis (*an.* 1671. *tit. de Matr.*), sic statuit: „ Cum nullus sit contractus in quo major re„ quiratur libertas, quam in matrimonio, utpote qui ad „ Sacramentum elevatur, omni attentiori diligentia cave„ bunt Parochi, ne consensus, aut paterna, vel alia au„ thoritate per vim sit extortus, & in hanc rem majori „ attentione incumbent Parochi, si de consensus libertate

„ ali-

„ aliqua subsit causa dubitandi; puta si inter sponsos sit „ disparitas divitiarum, morum, natalium, vel similium „ conditionum, quæ a similibus contractibus prudentes „ viros retrahere solent: quod potissimum observandum „ erit in filiis sub patria potestate positis, & in adole„ scentibus, qui amore alicujus speciei facilius capiuntur, „ & eas frequenter amant nuptias, quas postea odio sum„ mo sunt habituri.

„ In habendo vero consensu fœminarum, major cura „ & diligentia erit adhibenda; illæ etenim uti fragilioris „ sexus, subito timore corripiuntur; ne parentes in recu„ satione offendant, & invitæ ad eas trahuntur nuptias „ quas non approbant. Ideoque a fœminis, puellis præ„ cipue, earum consensus remotis arbitris, petendus est, „ quorum præsentia causam præbere potest, ne sponsæ li„ bere, absque ullo metu, aut verecundia, suam volun„ tatem Parochis aperiant: & si prudenter fieri possit, „ & suspicio aliqua subsit, in confessionali sede eum ha„ bere curabit; sin minus, ejus voluntatem per honestam „ aliquam matronam, cujus fidei deferendum sit, explo„ rabit.

„ Tandem si Parochi noverint, sponsos ad consensum „ cogi ab aliquo parentum, vel consanguineorum, vel „ ab alio quocumque, hoc ab inferenda coactione, quæ „ grave est peccatum & res plena periculi, retrahere „ prudentibus argumentis conabuntur: & frustrati spe hoc „ assequendi, de tota re nos certiores facient, vel Vica„ rium nostrum generalem “.

Quæst. 3. Quo in loco fieri debent proclamationes?

Resp. Cum finis harum dispensationum sit, ut deprehendatur, an partes Matrimonium contrahere volentes, possint contrahere valide & licite, monet S. Carolus (*Act. p.* 4. *Instruct. Matrim. Tit. De Parochi diligent. in denunc.*), ut: *Antequam Matrimonium celebret, tres denunciationes ad Concilii generalis & Lateranensis, & Tridentini præscriptum, tribus continuis festis diebus, & de Ecclesiæ præcepto celebrandis, publice in Ecclesia, etiam utriusque, si diversæ Parochiæ contrahentes sunt, inter Missarum solemnia faciat.*

Quæst. 4. Quomodo se gerere debet Parochus in denunciationibus?

Resp. Cum horum Matrimonium malos sæpius habeat exitus, ac valde difficile sit impedimenta Matrimonii illorum detegere, summa cautela opus est; quare observare debet Parochus, quæ habet S. Carolus, dum ait (*Act. par.* 4. *tit. Quæ Paroch. doceat.*): *Vagantium hominum & peregrinorum Matrimonium non facile celebrabit; sed diligenti primum, ex Concilii Tridentini præscripto, inquisitione facta, & testimoniorum, quibus legitime de illis testatum fuit, cautione studiose adhibita, reque omni ad Archiepiscopum delata, ac facultate celebrandi Matrimonii ab eodem impetrata.* Et ut ait

Concilium Tridentinum (*Sess.* 14. *de refor. Matrim. c.* 7.): *Multi sunt qui vagantur, &c. Parochis autem præcepit, ne illorum Matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, & re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.*

Quæst. 5. Quid agere debet Parochus cum apponitur impedimentum?

Resp. Ut ait S. Carolus (*Act. par.* 3. *Synod.* 3. *Decr.* 34.): „ Si Parocho qui Matrimonium promulgavit, „ aliquod denunciatur impedimentum, quamobrem in- „ ter sponsos illud contrahi non posse dicatur; is nec „ ad illius Matrimonii celebrationem, neque ad aliam „ progrediatur denunciationem, etiam si id impedimen- „ tum quod affertur, vel falsum, vel malitiosum sibi „ videatur, vel nullius momenti: sed rem ad Archiepi- „ scopum deferat; si vero longius distat, Vicarium fo- „ raneum, de impedimento quod proponitur, certiorem „ faciat, neque de eo quidquam ante statuat, quam de „ eo quod faciendum sit, responsum acceperit “.

Quæst. 6. Quonam in loco fieri debent proclamationes, quando quis a brevi tempore commoratur in aliqua Parochia?

Resp. Certum est, quod hujusmodi proclamationes fieri debent in ea Parochia, ubi diutius aliquis commoratur, & ubi melius detegi possunt impedimenta Matrimonii, si quæ sint, juxta Concilium Lateranense (*in c. ult. de Clandest. Conc. Trid. Sess.* 24. *de ref. Matrim. cap.* 1.), his verbis: *In Ecclesiis per Presbyteros publice proponatur competenti termino præfinito, ut intra illum qui voluerit & valuerit, legitimum impedimentum proponat.* Et Concilium Tridentinum ait: *Denunciationes in Ecclesia fiant, ut si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur.*

Ea de causa prudentissime statuitur in Concilio Neapolitano (*an.* 1699. *tit.* 3. *c.* 9. *n.* 5.): „ Ut dubitatio- „ nibus, quæ ex domicilii mutatione suboriri solent, con- „ sulatur, in nulla Parochia tres ejusmodi proclamatio- „ nes fiant, nisi uterque, vel alter sponsus, saltem qua- „ tuor ante mensibus ibi domicilium collocarit, brevio- „ ri autem elapso tempore, una quidem in ea, ad quam „ recens commigrarunt, duæ reliquæ, unde discesserunt, „ peragantur “.

Quæst. 7. Debet-ne Parochus celebrare Matrimonium eadem die, qua ultima facta est proclamatio?

Resp. S. Carolus in Concilio Provinciali tertio (*tit.* 3. *de his quæ ad Matr. Sacram. pertinent.*) ait: *Quo die de Matrimonio contrahendo denunciatio ultima facta est, ne eo ipso die, nisi impetrata ab Episcopo facultate, illud celebretur. Id autem, præterquam si postrema ea denunciatio facta sit pridie illius diei quo initium est Quadragesimæ vel Adventus: ac nisi item Parochus populo, antecedente denunciatione, significaverit, eo die*

quo

quo postrema denunciatio fiat, Matrimonium esse contrahendum.

Idem Sanctus Carolus (*Act. p. 4. Instr. Matr. tit. De Parochi dilig. in denunciationib. aliisque.*) ait : „ Hortatur vero, ut in alterum, aut tertium aliumve differant: utque interea orationi frequentius vacent, Missamque de Spiritu sancto cum Oratione de beata Virgine, aut alia, ut est in Missa pro faciendo Matrimonio, pro se celebrari devote curent “.

Quæst. 8. Si post duos menses a proclamationibus factis non celebretur Matrimonium, sunt-ne iterandæ?

Resp. Illud expresse dicit Rituale Romanum his verbis: „ Si vero infra duos menses post factas denunciationes Matrimonium non contrahatur, denunciationes repetantur, nisi aliter Episcopo videatur “.

Quæst. 9. Quomodo se gerere debet Parochus cum quibusdam personis, quæ cum fuerint Matrimonio conjunctæ, dicunt se viduas, quia nullum de viris suis certum nuncium receperunt?

Resp. Hæc quæstio proposita fuit Clementi Papæ tertio, qui respondit his verbis (*Cap. In præsentia, de spons. & Matr.*); „ In præsentia nostra quæsivisti, quid agendum sit de mulieribus, quæ viros suos causa captivitatis, vel peregrinationis absentes ultra septennium præstolatæ fuerint, nec certificari possint de vita, vel de morte ipsorum, licet super hoc solicitudinem adhibuerint diligentem; & pro juvenili ætate, seu fragilitate carnis nequeunt continere, petentes aliis Matrimonio copulari. Consultationi ergo tuæ taliter respondemus, quod quantocumque annorum numero ita remaneant, viventibus viris suis, non possunt ad aliorum consortium convolare Canonice; nec authoritate Ecclesiæ permittas contrahere, donec certum nuncium recipiant de morte virorum.

Quæst. 10. Proclamationes sunt-ne adeo necessariæ ad Matrimonium, ut iis omissis nullum sit?

Resp. Constat ex Concilio Tridentino (*sess. 24. de refor. c. 1.*), quod licet illæ proclamationes fieri debeant, sicut etiam ex Concilio Lateranensi: *Matrimonium tamen non est nullum, sive invalidum, ubi non sunt factæ; sed solum illicitum.*

Quæst. 11. Graviter-ne peccant, qui denunciationes publicas secundum Ecclesiæ Decretum fieri non procurant?

Resp. Certum est, eos qui Matrimonium ineunt prætermissis denunciationibus, lethaliter peccare, utpote qui saltem præceptum Ecclesiæ in materia gravi infringunt. Unde sanctus Antoninus non dubitat asserere, non modo partes contrahentes, sed & Parochum assistentem tali Matrimonio mortaliter peccare: ait enim (*3. p. tit. 1. c. 16. in princ.*): „ Qui ergo contrahunt clandestine Matrimonium, mortaliter peccant: & tale Matrimonium dicitur contra interdictum Ecclesiæ, quia contra prohibitio-

„ tionem ejus est. Ubi nota quod hoc potest esse dupli-
„ citer. Uno modo, quia contra statutum juris, ut quia
„ tribus temporibus anni interdictis, vel quia est clan-
„ destina desponsatio: prohibetur enim ne Matrimonia
„ fiant clam & sine Bannis; & Sacerdos qui tales con-
„ junctiones inhibere contempserit, vel regularis qui in-
„ teresset hujusmodi, punitur; ubi servantur Banna,
„ esset mortale omittere.

Et tamen hic sanctus Doctor scripsit ante Concilium Tridentinum, quod publicas denunciationes majori cum cura, & universalius, quam prius fiebant, fieri decrevit: quod quidem intelligi debet, licet denunciationes factæ sint in una contrahentium Parochia, & in alia prætermissæ, si contingat, contrahentes in duabus commorari Parochiis; aut si non fiant modo a Concilio præscripto, hoc est, in Ecclesia inter Missarum Parochialium solemnia: quare licet Matrimonium contractum non præmissis denunciationibus, dici non possit clandestinum, quantum ad nullitatem, secundum Concilium Tridentinum; certum tamen est, illud esse illicitum, & clandestinum quoad alias pœnas ab Ecclesia constitutas contra eos, qui ejus Decreta in hoc non observant; proindeque pœnas incurrunt a Concilio Lateranensi (*in c. ult. §. Si quis, de Clandest. desponsat.*) statutas, his verbis: „ Si quis ve-
„ ro hujusmodi clandestina vel interdicta conjugia inire
„ præsumpserit, in gradu prohibito, etiam ignorantes,
„ soboles de tali conjunctione suscepta prorsus illegitima
„ censeatur, de parentum ignorantia nullum habitura
„ subsidium: cum illi taliter contrahendo, non expertes
„ scientiæ, vel saltem affectatores ignorantiæ videantur".

Et Concilium Tridentinum (*sess. 24. de ref. cap. 5.*) ait:
„ Si quis intra gradus prohibitos scienter Matrimonium
„ contrahere præsumpserit, separetur, & spe dispensatio-
„ nis consequendæ careat. Quod si ignoranter id fecerit,
„ si quidem solemnitates requisitas in contrahendo Ma-
„ trimonio neglexerit, eisdem subjiciatur pœnis. Non e-
„ nim dignus est, qui Ecclesiæ benignitatem facile expe-
„ riatur, cujus salubria præcepta temere contempsit".

Quæst. 12. Quisnam potest dispensare super denunciationibus Matrimonii?

Resp. Episcopus, aut ejus Vicarius generalis, qui Ordinarii nomine continetur; nisi prohibuerit Episcopus, ne Vicarius generalis dispensaret ab iis denunciationibus: sic enim ait Concilium Tridentinum (*ibid. c. 5.*):
„ Nisi Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut prædictæ
„ denunciationes remittantur: quod illius prudentiæ, &
„ judicio sancta Synodus relinquit".

Quæst. 16. Potest-ne concedi dispensatio a publicis denunciationibus, sine legitima causa?

Resp. Satis constat ex Concilio Tridentino (*sess. 14. de refor. c. 18.*), quod illæ dispensationes concedi non debent sine aliqua justa causa: *Sicuti*, inquit, „ publice

„ expe-

„ expedit Legis vinculum quandoque relaxare ut plenius
„ evenientibus casibus & necessitatibus pro communi utili-
„ tate satisfiat ; sic frequentius legem solvere, exemplo-
„ que potius, quam certo personarum rerumque delectu
„ petentibus indulgere, nihil aliud est, quam unicuique
„ ad Leges transgrediendas aditum aperire. Quapropter
„ sciant universi, sacratissimos Canones exacte ab omni-
„ bus & quoad ejus fieri poterit, indistincte observan-
„ dos. Quod si urgens justaque ratio, & major quando-
„ que utilitas postulaverit, cum aliquibus dispensandum
„ esse, id causa cognita, ac summa maturitate atque gra-
„ tis, a quibuscumque ad quos dispensatio pertinebit,
„ erit præstandum ; aliterque facta dispensatio surrepti-
„ tia censeatur". Quare cum idem Concilium Præsu-
lum judicio & prudentiæ dispensationem talem commi-
sit, illam sine gravi causa concedere minime debent ;
nam ut ait S. Antoninus (1. *p. tit.* 17. *c. unic.* §. 20.) :
*Possunt ipsi Prælati dispensare, & debent causa ratio-
nabili, puta alicujus necessitatis, vel majoris utilita-
tis. Quod si Prælati absque rationabili causa, vel
saltem dubia, pro sola voluntate, licentiam tribuant
veniendi contra Leges, secundum Bernardum, non erunt
dispensatores, sed dissipatores, & peccabunt ipsi dis-
pensantes cum dispensatis, si eis utuntur.* Eo autem
cautiores esse debent Prælati in dispensationibus ab his
denunciationibus concedendis, quod de jure tertii sæpius
agitur ; ex quo fit, ut aliquo modo teneri forte possint ad
resarciendum damnum quod patiuntur in Matrimonii ce-
lebratione illi, qui se opponere potuissent ; si factæ fuis-
sent denunciationes secundum Ecclesiæ statuta.

Quamobrem celebris Cleri Gallicani conventus Melo-
dunensis, nomine totius Ecclesiæ Gallicanæ, prohibet
an. 1579. tit. de Matr. in fine, *Ne trinæ proclamationes
omittantur, & dispensationes super illorum omissione
non concedantur, nisi ex causa diligenter probata.*

Quæst. 14. Quænam sunt causæ legitimæ, ob quas di-
spensare potest Episcopus super dictis denunciationibus.

Resp. Concilium Tridentinum (*sess.* 23. *de ref. Ma-
trim. c.* 18.), quod dispensandi potestatem dedit Epi-
scopis, quam eis non concesserat Concilium Lateranen-
se, non aliam videtur afferre rationem, quam ne Ma-
trimonium malitiose impediri possit ; & tamen optare
videtur, ut ante ejus consummationem fiant denuncia-
tiones ; sic enim habet : „ Quod si aliquando probabilis
„ fuerit suspicio, Matrimonium malitiose impediri pos-
„ se, si tot præcesserint denunciationes ; tunc vel una
„ tantum denunciatio fiat, vel saltem Parocho & duo-
„ bus vel tribus testibus præsentibus, Matrimonium ce-
„ lebretur. Deinde ante illius consummationem denun-
„ ciationes in Ecclesia fiant, ut si aliqua subsunt impe-
„ dimenta, facilius detegantur ; nisi Ordinarius ipse ex-
„ pedire judicaverit, ut prædictæ denunciationes remit-

„ tan-

„ tantur; quod illius prudentiæ & judicio ſancta Syno-
„ dus relinquit“.

Quæſt. 15. Qui novit aliquod impedimentum occultum, tenetur-ne ſemper aperire vi denunciationis?

Reſp. Tenetur, niſi ſub ſigillo Confeſſionis ſciatur, quod inviolabile eſſe debet ſecundum Divum Thomam, qui quæſtionem propoſitam ſolvit his verbis (2. 2. *q.* 70. *art.* 1. *ad* 2.): „ De illis quæ homini ſunt commiſſa ſe-
„ creto per Confeſſionem, nullo modo debet teſtimo-
„ nium ferre. Circa vero ea quæ aliter homini ſub ſe-
„ creto committuntur, diſtinguendum eſt: quandoque
„ enim ſunt talia, quæ ſtatim, cum ad notitiam homi-
„ nis venerint, homo ea manifeſtare tenetur, ut ſi ſint
„ in grave damnum alicujus perſonæ, vel ſi quid aliud
„ eſt hujuſmodi, quod quis propalare tenetur, vel teſti-
„ ficando, vel denunciando“.

Tenetur igitur quis declarare impedimentum prohibens, & multo magis dirimens Matrimonium, quamvis ab ipſo probari non poſſit; nam unus tantum teſtis ſufficit, qui ſaltem pandit viam per quam ſuperior diligenti inquiſitione ad talis impedimenti notitiam pervenire, & contrahentes a tali flagitio revocari valeant; præterquam quod impedimenti revelatio, non ad plectendum ſcelus admiſſum, ſed ad illud impediendum pertinet; nam ſi impedimentum dirimens ſit, niſi tollatur, contrahentes in perpetuo vivunt concubinatu, & filii non erunt legitimi. Si autem impedimentum tale ſit, ut impediat faciendum, non autem dirimat Matrimonium jam factum; eo caſu gravis fit injuria Sacramento, quod in peccato mortali recipitur, contra Dei & Eccleſiæ Leges; & quia unius viri probi teſtimonium ſufficit ad impediendam Matrimonii celebrationem, ut dicitur in Canone his verbis (*Cap. Super eo, quod de Teſtib. & atteſt.*):
„ Super illa vero quæſtione, an mulier conjungenda
„ non ſit viro, pro eo quod ſola mater alterutrius
„ eos eſſe conſanguineos confitetur, non debent con-
„ jungi“.

Quæſt. 16. Quomodo ſe gerere debet Parochus, vel Ordinarius, qui ex confeſſione contrahentium impedimentum diſcit?

Reſp. Monere debet privatim perſonam, a qua ſcit illud impedimentum, ut aliquam viam excogitet ad Matrimonium differendum, donec ſaltem peti & obtineri poſſit diſpenſatio neceſſaria, ut Matrimonium ſit validum; ſin autem poſt hanc admonitionem urgeatur a partibus contrahentibus, non poteſt ipſis Matrimonium denegare, ne Confeſſionem revelet, quod minime licet: ut enim ait Divus Auguſtinus (*p.* 3. *tit.* 13. *c.* 1.): „ Quidquid vide-
„ tur Confeſſori faciendum, vel omittendum pro bono
„ ipſius confitentis, vel bono communi, poteſt facere,
„ vel omittere, dummodo per hoc non reveletur Con-
„ feſſio, quod ſolum obligatur“. Quantum vero ad diſpen-

pensationes pro impedimentis occultis, videatur Instructio in fine Tomi hujus quinti.

Quæst. 17. Quid agere debet Parochus, cum petentes in Matrimonium conjungi, ignorant præcipua fidei Mysteria?

Resp. Ut ait sanctus Carolus in Concilio Provinciali quinto (*Mediol.* 5. *tit. Quæ ad Matr.*): *Parochus quos sponsos experiundo viderit Doctrinæ Christianæ rudimenta plane ignorare, ne Matrimonio illos ante jungat, quam ea item ratione cognoverit didicisse, quæ de eo generе illos plane scire oportet.* Et ut legitur in Rituali Romano: *Et uterque sciat rudimenta fidei, cum ea deinde filios suos docere debeant.*

Unde in Synodo Spalatensi (*ann.* 1668. *c.* 3.) statuitur his verbis: „ Ideo volumus, Parochos ad denunciationes a Concilio Tridentino requisitas non devenire, „ nisi qui contrahere voluerint, primaria fidei dogmata, „ & essentiales Sacramenti pœnitentiæ partes calleant".

Præterea Eminentissimus quondam Adderanus Cardinalis Cibo, Sacri Collegii Decanus & Episcopus Ostiensis & Veliternus, in celebri Synodo sic statuit (*Syn. Velitern. ann.* 1698. *tit.* 4.); „ Qui essentialia catholicæ fi„ dei capita ignoraverint, ad Patrini Officium in Ba„ ptismi, & Confirmationis sacramento non recipiantur: „ similiter nec aliis sacris Sodalitatibus, præterquam do„ ctrinæ christianæ, adscribentur; imo nec ad contra„ hendum matrimonium admittantur. Ac propterea vo„ lumus, Parochos ad denunciationes a sacro Concilio „ requisitas non devenire, nisi de necessariis ad salutem „ eos qui contrahere voluerint, prius examinaverint; „ ut ita tandem rubore suffusi, ea quæ ignorare omnino „ non debent, addiscere compellantur".

Et Cardinalis Antonius Barberinus, in Synodo Senogalliensi (*ann.* 1627. *c.* 1. §. 6.) sic statuit: „ Volu„ mus & omnino observari jubemus, ut qui, sive mas, „ sive mulier, nescit culpa sua, eo videlicet, quod do„ ceri ut opus erat non curaverit, orationem Domini„ cam, Salutationem Angelicam, fidei symbolum, & „ decem legis præcepta, ad matrimonium contrahendum „ a Parocho non admittetur; patrinus in baptismate, „ aut Confirmatione esse non possit; ad quoscumque Or„ dines, vel ad primam tonsuram non admittatur". Vide Tom. 4. Tr. 6. c. 9. q. 6.

Demum Carolus Cardinalis Rossetus statuit (*Synod. Faventina, an.* 1647. *tit.* 10. *c.* 10. *n.* 8.), *ut si sponsi rudimenta fidei ignorent, Parochus moneat eos, se non ante ad tertiam denunciationem deventurum, quam illa ab ipsis recte memoria teneri & intelligi perspexerit; hoc tamen fiat suaviter, & absque violentia, & ad breve tempus, & interim omne studium adhibeat, ut ea addiscant.*

Idem fere prudenter statuit Concilium Provinciale Turi-

ritanum in Sardinia, a S. Congregatione Concilii revisum & approbatum (*Conc. Turritan. ann.* 1533. *De Matr.*): decernit igitur, ut uterque sponsus ante matrimonium, *sciat fidei rudimenta, cum ea filios suos docere teneatur; si non sciverit, poterit differri celebratio matrimonii, sed non denegari.*

CAPUT III.

De nomine & definitione Matrimonii, & motivis, quæ in eo contrahendo haberi debent.

Quæst. I. QUid significat nomen Matrimonii?

Resp. Ut ait S. Augustinus (*lib.* 19. *contra Faustum. c.* 26.): *Matrimonium ex hoc appellatum est, quod non ob aliud debeat fœmina nubere, quam ut mater fiat.* Et ut ait S. Raymundus (*tit. de Matr.*): *Munium Matris id est officium, quia dat mulieribus esse matres; vel quia mulieris officium plus apparet in Matrimonio, quam officium viri.* Ideoque Matrimonium dicitur; ut enim legitur in Canone (*Cap. ult. de convers. infid.*): *Ante partum onerosus, dolorosus in partu, post partum laboriosus: ex hoc legitima conjunctio maris & fœminæ magis Matrimonium, quam Patrimonium nuncupatur.*

Quæst. 2. Quid est Matrimonium?

Resp. Illud Magister sententiarum, juxta jus utrumque, Canonicum & Civile, ita definit (*lib.* 4. *dist.* 27.): *Matrimonium est viri mulierisque conjunctio maritalis inter legitimas personas, individuam vitæ consuetudinem retinens.*

Quæst 3. Quotuplex est Matrimonium?

Resp. Triplex, scilicet Matrimonium legitimum seu naturale, ratum ab Ecclesia, & consummatum.

Quæst. 4. Quid est Matrimonium legitimum?

Resp. Matrimonium legitimum est illud quod contrahitur per legitimum consensum inter personas liberas secundum leges; hujusmodi est Matrimonium infidelium & Hæreticorum, & generaliter Matrimonium omnium hominum ante adventum Christi Domini, tam in Lege naturæ, quam in Lege scripta.

Quæst. 5. Quid est Matrimonium ratum?

Resp. Est illud, quod Fideles contrahunt in facie Ecclesiæ, additque matrimonio naturali seu legitimo rationem Sacramenti, ad quam in Lege gratiæ fuit elevatum; ut enim ait Innocentius tertius relatus in Canone (*Cap. Quorum de Divortiis.*): „ Etsi Matrimonium verum inter Infideles existat, non tamen est ratum; inter Fideles autem verum & ratum existit: quia Sacramentum fidei, quod semel est admissum, numquam amittitur, sed ratum efficit conjugii Sacramentum, ut ipsum in conjugibus, illo durante, perduret.

Quæst.

Quæst. 6. Quid est Matrimonium consummatum?

Resp. Est illud, ad quod subsecuta est carnalis copula inter conjuges permissa, a qua vim majorem acquirit, & fit magis indissolubile.

Quæst. 7. Datur ne aliquis casus, in quo Matrimonium legitimum dissolvi possit?

Resp. Hanc quæstionem resolvit Innocentius Papa tertius relatus in Canone (*In cap. Quanto de Divortiis.*): „ Si enim, *inquit*, alter Infidelium conjugum „ ad fidem Catholicam convertatur, altero, vel nullo „ modo, vel non sine blasphemia divini nominis, vel ut „ eum pertrahat ad mortale peccatum; ei cohabitare vo„ lente; qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota „ transibit; & in hoc casu intelligimus quod ait Aposto„ lus: *Si infidelis discedit, discedat; Frater enim & so„ ror non est servituti subjectus in hujusmodi:* Et Cano„ nem etiam in quo dicitur: Contumelia Creatoris solvit „ jus Matrimonii circa eum qui relinquitur".

Quæst. 8. Matrimonium fidelium legitime contractum in facie Ecclesiæ, nondum tamen consummatum, est-ne indissolubile?

Resp. Hoc Matrimonium, quod ratum nuncupatur, per se quidem est indissolubile, potest tamen quibusdam in casibus legitime solvi: „ Indissolubilitas, *ait sanctus* „ *Bonaventura* (*in* 4. *sent. dist.* 27. *ar.* 3. *q.* 2. *in corp.*), „ consequitur Matrimonium, non tantum consummatum, „ sed etiam ratum. Et propter hoc etiam ratum est, quia „ quamdam indissolubilitatem, licet minorem, quam „ Matrimonium consummatum, habet; habet tamen sibi „ competentem. Sicut enim vinculum Matrimonii con„ summati est insolubile viventibus extremis vita corpora„ li, nec solvitur nisi morte corporali; sic nec Matrimo„ nium, in quo est conjunctio mentium & animorum, „ potest solvi, nisi homo moriatur spiritualiter huic mun„ do, sive operi carnis; & hoc fit intrando Religionem, „ & emittendo votum castitatis.

Quæst. 9. Si Fidelis, ante Matrimonii consummationem, contrahat Matrimonium cum altera, & illud consummet, primum Matrimonium est ne nullum?

Resp. Alexander Papa tertius in Concilio Lateranensi tertio (*Sponsal. & Matr. c.* 8.), relatus in Canone, huic quæstioni sic respondet: „ Inquisitioni tuæ taliter res„ pondemus, quod si legitimus consensus ea solemnitate, „ qua fieri solent, præsente scilicet Sacerdote, aut etiam „ ejus Notario, sicut etiam in quibusdam locis adhuc ob„ servatur coram idoneis testibus, interveniat de præsenti, „ ita quod unus ad alium in suam mutuo consensu verbis „ expressis recipiat, utrimque dicendo: Ego te recipio in „ meam, & ego te in meum; sive sit juramentum, sive „ non; non licet mulieri alii nubere: & si nupserit, & „ fuerit carnalis copula subsecuta, ab eo separari debet, & „ ut ad primum redeat, Ecclesiastica districtione compelli.

Idem

Idem habetur in alia Decretali ſcripta Archiepiſcopo Senonenſi his verbis (*Ib. Can.* 17.): „ Porro ſi qui vir „ & mulier pari conſenſu contraxerint Matrimonium, & „ vir, ea incognita, aliam duxerit in uxorem, & eam „ cognoverit, cogendus eſt ſecundam dimittere, & ad „ primam redire.... Sane quamquam mulieri deſponſa- „ tæ, & a viro non cognitæ, liceat ad Religionem tranſi- „ re, aliam tamen non poteſt ducere in uxorem “.

Quæſt. 10. Matrimonium conſummatum poteſt-ne aliquando ſolvi inter Fideles?

Reſp. Eſt omnino indiſſolubile, quia perpetuam repræſentat Jeſu Chriſti Domini noſtri cum Eccleſia unionem, Myſterio Incarnationis peractam; Matrimonium vero non conſummatum ſignificat tantum unionem Spiritus Dei cum anima juſtorum, quæ peccato ſolvi poteſt. Sic enim habetur in Canone (*Cap. Debitum de Bigamis non ordinand.*): „ Cum duo ſint in conjugio, videlicet con- „ ſenſus animorum, & commixtio corporum, quorum „ alterum ſignificat charitatem, quæ conſiſtit in ſpiritu „ inter Deum & juſtam animam; reliquum vero deſi- „ gnat conformitatem, quæ conſiſtit in carne inter Chri- „ ſtum & Eccleſiam: ad quod pertinet illud quod Evan- „ geliſta teſtatur: Verbum caro factum eſt, & habitavit „ in nobis “.

Quando autem partes, quæ contraxerunt Matrimonium, ex communi conſenſu ingrediuntur Monaſterium, tunc non diſſolvitur Matrimonium, ſed potius partes in perpetuum ſeparantur, ut ait Nicolaus Papa relatus in Canone (*Canon. Scripſit.* 27. *quæſt.* 2.): *Nam licet ſit ſcriptum, quod Deus conjunxit, homo non ſeparet, Deus tamen, non homo ſeparet, quando divini amoris intuitu, ex conſenſu utriuſque conjugis, Matrimonia diſſolvuntur.*

Quæſt. 11. Matrimonium eſt-ne unum ex ſeptem Sacramentis a Chriſto Domino inſtitutis?

Reſp. Ex Concilio Tridentino (*ſeſſ.* 14. *c. & Can.* 1.), & univerſali Eccleſiæ traditione, conſtat, eſſe Sacramentum conferens gratiam, & a Chriſto Domino inſtitutum, cum ante Matrimonium fuerit merus contractus naturalis inſtitutus ab authore naturæ propter humani generis multiplicationem, ut dicitur in Geneſi, cap. 1. *Creſcite & multiplicamini. Quæ verba*, inquit ſanctus Antoninus (3. *p. tit.* 1. *c.* 1. *in princ.*), *referens Chriſtus Phariſæis, ut habetur Matth.* 13. *inſtituit Matrimonium, ut eſſet Sacramentum Eccleſiæ.*

Quæſt. 12. Quomodo probari poteſt contra Hæreticos, Matrimonium eſſe vere Sacramentum?

Reſp. Probari poteſt ex Divo Paulo, qui ait (*ad Epheſ. c.* 5. *v.* 32.): *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.* Ex quo loco antiqui Patres Matrimonium Sacramentum appellant. Sanctus Auguſtinus, juxta mentem Apoſtoli loquens, ait

(*lib.*

(*l. de fide & operib. c. 7.*): *In civitate Domini, in monte sancto ejus: hoc est in Ecclesia, ubi nuptiarum non solum vinculum, verum etiam Sacramentum ita commendatur, ut non liceat uxorem suam alteri tradere.*
Idem Doctor in alio loco ait (*De bono Conjug. c. 7.*): *Usque adeo fœdus illud initum nuptiale cujusdam initæ Sacramenti res est, ut nec ipsa separatione irritum fiat.* Et c. 13. *In nostrorum quippe nuptiis, plus valet sanctitas Sacramenti, quam fœcunditas uteri.* Idem afferit sanctus Chrysostomus (*in Genes. Hom. 16.*): *An non audis*, inquit, *Paulum dicentem, quod Sacramentum sunt nuptiæ, & imago dilectionis Christi, quam erga Ecclesiam declaravit?*

Quæst. 13. Quibusnam motivis duci debent contrahentes Matrimonium?

Resp. Ea recenset sanctus Carolus, dum ait (*Act. par. 5. Instr. Matr. tit. Quæ Parochus doceat.*): „Docebit „igitur, quo animi affectu, & quam ob causam Fide- „les Matrimonium ineant. Quo in genere demonstra- „bit, ad illud eos non explendæ libidinis causa duci o- „portere, sicut equus & mulus, quibus non est intelle- „ctus: neque præcipue offerri cupiditate divitiarum: sed „cum prolis suscipiendæ gratia, qua sanctam Catholi- „cam Religionem colens, ad cœlestium præmiorum hæ- „reditatem Christianæ vitæ præceptis, pieque agendi „usu instituatur. *Tobiæ c. 6.* Accipies cum timore Do- „mini amore filiorum, magis quam libidine ductus. „*Idem sanctus ibidem ait*: Dum etiam causa vitandæ „fornicationis, & ut conjuges, alter alterius ope adju- „ti, vitæ incommoda facilius ferre, & senectutis imbe- „cillitatem sustentare queant".

Quæst. 14. Sunt-ne omnia hæc nuptiarum motiva æqualiter bona?

Resp. Sic respondet Divus Augustinus (*De bono Conjug. c. 10.*): *Concubitus enim necessarius causa generandi, inculpabilis & solus ipse nuptialis est. Ille autem qui ultra istam necessitatem progreditur, jam non rationi, sed libidini obsequitur.* Propagatio itaque filiorum, ipsa est prima & naturalis, & legitima causa nuptiarum. Et in alio loco ait (*l. de Decem chordis, c. 11. in fine.*): *Cum ipsa uxore, si exceditur concumbendi modus procreandis liberis debitus, jam peccatum est; ad hoc enim ducitur uxor: nam id etiam Tabulæ indicant, ubi scribitur, liberorum procreandorum causa. Quando tu uti uxore amplius, quam necessitas procreandorum liberorum cogit, volueris, jam peccatum est: & ipsa talia peccata quotidianæ eleemosynæ mundant.*

Et ut ait Sanctus Gregorius (*Pastor. 1. p. 2. c. 28.*): „Admonendi sunt conjuges, ut suscipiendæ prolis se me- „minerint causa conjunctos: & cum immoderata admix- „tioni servientes, propagationis articulum in usum trans- „ferunt voluptatis, perpendant, quod licet extra non

„ exeant, in ipſo tamen conjugio, conjugii jura tran„ ſcendunt ... Unde neceſſe eſt, ut crebris exhortationi„ bus moneantur, ut defleant, quod pulchram copulæ „ ſpeciem admixtis voluptatibus fœdant ".

Alterum motivum, vitandæ ſcilicet fornicationis gratia, non eſt immune a peccato, juxta unanimem ſanctorum Patrum ſententiam, qui etiam damnant uſum Matrimonii propter vitandam fornicationem, niſi fiat ad reddendum debitum: ait enim Sanctus Auguſtinus (*de bono Conjug. c. 7.*): *Reddere debitum conjugale, nullius eſt criminis: exigere autem ultra neceſſitatem generandi culpæ venialis.* Unde ſanctus Bonaventura (*in 4. diſt. 31. art. 2. ad 14.*): *Dicendum quod quis coit cauſa fornicationis vitandæ, aut hoc eſt in ſe, aut in altero. Si in altero, ut reddat debitum, hoc eſt puræ juſtitiæ, hoc eſt fidei, & eſt de bonis Matrimonii; recte ideo omnino a culpa excuſatur. Qui vero coit cauſa fornicationis vitandæ in ſe, in hoc ſemper peccat venialiter.*

Et Sanctus Thomas ibidem ad 2 ait (*in 4. diſt. 31. art. 2. ad 2.*): „ Si aliquis per actum Matrimonii in„ tendat vitare fornicationem in conjuge, non eſt ali„ quod peccatum, quia hoc eſt quædam redditio debiti, „ quod ad bonum fidei pertinet. Sed ſi intendat vitare „ fornicationem in ſe, ſic eſt ibi aliqua ſuperfluitas, & „ ſecundum hoc eſt peccatum veniale, nec ad hoc eſt „ Matrimonium inſtitutum, niſi ſecundum indulgen„ tiam, quæ eſt de peccatis venialibus ".

Et ibidem in corpore ait: *Duobus ſolis modis conjuges abſque omni peccato conveniunt, ſcilicet cauſa prolis procreandæ, & debiti reddendi; alias autem ſemper eſt ibi peccatum ad minus veniale.*

Tertium motivum, ut ſibi conjuges mutuam operam præſtent, damnari nullatenus poteſt; ut enim inquit ſanctus Gregorius (*Paſt. 3. c. 18.*): „ Admonendi ſunt „ conjuges, ut ea in quibus ſibi aliquando diſplicent, „ & patientes invicem tolerent, & exhortantes invicem „ ſalvent; ſcriptum namque eſt: Invicem onera veſtra „ portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti. Lex quip„ pe Chriſti charitas eſt. Quia ille nobis & largiter ſua „ bona contulit, & æquanimiter mala noſtra portavit. „ Tunc ergo legem Chriſti & ejus mandata imitanda „ complemus, quando & noſtra benigne conferimus, & „ aliorum mala pie ſuſtinemus. Admonendi quoque ſunt „ & conjuges, ut eorum quiſque non tam quæ ab al„ tero tolerat, quam quæ ab ipſo tolerentur, attendat. „ Si enim ſua quæ portantur, conſideret, ea quæ ab al„ tero ſuſtinet, levius portat ".

Quæſt. 15. Quomodo intelligenda ſunt hæc Apoſtoli verba: *Unuſquiſque ſuam uxorem habeat propter fornicationem*; Ex hoc enim videtur dicendum, contrahi poſſe Matrimonium ſola vitandæ fornicationis gratia?

Reſp.

Resp. Exponit hæc Apostoli verba sanctus Augustinus, dum ait (*lib. De bono Conjug. c.* 10.) : „ Unde mihi „ videtur hoc tempore, solos eos qui se non continent „ conjugari oportere ; secundum illam ejusdem Apostoli „ sententiam : Quod si se non continent, nubant : me- „ lius est enim nubere, quam uri. Nec ipsis tamen pec- „ catum sunt nuptiæ, quæ si in comparatione fornica- „ tionis eligerentur, minus peccatum essent, quam for- „ nicatio ; sed tamen peccatum essent “.

Unde idem Doctor considerans, quod pauci sunt, qui legitime utantur Matrimonio, ait (*De bono Conjug. l. unico, c.* 13.) : *Quod tam magnum est, ut multi hodie facilius se tota vita ab omni concubitu abstineant, quam modum teneant non coeundi nisi prolis causa, si Matrimonio copulentur.*

„ Hinc est, *inquit Sanctus Gregorius* (*Pastor. p.* 3. „ *c.* 28.), quod peritus Medicinæ cælestis Apostolus non „ tam sanos instituit, quam infirmis medicamenta mon- „ stravit, dicens : *De quibus scripsistis mihi, bonum est* „ *homini mulierem non tangere ; propter fornicationem* „ *autem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquæ-* „ *que suum virum habeat*. Qui enim fornicationis me- „ tum præmisit, profecto non stantibus præceptum con- „ tulit : sed ne fortasse in terram ruerent, lectum ca- „ dentibus ostendit. Unde adhuc infirmantibus subdidit : „ *Uxori vir debitum reddat, similiter & uxor viro*. „ Quibus dum in magna honestate conjugii aliquid de „ voluptate largiretur, paulo post subdit : *Hoc autem* „ *dico secundum indulgentiam, non secundum impe-* „ *rium*. Culpa quippe esse innuitur, quod indulgeri per- „ hibetur ; sed quæ tanto citius relaxetur, quanto non „ per hanc illicitum quid agitur, sed hoc quod est lici- „ tum, sub moderamine non tenetur “ ?

CAPUT IV.

De Materia, Forma, & Ministro Sacramenti Matrimonii.

Quæst. I. MAtrimonium est-ne unum ex septem Ecclesiæ Sacramentis ?

Resp. Ut patet ex Concilio Tridentino (*sess.* 24. *c.* 1.) : *Merito inter novæ Legis Sacramenta annumerandum sancti Patres, Concilia, & universalis Ecclesiæ Traditio semper docuerunt*. Et in Canone 1. dicitur : *Si quis dixerit, Matrimonium non esse vere, & proprie unum ex septem Legis Evangelicæ Sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, Anathema sit.*

Quæst. 2. Quænam est materia & forma Sacramenti Matrimonii ?

Resp. Videtur, quod verba, vel signa exprimentia mu-

mutuum partium consensum sint materia, & forma hujus Sacramenti: nam si verba considerentur ut expressio mutuæ voluntatis, qua partes legitime volunt contrahere, & mutuam in sua corpora tradere potestatem, constituunt materiam Matrimonii; & hæc eadem verba considerata ut acceptatio necessaria & mutua, qua alter acceptat voluntatem suæ compartis, sunt forma hujus Sacramenti; quia hæc voluntas, & hæc traditio corporum, est adhuc imperfecta, donec acceptetur, & perficiatur per determinationem efficacem, quam producit mutua utriusque acceptatio, quæ ideo est loco formæ. Ita expresse sanctus Thomas his verbis (*in 4. dist. 6. art. 1. ad 1. & ad 3.*): „ Verba quibus consensus Matrimonialis exprimitur, sunt forma hujus Sacramenti. „ Sacramentum Matrimonii perficitur per actus ejus, „ qui Sacramento illo utitur, sicut pœnitentia: & ideo „ sicut pœnitentia non habet aliam materiam, nisi ipsos „ actus sensui subjectos, qui sunt loco materialis elementi; ita est de Matrimonio". Certum autem est, hos actus non aliud esse, quam verba a Patribus prolata, quoniam non alii actus desiderantur ad matrimonium perficiendum.

Quæst. 3. Quisnam est hujus Sacramenti Minister?

Resp. Licet post Concilium Tridentinum præsentia Parochi sit absolute necessaria ad validitatem matrimonii, non videtur tamen interesse ut Minister; sed tantum ut testis. Etenim, ex eodem Concilio, præsentia Parochi, ante determinationem Concilii, ad hujus Sacramenti validitatem necessaria non erat; sic enim habet (*sess. 24. de refor. c. 1.*): *Dubitandum non est, clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata & vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit, & proinde jure damnandi sunt illi, ut eos sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera, & rata esse negant.* Cum autem certum sit, Concilium nullatenus rerum naturam mutasse, Parochus, qui olim tantum intererat matrimonio ut testis, non autem ut minister, cum matrimonium in ejus absentia contractum validum esset, nec nunc quidem Minister est Sacramenti matrimonii; & licet ejus præsentia nunc necessaria sit ad validitatem matrimonii, ea tamen non alia ratione requiritur, quam ut requirebatur ante Concilium, scilicet ut testis principalis: ita expresse Divus Thomas, qui ait (*4. sent. dist. 26. q. 2. art. 1. ad 2.*): „ Verba quibus „ consensus matrimonii exprimitur, sunt forma hujus Sa„ cramenti, non autem benedictio Sacerdotis, quæ est „ quoddam Sacramentale. *Et idem S. Doctor in alio „ loco ait (in 4. sent. dist. 2. q. 1. n. 3. in corp.)*: „ Quædam sunt essentia Sacramenti, quibus omissis, non „ est Sacramentum; quædam autem ad solemnitatem Sa„ cramenti pertinent, quibus omissis, verum perficitur „ Sacramentum, quamvis peccet, qui omittit; ita et-

„ iam

„ iam consensus expressus per verba de præsenti, inter
„ personas legitimas, ad contrahendum matrimonium
„ facit, quia hæc duo sunt de essentia Sacramenti, alia
„ autem omnia sunt de solemnitate Sacramenti. Unde
„ si omittantur, verum Matrimonium est".

Monendum tamen hic est, quod licet id, quod asseruimus de materia, forma, & Ministerio hujus Sacramenti, sit communior Theologorum opinio; nihilominus tamen Doctores quidam insignes, tum antiqui, tum moderni, pluribus rationibus, quas referunt, & sequuntur Estius (14. *lib.* 4. *sent. dist.* 26. *c.* 10. *& seqq.*), & Sylvius (*tom.* 4. *in* 3. *p. summ. S. Th.* 48. *art.* 1.), contendunt, contrahentium actus esse materiam hujus Sacramenti, Parochum vero esse Ministrum, & verba a Concilio Tridentino allata: *Ego vos in matrimonium conjungo, &c.* quæ Parochus profert, audito prius mutuo partium consensu, esse formam.

Quæ quidem opinio conformis est Manuali Attrebatensi anno 1600. *Sponsus, & sponsa*, inquit, *debent fieri conjuges, dicendo: Et ego conjungo vos, &c.* Manuale Iprense anno 1576. *Dicat Sacerdos: Et ego tamquam Ecclesiæ minister vos in matrimonium conjungo, &c.* Manuale Mechliniense anno 1589. & 1607. *Stante viro ad dexteram, muliere vero ad sinistram, Sacerdos hujus Sacramenti Minister.... data sibi utrimque fide, dicat Sacerdos: Et ego tamquam Dei Minister, vos in matrimonium conjungo, &c.* Synodus Camerac. ann. 1567. cap. 1. de Matrim. *Cum constet in matrimonio habendam esse rationem non solum divinæ institutionis, sed etiam Sacramenti, & gratiæ, quam in illo consequuntur fideles; admonendos esse dicimus Parochos hujus Ministros, &c.* Sacerdotale Roman. collectum anno 1494. per Albertum Castellanum Dominicanum; *Et ego authoritate qua fungor, conjungo vos matrimonialiter.* Sacerdotale Toletan. l. 7. c. 2. *Efficiens causa matrimonii sunt ipsi contrahentes, in quantum est contractus quidam. At vero ut Sacramentum, Deus est causa principalis, Minister est causa instrumentalis, sicut in aliis Sacramentis.*

Unde, secundum hanc sententiam, matrimonia clandestina facta sine Presbytero ante Concilium Tridentinum erant vera matrimonia, sed non erant Sacramenta novæ Legis. Plures moderni Theologi sequuntur hanc opinionem, & eo quidem lubentius, quod eam credant traditioni conformiorem, quam opinionem communem, quam sequimur, magisque propriam ad convincendos hæreticos, & ad probandum, matrimonium esse verum novæ Legis Sacramentum.

Quæst. 4. Consuetudo celebrandi matrimonia coram Parocho, & accipiendi ejus benedictionem, est-ne antiqua in Ecclesia?

Resp. Patet ex antiquitate, hanc consuetudinem esse Apostolicæ Traditionis. Sic enim ait S. Ignatius Martyr (*ep.*

(*ep.* 11. *ad Polycarp.*): „ Decet vero, ut & ducentes „ uxores, & nubentes, cum Episcopi arbitrio conjungantur: ut nuptiæ juxta præceptum Domini, non autem „ ob concupiscentiam coisse videantur".

Et juxta hunc sensum, Cardinalis Baronius ait (*ann.* 47. *n.* 4.): „ Hoc est, quod idem Apostolus dicit; Cui „ vult, nubat, tantum in Domino. In Domino enim nubere, nihil aliud est, quam secundum Leges & ritus Ecclesiæ ab ipsis Apostolis traditos contrahere Matrimonium.

Idem observat Tertullianus his verbis (*ad uxorem l.* 2. *in fine.*): *Unde sufficiant ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio?* Et in alio loco (*lib. de pudicitia.*): *Penes nos occultæ quoque conjunctiones, id est, non prius apud Ecclesiam professæ, juxta mœchiam, & fornicationem judicari periclitantur.*

Enimvero legimus in Canone, qui Evaristo Papæ attribuitur (*Can. Aliter.* 30. *q.* 5.): *Aliter legitimum non fit conjugium, nisi Sacerdotaliter, ut mos est, cum precibus, & oblationibus a Sacerdote benedicatur.* Ideoque Hormisdas Papa, relatus etiam in Canone (*Can. Nullus, ib.*), ait: *Nullus fidelis cujuscumque conditionis sit, occulte nuptias faciat; sed benedictione accepta a Sacerdote publice nubat in Domino.* Et Nicolaus Papa I. ad Consulta Bulgarorum, relatus etiam in Canone, ait (*Can. Nostrates, ib.*); *Ambo ad nuptialia fœdera perducuntur; & primum quidem in Ecclesia Domini cum oblationibus, quas offerre debent Deo per Sacerdotis manum, statuuntur: sicque demum benedictionem, & velamen cæleste suscipiunt.*

Denique legimus in Concilio Carthaginensi IV. (*Can.* 13.) *Sponsus, & sponsa benedicendi sunt a Sacerdote, qui cum benedictionem acceperint, eadem nocte pro reverentia ipsius benedictionis in virginitate permaneant.* Et S. Ambrosius ait (*ep.* 70. *l.* 9.): *Cum ipsum conjugium velamine Sacerdotali, & benedictione sanctificari oporteat.*

Unde Concilium Coloniense (*ann.* 1566. *p.* 7. *c.* 40.) asseruit: „ Quod Sacramentum si quis, sicut decet, ac„ ceperit, accedente Sacerdotali precatione, confert do„ num Spiritus, quo vir diligat uxorem amore casto, „ sicut Christus Ecclesiam: mulier vicissim propter Chri„ stum amet, revereaturque virum suum, uti dominum; „ uterque liberos, si dentur, summa cura instituant ad „ Christianam pietatem".

Quæst. 5. Matrimonium potest-ne contrahi per procuratorem, etiam post Concilium Tridentinum?

Resp. Cum Concilium Tridentinum nihil innovaverit circa hoc Sacramentum, nisi pro præsentia Parochi, sequitur, matrimonium posse valide, & licite contrahi per procuratorem coram Parocho, sicut sine dubio fiebat, aut fieri poterat ante Concilium Tridentinum, ut patet

ex

ex Canone his verbis (*Cap. ult. de procur. in 6.*) :
„ Procurator non aliter censetur idoneus ad Matrimo-
„ nium contrahendum , quam si ad hoc mandatum ha-
„ buerit speciale ; & quamvis alias is , qui constituitur
„ ad negotia procurator , alium dare possit , in hoc ta-
„ men casu non poterit deputare alium , nisi hoc eidem
„ specialiter sit commissum . Sane si procurator , ante-
„ quam contraxerit , a domino fuerit revocatus ; contra-
„ ctum postmodum matrimonium ab eodem (licet tam
„ ipse , quam ea , cum qua contraxerit , revocationem
„ hujusmodi penitus ignorarent) nullius momenti exi-
„ stit , cum illius consensus defecerit , sine quo firmita-
„ tem habere nequivit ".

Quæst. 6. Præsentia Parochi , & duorum testium , est-ne adeo necessaria post Decretum Concilii Tridentini , ut matrimonium numquam possit reddi validum sine illa præsentia ?

Resp. Audienda solummodo sunt verba Concilii Tridentini (*Seff. 24. de refor. c. 1.*) ; „ Qui aliter , quam
„ præsente Parocho , vel alio Sacerdote , de ipsius Paro-
„ chi , seu Ordinarii licentia , & duobus , vel tribus te-
„ stibus , Matrimonium contrahere attentabunt ; eos san-
„ cta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles
„ reddit ; & hujusmodi contractus irritos , & nullos esse
„ decernit , prout eos præsenti Decreto irritos facit , &
„ annullat ". Sequitur igitur , matrimonium sic celebratum esse nullum defectu materiæ necessariæ , quæ deest post hoc Decretum , defectu formæ , & Ministri hujus Sacramenti : cum materia nihil aliud sit , quam verba prolata a legitimis partibus ; forma in mutua eorumdem verborum acceptatione consistat , & partes legitimæ sint hujus Sacramenti Ministri . Cum autem hæc omnia ad essentiam matrimonii pertineant , nullo casu illud sine illis validum esse potest , non magis quam inter personas impedimentum dirimens habentes .

Observandum autem est , quod , juxta Rituale Romanum , Parochus tenetur notare matrimonium celebratum , cum circumstantiis necessariis , in libro ad hoc expresse destinato ; & ne talis nota aliquo modo pereat , statuitur in pluribus Synodis , ut vidimus Tom. 3. de Baptismo , quod exemplaria matrimoniorum per annum celebratorum , consignentur Cancellario Episcopali ; & in Synodo Liciensi (*anno 1663. tit. 4. §. 3.*) sic expresse habetur ;
„ In consuetis quinque libris Parochialibus , Baptizatos ,
„ Confirmatos , Matrimonio conjunctos , defunctos , &
„ statum animarum describant Parochi , adhibitis formu-
„ lis Ritualis Romani Pauli V. tempore editi . Et quia
„ aliquos ex dictis libris casu , vel ipsorum incuria com-
„ perimus fuisse quandoque deperditos ; præcipimus , ut
„ singulis annis de Mense Maji eorum exemplaria pro-
„ prio charactere subscripta , ad Episcopalis Archivii
„ Præfectum deferant , in eodem custodienda ". Quod

etiam decernitur a Marcello Cardinali Santacrucio, his verbis (*Syn. Tib. anno* 1618. *tit.* 10. *n.* 8.); *Matrimoniorum libri copiam quotannis ad Vicarium generalem transmittant, in Episcopale archivio custodiendam*.

In Synodo Bituntina (*anno* 1682. *tit.* 3. §. 9.) apprime erudita statuitur his verbis: „ Volumus, & decernimus, etiam servata forma Decretorum nostrorum Prædecessorum, & præfati Sacri Concilii, confici quinque libros, videlicet primum animarum, quolibet anno renovandum in prima hebdomada Quadragesimæ, juxta Decretum Synodale Eminent. D. Cardinalis Crescentii, in quo nomina, conditionem, sexum, diem, locum, & respective cujuslibet ætatem describant. 2. Baptizatorum. 3. Confirmatorum. 4. Matrimoniorum. 5. Defunctorum, ad formam Ritualis Romani. Quibus fideliter peractis, Actuario, sive Archivii Episcopalis Curiæ conservatori exhibeant, ut accurate serventur". Cardinalis Roma, in alia Synodo Tiburtina (*an.* 1656.) statuit, ut *liber matrimoniorum ad archivium Episcopale deferatur per Parochos singulis annis, ipsi autem exemplum apud se diligenter custodiant*.

Decernitur in Concilio Provinciali Senensi, Cardinalis Francisci Mariæ Taurusii, a S. Sede expresse confirmato, & approbato (*anno* 1599. *de Baptismo*, *c.* 11.), ut Parochus libri baptismalis *per singulos annos exemplum, juxta formam a nobis traditam in Synodo, quotannis exhibeat, tutoque in Archivio servandum præterea curent Episcopi*.

Et in Synodo Theatina, Nicolai postea Cardinalis Radulovici (*anno* 1664. *tit.* 9. *de Matr. n.* 13.), statuitur, ut Parochus *libri matrimoniorum exemplum, circa finem mensis Decembris, ad Vicarium generalem transmittat, in Cancellaria reponendum*.

Et Carolus Cardinalis Rossettus, in Synodo Faventina (*anno* 1660. *de Parochor. libris*) statuit, ut „ ad præcavendas fraudes, quæ forte possent adhiberi, & ad pleniorem acquirendam fidem, libri omnes, in quibus a Parochis, & Curatis, tum Civitatis, tum Diœcesis describuntur nomina baptizatorum, confirmatorum, mortuorum, & conjugum, singulis chartis arithmetico numero prius signatis, Cancellarii Episcopalis sigillo, ac subscriptione firmentur, & in authenticam formam redigantur. Cumque eo ventum fuerit, ut absolutis jam paginis, nullius in his nomen possit amplius describi, ad Cancellariam Episcopalem deferantur, ut Cancellario custodiendi committantur, qui eos in pluteo, vel in alio loco a cæteris scripturis, & libris sejuncto, reponat, ne vel Parochorum, vel hæredum incuria, in privatis ipsorum ædibus absumantur, vel alia ratione depereant. Quod si alicui obvenerit necessitas extrahendi a prædictis libris notulam aliquam, vel fidem, conveniendus tunc erit Cancel-

„ la-

larius, qui eam fideliter extractam, & in authenticam
„ formam redactam exhibebit. Ne autem quis Parochus
„ defes sit in prædictis libris modo enarrato tradendis,
„ caveat Cancellarius ipse, ne novum aliquem librum
„ firmet, vel sigillo suo, aut manu muniat, nisi vetere
„ prius recepto ".

Præterea in Concilio Provinciali Salernitano, a S. Sede approbato, & ab Archiepiscopo Lucio Sanseverino convocato (*an.* 1515. *de Baptis. & Matrim.*), statuitur, ut *Parochi libri baptismalis exemplum quotannis præsentent Episcopis, qui illud in Archivio servandum curabunt*: quod etiam de libro matrimoniorum alibi decernit.

Novissime Eminentissimus Cardinalis Vincentius Maria Ursinus, in Synodo Tusculana, quam præside Illustrissimo Archiepiscopo Hydruntino, Francisco Maria de Aste, congregavit (*anno* 1703. *c.* 6.), ita statuit: „ Quia
„ adhuc perdurare comperimus luctuosam negligentiam,
„ quæ vigebat tempore visitationis Apostolicæ anni 1636.
„ circa custodiam librorum Parochialium, qui obitu
„ Parochorum in manibus hæredum ut plurimum rema-
„ nent, vel sordidis aliis usibus adhibendi, cum nimio
„ detrimento Parochianorum, & civilis vitæ, ac com-
„ mercii: ideoque renovantes Decretum in dicta Visita-
„ tione factum, sub titulo *de Sacramentis in genere*,
„ inter Decreta generalia: Præcipimus ut Parochi omnes
„ transumptum librorum baptizatorum, confirmatorum,
„ status animarum, matrimoniorum, ac defunctorum,
„ propria manu descriptum, & authenticatum, quolibet
„ triennio coram Reverendissimo Vicario generali exhi-
„ beant in foliis æqualibus, & bene dispositis, ut faci-
„ le in unum componi valeant, retinendum in Archivio
„ Episcopali, sub pœna scutorum quinquaginta applican-
„ da usibus piis, qua vice defecerint. Quibus tamen ad-
„ dimus, ut interdictum omnino sit Cancellario, sive
„ Archivistæ, copias & partitas ex dictis foliis extrahe-
„ re, & aliis dare in Parochorum præjudicium, sub pœ-
„ na excommunicationis ipso facto incurrendæ, qua vice
„ id attentare ausus fuerit: & detectus, ultra damni re-
„ fectionem Parocho, cui præjudicavit, pœnam solutio-
„ nis scutorum decem sustineat ".

Idem fere fuerat jam statutum a Cardinali Octavio de Aquaviva, in Synodo Neapolitana (*anno* 1607. *Decr.* 15.), his verbis: *Parochi singulis annis, mense Januario, exemplum authenticum librorum, in quibus baptizati, conjugati, & defuncti sunt descripti, ad nostrum archivium deferant: ex quibus exemplar aliquod, nisi in defectu librorum originalium numquam extrahatur.*

Qu. 7. Matrimonium contractum coram Parocho cui Episcopus expresse interdixit, ne assisteret, est-ne validum?

Resp. Licet illi, qui matrimonium inirent non obstante Episcopi prohibitione, & Parochus tali matrimonio

assistens, graviter peccarent, & jus haberet Episcopus eos puniendi, validum tamen esset hujusmodi matrimonium; licet enim Episcopus prohibeat, ne Parochus intersit matrimonio, non tamen contractui rite a contrahentibus inito suam vim, & robur, nec præsentiæ a Parocho vel volente, vel invito exhibitæ suum valorem adimit. Ratio est, quia Parochus, non obstante dicta prohibitione, semper est Parochus. Quare licet Episcopus intendisset irritare dictum matrimonium, non tamen esset invalidum, quia Episcopus non potest apponere impedimentum dirimens huic Sacramento. Si enim prohibitio Episcopi invalidum reddere posset matrimonium, multo magis illud invalidum redderet Concilium Tridentinum, quando prohibet ne Parochi vagorum matrimonio intersint, non monito prius Episcopo, & sine ejus licentia; contrarium tamen sentiunt omnes Doctores; quia si Concilium matrimonium in tali casu reddere voluisset nullum, eum casum in suo Decreto expressisset. Unde Sacra Congregatio Concilii Tridentini Interpretum apud Fagnanum ita habet (*in c. Litteræ, & Matr. contra interd. Ecclesiæ in fine*): „ Episcopus „ Viennensis dubitavit, an validum sit matrimonium „ adhibito Parocho, cui ab Episcopo fuerat interdictum, „ ne illi matrimonio interesset? Sacra Congregatio cen- „ suit, esse validum “.

Quæst. 8. Si Episcopus prohibuit, ne Vicarius temporalis Parochi matrimonio assisteret, & postea tamen ei interesset, non obstante tali prohibitione, matrimonium foret-ne nullum?

Resp. Sic respondet Fagnanus ibidem n. 16. „ Eadem „ conclusio procedit in Vicario Parochi, licet tempora- „ li, supposito, quod habuerit licentiam generalem ad- „ ministrandi omnia Sacramenta, & alia gerendi, quæ „ ad proprium Parochum pertinent, vel saltem specia- „ lem licentiam matrimonii celebrandi, juxta declara- „ tionem Sacræ Congregationis Concilii, in casu Januen- „ si. Quod si ex inhibitione constaret de revocatione li- „ centiæ ab ipso Ordinario concessæ, secus dicendum es- „ set, non propter inhibitionem, sed propter revocatio- „ nem “.

Qu. 9. Matrimonium coram Parocho, & testibus per violentiam detentis celebratum est-ne validum, & licitum?

Resp. Est validum, sed illicitum. Quod sit validum, patet, quamvis enim Parochus & testes per vim detineantur, cum celebratur matrimonium, dummodo & ipse Parochus, & testes advertant, & intelligant contrahentium consensum per verba de præsenti, vel per idoneum aliquod signum luculenter expressum, validum esse matrimonium decrevit eadem Congreg. Concilii Trid. vigesimo nono Augusti 1591. „ Sacra Congregatio Con- „ cilii censuit, matrimonium coram Parocho, & testi- „ bus contractum, nisi aliud obstet, validum esse, quam-

„ vis

„ vis Parochus invitus adfuerit, & alia de causa, quam
„ ut matrimonio interesset, a contrahentibus accersitus
„ fuerit: dum tamen ad actum matrimonii vere, & for-
„ maliter fuerat adhibitus.

Tamen, quia in simili actu illicito vis quædam infertur Ecclesiæ in persona sui ministri, & ne talis temeraria, pervicaxque præsumptio, & legum Ecclesiasticarum contemptus, sine pœna sit; ideo Archiepiscopus Genuensis, Dominicus de Marinis, ita in Synodo statuit (*Synodus Genuens. ann.* 1619. *de Matr.*): „ Qui sub ali-
„ quo prætextu Parochum vocant, & eo præsente, non
„ tamen ad hunc effectum vocato, coram testibus, aut
„ etiam Notario, matrimonium contrahunt; ultra ex-
„ communicationis pœnam ipso facto incurrendam, et-
„ iam in pœnam 500. scutorum, si sint divites, piis usi-
„ bus applicandorum: si pauperes, exilii a tota Diœcesi
„ per decennium incurrant: & eadem pœna plectantur,
„ pater, mater, fratres, & alii consanguinei, vel alii
„ quicumque, ac etiam testes, qui in id scienter con-
„ senserint, vel aliquo modo cooperati fuerint“.

Quæst. 10. Matrimonium celebratum in Parochia mulieris coram Sacerdote, cui Parochus viri, qui est alterius Parochiæ, facultatem dedit assistendi dicto matrimonio, est-ne validum?

Resp. Licet prima fronte videatur, quod ille Sacerdos delegatus non possit interesse matrimonio, nisi in Parochia delegantis; attamen cum actus Sacerdotis assistentis matrimonio non sit proprie actus jurisdictionis, respiciatque potius contrahentes, quam locum, in quo matrimonium contrahitur; & aliunde non debeat extendi impedimentum constitutum a Concilio Tridentino, ad casus, de quibus nihil decrevit; concludendum est, dictum matrimonium fore validum, etiamsi contrahentes diversa sint non modo Parochia, sed Diœcesi. Huic quæstioni sic respondet Sacra Congregatio Concilii Tridentini (*Declar. Congreg. Cardin. Conc. Trid. Interpr.* 16. *Feb.* 1595.). „ An validum censeri debeat matrimonium
„ celebratum in Parochia mulieris coram Sacerdote ha-
„ bente licentiam a Parocho viri, & præsertim cum Pa-
„ rochiæ viri, & mulieris sint in diversis Diœcesibus con-
„ stitutæ? Omnes fuerunt ejus sententiæ, ut Matrimonium
„ celebratum coram Sacerdote de licentia Parochi viri in
„ Parochia mulieris, etiamsi in diversis Diœcesibus ipsæ
„ Parochiæ constitutæ sint, valeat“.

Quæst. 11. Possunt ne appponi nova impedimenta Matrimonii?

Resp. Quamvis nulla humana potestas possit immutare substantiam, & essentiam Sacramentorum, quia divinæ sunt institutionis; certum tamen est, potuisse ab Ecclesia constitui impedimenta dirimentia Matrimonii, sicut definitum fuit a Concilio Tridentino (*Sess.* 22. *de ref. Matr. Can.* 4.), his verbis: *Si quis dixerit, Ecclesiam*

non potuisse constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, Anathema sit. Et ratio est, quia hoc Sacramentum necessario fundatur in contractu, qui redditur invalidus, nisi adsit præsentia Parochi, & duplicis saltem testis, eo modo, quo Matrimonium personæ liberæ cum servili nullus est, cum pars libera ignorat conditionem servilem alterius; ut constat ex Canone, in quo sic legitur (*Cap. ult. de Conjugio serv.*): *Mandamus, quatenus si constiterit, quod miles ignoranter contraxit cum ancilla, ita quod postquam intellexerit conditionem ipsius, nec facto, nec verbo consenserit in eamdem; contrahendi cum alia liberam ipsi concedas authoritate Apostolica facultatem.*

Personæ igitur contrahentes possunt inhabiles & incapaces fieri ad Matrimonium contrahendum aliter quam coram Parocho & testibus, quemadmodum incapaces reddi possunt propter aliquem affinitatis aut consanguinitatis gradum, ut pro diversis gradibus, diversis temporibus institutum fuit, & observatum. Nihilominus in substantia Sacramenti nihil fuit immutatum: verum cum semper mutuus consensus ad Matrimonium necessarius exprimi debuerit a personis capacibus, minimeque secundum jus prohibitis: quando Concilium inhabiles declaravit, qui sine hac solemnitate Matrimonium inire vellent, consequens est, quod illud, quod prius materiam necessariam hujus Sacramenti constituere poterat, per accidens, propter dictam prohibitionem, jam non amplius ejus materia esse possit. Unde Ecclesia clandestine contrahentes inhabiles declarando, non tollit obligationem jam ortam, sed impedit, ne oriatur.

CAPUT V.

De consensu ad Matrimonium necessario.

Quæst. I. Liber contrahentium consensus est-ne de necessitate Matrimonii?

Resp. Ecclesia multoties definivit, liberum consensum partium esse omnino necessarium: & Alexander Papa tertius relatus in Canone, satis clare explicat his verbis (*Cap. Cum locum, de Sponsal. & Matr.*); *Cum locum non habeat consensus, ubi metus vel coactio intercedit: necesse est, ut ubi assensus cujusque requiritur, coactionis materia repellatur. Matrimonium autem solo consensu contrahitur; & ubi de ipso quæritur, plena debet securitate ille gaudere, cujus est animus indagandus: ne per timorem dicat sibi placere quod odit; & sequatur exitus, qui de invitis solet nuptiis provenire.*

Liber consensus adeo necessarius est, ut ait Nicolaus Papa relatus in Canone, ut si consensus in Matrimonio deficiat, omnes aliæ solemnitates, ipsa etiam copula carnalis, prorsus inutiles sint; Quamobrem Glos-

Glossa in Canone *Notificasti*, ait (*dist.* 3. *q.* 5. *verbo Licentiam*): *Coacta voluntas, voluntas est; secus in Matrimoniis, ubi exigitur voluntas directa, vel spontanea*: adeo ut partes contrahentes plena integraque libertate gaudeant, nullaque vi ad consentiendum potius, quam ad non consentiendum pertrahantur.

Quæst. 2. Est-ne necesse, ut consensus exprimatur per verba?

Resp. Quamvis regulariter consensus debeat exprimi per verba, nihilominus tamen signis manifestari potest, & indiciis, ut ait Catechismus Concilii Tridentini (*p.* 2. *de Matr.*), his verbis: *Sed verborum loco, tum nutus, & signa quæ intimum consensum aperte indicent, satis ad Matrimonium esse possunt, tum ipsa etiam taciturnitas, cum puella propter verecundiam non respondet, sed pro ea parentes loquuntur*. Verum ut præscribitur in Rituali Romano: *Debet curare Parochus, ut consensus partium per verba exprimatur, nisi forte aliquis ex contrahentibus sit mutus, in quo casu signa sufficiunt*, ut dicitur in Canone his verbis (*Can. Cum apud sed. de Spons. & Matr.*): *Utrum mutus & surdus possit alicui Matrimonio copulari, cum sufficiat ad Matrimonium solus consensus illorum, de quorum conjunctionibus agitur; videtur, quod si talis velit contrahere, sibi non possit, vel debeat denegari; cum quod verbis non potest, signis valeat declarare*.

Quæst. 3. Consensus solummodo externus, & apparens, cum deest internus, sufficit-ne ad ineundum Matrimonium?

Resp. „ Si sit, *inquit sanctus Bonaventura* (*in* 4. „ *dist.* 21. *q.* 2. *n.* 21.), consensus exterior sine interio- „ ri, non est Matrimonium secundum veritatem, nec „ secundum divinum judicium, nec secundum conscien- „ tiæ forum, quamvis esse videatur & judicetur secun- „ dum judicium Ecclesiasticum ... Et cum hujus sit „ multiplex ratio, hæc tamen est præcipua, quia in o- „ mnibus Sacramentis requiritur intentio voluntaria fa- „ ciendi, quod facit Ecclesia. Quia ergo talis secundum „ veritatem non intendebat contrahere Matrimonium, „ non fuit, nec est Sacramentum “.

Id ipsum definivit Innocentius Papa tertius relatus in Canone (*Can. Tua nos duxit, de Spons. & Matr.*), respondendo ad casum sibi propositum, hoc modo: *Finxit se vocari Joannem*, non credens esse conjugium, eo quod ipse non vocaretur hoc nomine, nec haberet propositum contrahendi, sed copulam tantum exequendi carnalem: utrum inter prædictos sit matrimonium celebratum, cum mulier consenserit in eumdem, & ille dissenserit, & dissentiat? Respondemus, quod cum præfatus vir prædictam desponsaverit mulierem in propria persona, & sub nomine alieno, quo vocari tunc se finxit; videtur fore pro conjugio præsumendum, nisi tu nobis

ex-

expresse scripsisses, quod ille non proposuit, nec consensit illam ducere in uxorem; quod qualiter tibi constiterit, non videmus. Nos autem quid juris sit rescribentes, dicimus quod si res ita se habet, videlicet quod ille eam non proposuit ducere in uxorem, nec umquam consensit in prædictam personam, non debet ex illo facto conjugium judicari, cum in eo nec substantia conjugalis contractus, nec forma contrahendi conjugium valeat inveniri: quoniam ex altera parte dolus solummodo adfuit, & defuit omnino consensus, sine quo cætera nequeunt fœdus perficere conjugale.

Quæst. 4. Consensus per metum expressus sufficit-ne ad valorem Matrimonii?

Resp. Consensus datus per metum gravem non sufficit ad Matrimonium, quamvis sit interior, bona fide, & absque omni fictione, quoniam ut habetur in capite *Cum locum*, a nobis superius laudato, necesse prorsus est, ut ambæ partes libere consentiant, & non per vim; cujus rationem affert sanctus Bonaventura, dum ait (*in* 4. *dist.* 29. *q.* 1. *art.* 1. *ad* 1.): *Ad illud quod objicitur, quod coacta voluntas, voluntas est; dicendum, quod verum est; sed numquam sufficit talis voluntas ad faciendum bonum, nec etiam ad contrahendum Matrimonium, pro eo quod Dominus voluit hoc Sacramentum contrahi per consensum liberum, non coactum.*

Quæst. 5. Quisnam metus impedit valorem Matrimonii?

Resp. Metus coactus, ut dicitur in capite *Veniens ad nos*, De Sponsal. & Matrim. qui possit in virum constantem cadere, impedit Matrimonium; qui quidem metus variis in locis in utroque jure, tam civili, quam Canonico, est expressus, & reduci posse videtur ad metum mortis, mutilationis alicujus membri, diuturni carceris, perditionis famæ, servitutis, aut captivitatis, & tormenti alicujus considerabilis; quorum mentionem facit Divus Thomas his verbis (*in* 4. *dist.* 29. *q.* 1. *art.* 2. *ad* 2.): *Mors, verbera, dehonestatio per stuprum, & servitus*: & hæc continentur hoc versu:

Stupri, sive status, verberis, atque necis.

Quorum singula terrere possunt virum constantem, quando præsumitur probabiliter, quod ille, qui minatur, possit minas implere; ut explicat Divus Bonaventura, dum ait (4. *dist.* 29. *q.* 3. *art.* 6. *ad* 1. *in corp.*):
„ Levis est, cum quis parvum malum minatur, vel cum
„ talis minatur, de quo præsumitur, quod implere non
„ possit. Tunc autem est metus justus, quando aliquis
„ comminatur damnum mortis, mutilationis, servitutis,
„ & stupri. Tunc autem cadit in virum constantem,
„ quando præsumitur probabiliter, quod ille, qui mi-
„ natur, possit minas implere“.

Quæst. 6. Quomodo dividi possunt hi metus graves?

Resp. Duplicis sunt generis, alii enim proveniunt a causis naturalibus & internis; hujusmodi sunt metus mor-

mortis, procedens ex aliquo morbo, vel naufragio, pœnis inferni, cognitione peccatorum, &c. Alii proveniunt ab aliqua causa extrinseca & libera, ut metus quem concipimus ex prædone, cum mortem minatur, nisi tradatur illi crumena, &c. Hoc supposito, certum est, quod metus gravis proveniens a causa naturali, aut intrinseca, non reddit consensum Matrimonii invalidum, nec invalidam professionem in aliqua Religione, ut dicitur in Canone his verbis (*Cap. Sicut nobis, de Regular.*): *Clericus cum ægritudine nimia laboraret, quasi de morte securus, & de recuperanda sanitate desperans, habitum Canonicorum Regularium petiit, & accepit: Respondemus quod si Regularem habitum, se postulante, suscepit, & ad observationem Religionis Canonicæ suæ se professione ligavit, ad resumendum habitum Ecclesiastica est districtione cogendus.*

Quæst. 7. Quotuplex est metus proveniens ex causa externa, & libera?

Resp. Duplex est: alius enim nobis intentatur, ut assentiamur Matrimonio; alius ob aliam causam. Metus nobis incussus ob aliam causam a Matrimonio, non irritat Matrimonium; quia in hoc casu causa libera non nos compellit ad consensum, cum nos ad Matrimonium cogere nolit: sicut, si ut evidens aliquod periculum mortis mihi intentatum evadam, ducam in uxorem filiam hominis præpotentis, ut mihi in his angustiis opem ferat, consensus est validus, licet solus metus ad id me inducat; quia hujusmodi inimicus intendebat solum me occidere, non autem ut metu mortis Matrimonio consentirem. Quamobrem in his casibus ita se habet timor, ac si ex naturali & interiori causa procederet, ut jam diximus, quia tunc proprie loquendo nemo nos cogit Matrimonio consentire; sed ipsi consentimus ut grave periculum effugiamus: talisque metus est mera occasio mei consensus, non vero proprie causa, nisi per accidens. Inde inferri potest, secundum mentem Innocentii quarti in cap. *Cum locum*, De Sponsal. quod si quis assentiatur Matrimonio, ut hac via carcere exeat, Matrimonium esset validum, si alias ob causas, quam ob Matrimonium, ibi detinebatur.

Quæst. 8. Quomodo dividi possunt metus graves ad Matrimonium inducentes?

Resp. Dividi possunt in metum justum & injustum. Timor etiam injustus subdividi potest in eum, qui est injustus tam in seipso, quam in modo quo intentatur: cujusmodi est metus, quem nobis intentat homo privatus, minitans mortem, quam ob nullum crimen incurrere meretur. Alius metus dumtaxat injustus est quantum ad modum, cum, verbi gratia, persona privata mihi mortem minatur, quia me deprehendit in homicidio, aut alio crimine, quod secundum Leges mortem meretur, nisi ducam in uxorem filiam ejus. Timor justus est ille,

ille, qui est de malo quod quis metuere potest secundum ordinem justitiæ propter crimen, de quo juridice convictus est.

Quæst. 9. An timor omnis injustus consensum Matrimonii reddat nullum?

Resp. Certum est, timorem omnem injustum, tum ratione sui, tum ratione modi quo intentatur, Matrimonium reddere nullum, si gravis sit, & eo fine incutiatur, ut matrimonio consensus præbeatur: „ Talis, *in-* „ *quit sanctus Antoninus* (3. *p. tit.* 1. *c.* 7. *in princ.*), „ coactio consensus per talem metum Matrimonium im- „ pedit, & quantum ad judicium Dei, & quantum ad „ judicium Ecclesiæ, etiamsi adsit consensus interior in „ matrimonio: quamvis enim consensus interior sufficien- „ ter cogi non possit, tamen per prædictum metum tam „ vehementer inducitur, quod multum in ipso diminuitur „ de ratione voluntarii. Et ideo nec Deus, nec Ecclesia „ voluerunt, hominem per talem consensum esse ligatum. „ Et ratio est duplex: una est, quia Matrimonium si- „ gnificat conjunctionem Christi & Ecclesiæ, quę fit per „ liberum amorem; alia est, quia talia Matrimonia ma- „ los exitus haberent. Potest etiam dici, secundum ali- „ quos, quod Ecclesia aliquo modo instituit, ut persona „ modo prædicto coacta sit illegitima, durante prædicta „ coactione, ad contrahendum cum illa, ad quam du- „ cendam cogitur ".

Quæst. 10. Timor justus reddit-ne consensum invalidum in Matrimonio?

Resp. Cum dictus metus proprie a legibus, & natura criminis hanc pęnam merentis proveniat; dici potest, quod potius oritur a causa interna & naturali, quæ non irritat Matrimonium, ut mox dicemus, quam a causa extranea, & libera, licet de facto judex alicui minetur mortem, nisi talem personam ducat in uxorem. Ratio est, quia origo hujus metus est in anima rei, qui ob grave delictum subdit se pœnæ a Lege constitutæ: quare quoties crimen, quod est admissum, post se trahit pœnam mortis, aut Matrimonii; licet consensus præstitus sit ob solum metum mortis, Matrimonium est validum: & in aliquibus Tribunalibus, ubi morte damnatur, qui abusus est honesta Virgine, nisi eam ducat uxorem, nihilominus tale Matrimonium validum est secundum Ulpiani Jurisconsulti peritissimi sententiam; qui loquens de vi, quæ contractus efficit nullos, ait (*L. Continet*, §. *sed vim*, *ff. de eo*, *quod metus causa*): *Sed vim accipimus atrocem*, & *eam quæ adversus bonos mores stat*, *non eam quam Magistratus intulit*, *scilicet jure licito*, & *jure honoris quem sustinet*.

Gregorius Papa nonus hanc controversiam definisse videtur, dum ait (*Can.* 2. *de Adulter.* & *stupro*.): „ Pervenit ad nos, quod Felix quandam Virginem stu- „ pro decepit; quod si verum est, quamvis esset de Lege „ pœna plectendus, nos aliquatenus Legis duritiem mol-

„ lien-

„ lientes, hoc modo disponimus, ut aut quam stupravit uxorem habeat, aut si renuendum putaverit, corporaliter castigatus excommunicatusque, in Monasterio, in quo agat pœnitentiam, detrudatur, de quo nulla sit egrediendi sine præceptione licentia “.

Certum est autem, pœnas in hoc casu propositas esse graves, earumque metum cadere posse in constantem virum, eumque cogere ad Matrimonium ineundum, ut eas devitet: quocirca constat, jus Canonicum ea probare Matrimonia, quæ justo timore, & juridice incusso fiunt; quoniam quidem vult, ut judices talem metum proponant, ut eum ad Matrimonium contrahendum cogant cum ea, qua abusus est; dicique minime potest, Ecclesiam velle, ut Matrimonium revera nullum contrahatur; siquidem præter gravia mala, quæ inde nascerentur (cum conjuges simulati starent ita in perpetuo concubinatu) neque pena foret, quam jus Canonicum contra stupratorem statueret, si Matrimonium foret invalidum, minimeque subsisteret; sed pura potius simulatio sine ullo prorsus effectu.

Quæst. 11. Potest-ne alia afferri ratio ad probandum, Matrimonia ex justo metu contracta, valida esse?

Resp. Dici potest hoc in casu, Matrimonium considerari posse ut medium, quod alicui offertur ad declinandam mortem, aut aliam gravem penam, quam ob suum crimen merebatur; & quod metus non est Matrimonii causa, sed potius Matrimonium expellit timorem jam a natura criminis conceptum; reus est unica hujus metus causa, ac proinde non procedit a causa extrinseca. Quare, ut dicitur in Lege (*L. Si mulier, ff. de eo, quod metus causa.*): *Si mulier contra Patronum suum ingrata facta, sciens se ingratam, cum de suo statu periclitabatur, aliquid Patrono dederit, vel promiserit, ne in servitutem redigatur, cessat Edictum; quia hunc sibi metum ipsa infert.* Quare cum Medicus minatur ægroto, se illum deserturum, nisi filiam suam in uxorem ducat, Matrimonium post has minas contractum sine dubio validum est, licet æger in eo loco versetur, quo nullum alium reperire potest Medicum, qui sui curam agat; quia tunc Medicus non est auctor metus, qui cogit ægrotum ad Matrimonium ineundum, sed potius ægritudo: cumque Medicus eum curare non teneatur, ei Matrimonium proponit, ut laboris, & curæ suæ mercedem, mediumque, quo mortem possit evitare, cujus metum ex morbo quo laborat concepit. Sicut in aliquibus regionibus latro, verbi gratia, morti damnatus, ab ea se potest liberare, ducendo in uxorem mulierem corruptam, ut eam ad saniorem vitam a sua corruptela reducat; aliis quoque in locis homicida liberatur a morte, quam juste promeruit, si velit in uxorem ducere filiam ejus, quem occidit: quia in his duobus casibus tollitur potius metus conceptus, quam incutitur,

& ita

& ita consensus est validus. Dici potest præterea in similibus casibus, metum non oriri ab extranea liberaque causa, sed potius naturali; nec tam Judex justi metus reo incussi auctor est, quam lex, quæ ejus vera est causa: cum Judex teneatur ex jure sententiam secundum Leges proferre, quæ non aliam Judici concedunt agendi facultatem.

Quamobrem sanctus Augustinus relatus in Canone, ait (*Can. Si homicidium*. 23. *q*. 5.): *Cum homo juste occiditur, lex eum occidit, non tu*. Quocirca metus justus, juridiceque intentatus, cum non proficiscatur a causa libera, non potest efficere consensum in Matrimonium invalidum, ut mox dicemus.

Quæst. 12. Quomodo igitur intelligendum est, quod ait Alexander Papa tertius relatus in capite *Veniens*, De Sponsal. & Matrim. cum ei proposita fuit hæc quæstio sub his verbis: „ Quos Pater puellæ simul in uno lecto „ inveniens, ipsum eam per verba de præsenti dispensa„ re coegit. Ideoque mandamus, nisi metu coactus, qui „ posset in virum constantem cadere, eam desponsave„ rit, adhærere facias, ut uxori "?

Resp. Quamvis in hoc casu videri possit quod hujusmodi stuprator fuerit causa sui metus, quem suo sibi crimine procuravit: nihilominus quia hic timor injuste fuit illatus a patre, qui eum plectere non poterat privata authoritate, sed ipsum tantum ad Judicem deferre: consensus expressus per hunc metum quoad modum intentandi injustus est, ac proinde judicatur invalidus a summo Pontifice, ut superius explicavimus; & licet hic timor per se justus fuerit, quia tamen Pater non debebat eum incutere, nisi justo modo, recurrendo ad legitimum Judicem, injustus factus est.

Quæst. 13. Si Judex secundum legem judicans, post sufficientes probationes, damnat morte innocentem, aut ipsum adigit ad ducendam mulierem, quam convictus est seduxisse, hujusmodi consensus esset-ne validus?

Resp. Cum dictus metus in se non sit justus, cum revera non admiserit crimen, de quo accusatur, consensus non foret validus: quia in hoc casu est metus injustus, productus a causa extrinseca, & libera. Et quamvis Judex rite suo fungatur officio, quia, ut ait Divus Ambrosius relatus in Canone (*Can. judice*, 2. *q*. 7.): *Bonus Judex nihil ex arbitrio suo facit, & domesticæ proposito voluntatis: sed juxta Leges & jura pronunciat, statutis juris obtemperat, non indulget propriæ voluntati, sed sicut audit, ita judicat*: & ut etiam dicitur in Lege civili (*L. illicitas*, §. *veritas de Officio Præsid*.), Judex *Id sequetur, quod convenit eum, ex fide eorum quæ probabuntur*; attamen per accidens est instrumentum, quo utuntur accusatores ad hujusmodi virum opprimendum; & tales accusatores sunt veri authores violentiæ, quæ illi injuste infertur, licet secundum regulas juris.

juris. Quocirca conditiones omnes necessario requisitæ, ut metus Matrimonium reddat nullum, in tali casu reperiuntur, quoniam gravis est, injustus, & intentatus ab extranea, liberaque causa, ut cogant eum Matrimonio consentire.

Quæst. 14. Quid agendum est, ut validum fiat Matrimonium, cum nullum est defectu consensus alterutrius contrahentium, qui consensit tantum exterius, aut per vim, vel metum gravem?

Resp. Non est necesse, ut consensus exterius exprimatur, nec ut serventur cætera requisita a Concilio Tridentino ad validitatem Matrimonii, quia cum hæc jam præcesserint, sufficit, ut ait S. Antoninus (3. *p. c.* 7.), „Si postea tacite consentiat, & libere persona ligata in „consensu pristino persistente, verum efficitur Matrimo„nium; & tunc uterque ligatus est, quia quamvis taci„tus consensus per se non sufficeret, tamen sufficeret „cum expressione exteriori quæ præcessit. Si autem utra„que persona fuit coacta, tunc ad hoc, quod fit verum „Matrimonium, requiritur novus consensus ex utraque „parte, sed non nova exterior expressio“. Multo minus renovari debent cæteræ solemnitates a Concilio Tridentino præscriptæ: quod quidem dispositioni Juris Canonici conforme prorsus est, juxta quod si persona ad Matrimonium coacta, libere cum sua parte cohabitet, ab eo tempore validum fit matrimonium; quia inde judicari potest, eam per consensum posteriorem supplevisse prioris defectum, qui coactus fuit, ut patet ex cap. *Significasti*, de eo qui duxit in Matrimonium, quam polluerat per adulterium; & cap. *Proposuit*, De conjugio servorum.

CAPUT VI.

De impedimentis Matrimonii.

Quæst. 1. QUotuplicia sunt impedimenta Matrimonii?

Resp. Duplicis sunt generis. Quædam reddunt Matrimonium invalidum; alia tantum illicitum. Prioris generis dirimentia vocantur, quia non solum impediunt Matrimonium contrahendum, sed etiam de facto contractum dissolvunt. Alia sunt impedimenta non dirimentia, quæ scilicet impediunt contrahendum, sed non dirimunt contractum; quia non efficiunt, ut de facto conjuncti, jure separari debeant, & dicuntur impedientia, seu prohibentia. Priora impedimenta, Matrimonii essentiæ adversantur; posteriora vero solemnitati, aut ornamento tantum accidentario; ideoque priora Matrimonii veritatem tollunt, posteriora vero solum sic contrahendo peccatum inducunt.

Quæst. 2. Quænam sunt impedimenta prohibentia, quæ scilicet non efficiunt Matrimonium invalidum, sed tantum illicitum?

Resp. Quinque numerari solent, nempe prohibitio Ecclesiæ, quæ Matrimonii solemnitates prohibet: *Ab adventu Domini nostri Jesu Christi usque in diem Epiphaniæ, & a feria quarta Cinerum usque in octavam Paschatis inclusive, antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari sancta Synodus præcipit*, scilicet *Tridentina* (*sess.* 24. *de refor. Matrim. c.* 10.). Idem dicendum, cum superior Ecclesiasticus prohibet, ne quis ulterius progrediatur ad celebrationem Matrimonii, donec explanatæ sint difficultates supervenientes, ut dicitur in Canone 1. & 2. *De Matrimonio contra Interdictum Ecclesiæ.*

Secundum impedimentum prohibens sunt Sponsalia cum alio contracta.

Tertium est votum simplex castitatis, aut ingrediendi Religionem. Alia duo, quæ non amplius videntur esse in usu, sunt cognatio spiritualis, quæ contrahitur in Catechismo, hoc est, propter susceptionem infantis, non ad Baptismum, sed ad cæremonias consequentes. Denique crimina incestus; raptus sponsæ alterius viri; uxoris, aut Sacerdotis homicidium, &c. Hæc impedimentn his versibus continentur.

Ecclesiæ vetitum, necnon tempus feriarum,
Atque Catechismus, sponsalia, jungito votum,
Impediunt fieri, permittunt juncta teneri.

Quæst. 3. Ecclesia prohibuit-ne absolute, ut non contrahantur Matrimonia tempore Adventus, & Quadragesimæ?

Resp. Ecclesia nullatenus impedit Matrimonium quocumque tempore, & Concilium Tridentinum, quod antiqua Canonum statuta in hac materia renovavit, non vetuit omnino, ne Matrimonia contraherentur in Adventu, aut Quadragesima; sed solum cavit, ne benedictio conjugibus concedatur, aliæque solemnitates ordinariæ adhibeantur, juxta Constitutionem Clementis III. in quadam Decretali, ubi ait (*Cap. Capellanus de Feriis.*); „ Ea est Romanæ Ecclesiæ consuetudo, ut quo„ cumque tempore Matrimonium contrahatur, consensu „ interveniente legitimo de præsenti ". Idem habetur in Rituali Romano de Sacramento Matrimonii: „ Memi„ nerint, *inquit*, Parochi, a Dominica prima Adventus „ usque ad diem Epiphaniæ, & a feria quarta Cinerum „ usque ad octavam Paschæ inclusive, solemnitates nu„ ptiarum prohibitas esse, ut nuptias benedicere, spon„ sam traducere, nuptialia celebrare convivia: Matri„ monium autem omni tempore contrahi potest ".

Et sacra Congregatio Concilii Tridentini Interpretum (31. *Maji* 1697.) „ Censuit, ab Adventu Domini no„ stri Jesu-Christi usque ad diem Epiphaniæ, & a feria „ quarta Cinerum usque ad octavam Paschatis, convivia „ nuptiarum, solemnitates, traductiones ad domum, & „ carnalem copulam, Decreto Concilii decimo capite,

„ sess.

„ seff. 24. de reform. matrim. prohiberi ; sed matrimo-
„ nium coram Parocho & testibus & eo tempore con-
„ trahi posse “.

Nihilominus tamen ubi compertum fuit, hoc sæculo tantam esse corruptelam, ut paucos reperire liceat conjuges, qui quæ mox præscripta sunt, observare velint, si Matrimonium inirent in Adventu, aut Quadragesima; plurima Concilia Provincialia prohibuerunt, ne contrahantur Matrimonia prædicto tempore, nisi de expressa Ordinarii licentia.

Concilium Bituricense (*ann.* 1534. *Canon.* 4. *tit.* 27. *de matrim.*): „ Non contrahantur matrimonia temporibus ab Ecclesia prohibitis, videlicet ab Adventu Domini usque ad diem Epiphaniæ, & a feria quarta Cinerum usque ad octavam Paschatis inclusive: qui secus fecerit, Sacerdotes ab Ordine removentur, Laici excommunicentur “.

Concilium Narbonense (*ann.* 1609. *c.* 22.): *Nec ad contrahendum Parochi admittant Fideles ab Adventu Domini usque ad Epiphaniam, a feria quarta Cinerum usque ad Dominicam in Albis, sine Episcopi licentia.*

Concilium Burdigalense (*tit. de matr. c.* 8. *n.* 5. *ann.* 1627.). *Ideoque nulli licere in iis matrimonium celebrare cum præsertim iis temporibus Fideles, orationibus instare, purgandis & curandis animabus incumbere Ecclesia Mater procuret.*

Hinc S. Ambrosius in sermone de Adventu Domini, relato in Can. ait (*Can. Fratr.* 23. *q.* 1.): *Fratres non solum debetis ab omni immunditia abstinere, sed etiam ab uxoribus propriis studiosissime contineatis: nullus omnino uxori suæ jejuniorum diebus conjungatur.*

Verum super hac quæstione habemus expressam determinationem Sacræ Congregationis Concilii Tridentini, quæ registrata reperitur in sæpius laudata Synodo Farfensi (*sub Carolo Card. Barberino* his verbis pag. 846.) Declaratio Sacræ Congregationis Concilii, de non solemnizandis nuptiis tempore a jure vetito. Ad Dubium propositum: *An matrimonium coram Parocho quocumque tempore contrahi possit*, *Sacra Congregatio censuit, posse contrahi quocumque tempore matrimonium; sed temporibus comprehensis cap.* 10. *sess.* 24. *de reform. matrim. nuptiarum solemnitates, traductiones ad domum, & carnalem copulam prohiberi.*

Quibus demum, ut habetur in dicta Synodo, accedit authoritas Concilii Toletani, celebrati anno Domini 1473. sub Sixto IV. in Tit. „ quod non fiant nuptiæ, „ nec carnales commixtiones, nec solemnitates tempore „ a jure vetito “, Tom. 4. Conciliorum par. 1. p. 748. vol. 1. cujus hæc sunt verba: „ Cum secundum legitimas sanctiones non sit dubium, eos in legem committere, qui verba legis amplexi, contra jus nituntur voluntatem: & quia tempore, quo Sacrorum Canonum

„ Decre-

„ Decretis nuptiarum celebratio interdicitur, & carnalis „ copula prohibetur, nonnullos laicos nubere, & carnaliter commiſceri: ac proinde convivia publica, ſtrepitus, & choreas facere, parentes quoque, & amicos invitare, & cum hiſtrionibus & jaculatoribus ſolemniter „ nuptias celebrare, & ad Eccleſias ſic incedere plerumque contingit. Nos contendentes, quod Sacrorum Canonum intentio fuit, non tam Eccleſiæ ſolemnitates, „ & nuptiales benedictiones, quam carnales commixtiones prohibere, conſuetudinem hujuſmodi divellere cupientes, ſacro approbante Concilio, commixtiones prædictas, ſtrepitus, choreas, joculationes, & alias ſolemnitates, ac convivia temporibus, quibus ſolemnia „ Eccleſiæ interdicuntur, & ceſſant nuptiales benedictiones, fieri de cætero prohibemus; ſtatuentes, ut qui contra hujuſmodi noſtræ Conſtitutionis tenorem nupſerit, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrat, & nihilominus Clerici, qui præfatis nubentibus „ Miſſas dixerint, decem florenorum pœna puniantur".

Quæſt. 4. Quænam ſunt impedimenta dirimentia, quæ ſcilicet efficiunt Matrimonium invalidum?

Reſp. Decem & quatuor ſunt, quæ his verſibus continentur:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus diſparitas, vis, Ordo, ligamen, honeſtas,
Si ſis affinis, ſi forte coire nequibis,
Si Parochi, & duplicis deſit præſentia teſtis,
Raptave ſit mulier, nec parti reddita tutæ:
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

Quæſt. 5. Quotuplex eſt Error?

Reſp. Quadruplex eſt, ut habetur in Canone his verbis (*Can. Unico* 29. *q.* 1.): „ Sed error alius eſt perſonæ, alius fortunæ, alius conditionis, alius qualitatis. „ Error perſonæ eſt, quando hic putatur eſſe Virgilius, & „ ipſe eſt Plato. Error fortunæ, quando hic putatur eſſe „ dives, qui eſt pauper, vel e converſo. Error conditionis, quando putatur eſſe liber, qui ſervus eſt. Error „ qualitatis, quando putatur eſſe bonus, qui malus eſt.

Quæſt. 6. Quiſnam ex ſupradictis erroribus efficit Matrimonium invalidum?

Reſp. Conſtat, errorem perſonæ irritare Matrimonium, ut dicitur in præfato Can. quia *Conſenſus eſt duorum, vel plurium ſenſus in idem: qui autem errat, non ſentit; ergo non conſentit, id eſt, ſimul cum aliis ſentit. Verum eſt, quod non omnis error conſenſum excludit.* Ac proinde Matrimonium nullum eſt defectu conſenſus: quare ſuper hoc impedimento nulla cadit diſpenſatio, quia conſenſus nullus eſt, cum noluerit eam ducere, quam revera duxit in uxorem; proindeque jure naturæ tale Matrimonium eſt invalidum defectu conſenſus: *Error fortunæ & qualitatis*, ut dicitur in eodem Can. *conjugii conſenſum non excludit; ſimiliter qui ducit in uxorem*

xorem meretricem vel corruptam, quam putat esse castam vel virginem, non potest eam dimittere, & aliam ducere. Quia cum fortuna, & qualitas sint res mere accidentales Matrimonio, hujusmodi error non potest illud efficere invalidum, quia adfuit consensus in personam, quæ est unicum objectum necessarium Matrimonio.

Quæst. 7. Quodnam est impedimentum conditionis?

Resp. Illud est, quando Persona libera existimat, eam, cum qua contrahit, esse liberam, quæ tamen est serva; in hoc casu Matrimonium est absolute nullum, ut dicitur in Canone (*Cap. Ad nostram, de Conjug. servor.*): „ Si constiterit, quod miles ignoranter contraxit cum „ ancilla, ita quod postquam intellexerit conditionem „ ipsius, nec facto, nec verbo consenserit in eandem; „ contrahendi cum alia liberam ipsi concedat authorita- „ te Apostolica facultatem.

Quæst. 8. Quænam sunt vota, quæ efficiunt Matrimonium nullum?

Resp. Duplex votorum solemnium genus Matrimonium reddit invalidum, scilicet votum emissum in Religione a sancta Sede Apostolica approbata, quod dicitur votum expressum; & votum tacitum, quod emittitur in susceptione Ordinis Subdiaconatus, qui habet annexam perpetuam castitatem, secundum Ecclesiæ Decretum relatum in Canone (*Can. Presbyteris, dist.* 27.): „ Presbyteris, „ Diaconis, Subdiaconis, & Monachis concubinas habe- „ re, seu Matrimonia contrahere, penitus interdicimus; „ contracta quoque Matrimonia ab hujusmodi personis „ disjungi, & personas ad pœnitentiam redigi debere, „ juxta sacrorum Canonum definitiones judicamus ".

Verum hæc duo vota in hoc differunt, quod votum emissum in Religione, non solum dirimit matrimonium subsequens, sed etiam præcedens, modo non fuerit carnali copula consummatum, ut dicitur in Can. (*Can. Verum de convers. conjug.*) „ Verum post consensum legi- „ timum de præsenti, licitum est alteri, altero etiam re- „ pugnante, eligere Monasterium (sicuti Sancti quidam „ de nuptiis vocati fuerunt) dummodo carnalis commi- „ xtio non intervenerit inter eos; & alteri remanenti, „ si commonitus continentiam servare noluerit, licitum „ est, ad secunda vota transire: quia cum non fuissent „ una caro simul effecti, satis potest unus ad Deum transi- „ re, & alter in sæculo remanere ". At votum tacitum, quod emittitur in susceptione sacrorum Ordinum, eundem non habet effectum; ut dicitur in Extravag. Joann. 22. his verbis (*Cap.* 1. *De voto, & voti receptione.*): „ Licet votum solemnizatum per sacri su- „ sceptionem Ordinis, quantum ad impediendum Matri- „ monium contrahendum, ac dirimendum, si post con- „ tractum fuerit, secundum Statuta Canonum sit efficax „ reputandum; ad dissolvendum tamen prius contractum, „ etiamsi per carnis copulam non fuerit consummatum

„ (cum nec jure divino, nec per ſacros reperiamus Ca-
„ nones hoc ſtatutum) invalidum eſt cenſendum.

Quod ſpectat ad votum ſimplex caſtitatis, licet apud Deum non minus obliget, quam ſolemne, & Matrimonium impediat contrahendum; non tamen dirimit jam contractum, ut ait Cæleſtinus Papa III. relatus in Canone (*Cap. Curſus, qui Clerici vel vov. Matr.* 9.): „ Cum
„ ſimplex votum apud Deum non minus obliget, quam
„ ſolemne, pro eo quod juravit temere, pœnitentiam
„ agat; & votum quod Deo fecit, ſtudeat obſervare.
„ Quod poſtquam hujuſmodi præſtitit juramentum, ad
„ nuptias proprio motu convolaſſet, cum votum ſimplex
„ Matrimonium impediat contrahendum, non tamen di-
„ rimat jam contractum ".

Quæſt. 9. Quotuplex eſt cognatio impediens, ac dirimens Matrimonium?

Reſp. Ut ait S. Antoninus (3. *p. tit.* 1. *c.* 13.), *Triplex eſt cognatio: ſcilicet carnalis ſive naturalis, quæ dicitur conſanguinitas, ſpiritualis, quæ dicitur compaternitas, & legalis, quæ dicitur adoptio vel arrogatio: quælibet harum impedit & dirimit matrimonium.*

Conſanguinitas, quæ nihil aliud eſt, quam vinculum perſonarum ab eadem ſtirpe, ſeu ſtipite deſcendentium, carnali propagatione contractum, impedit, & dirimit Matrimonium uſque ad quartum gradum incluſive in linea collaterali; nam in linea directa, quæ eſt aſcendentium, & deſcendentium, numquam poteſt contrahi Matrimonium. Et quidem olim Matrimonium impediebat, & dirimebat ad ſextum uſque & ſeptimum gradum in linea collaterali, ut ex quibuſdam Canonibus conſtat; verum Concilium Lateranenſe IV. ſub Innocentio III. jus antiquum hac in parte reſtrinxit, illudque ad quartum tantum gradum conſanguinitatis aut affinitatis reduxit; ut patet his verbis (*Can.* 49. *relatum in c. Non debet de conſang. & affinit.*): „ Prohibitio quoque copulæ
„ conjugalis, quartum conſanguinitatis & affinitatis gra-
„ dum non excedat, quoniam in ulterioribus gradibus
„ jam non poteſt abſque gravi diſpendio hujuſmodi pro-
„ hibitio generaliter obſervari; quaternarius vero nume-
„ rus bene congruit prohibitioni conjugii corporalis, de
„ qua dicit Apoſtolus, quod vir non habet poteſtatem
„ ſui corporis, ſed mulier; neque mulier habet poteſta-
„ tem ſui corporis, ſed vir; quia quatuor ſunt humores
„ in corpore, quod conſtat ex quatuor elementis. Cum
„ ergo jam uſque ad quartum gradum prohibitio conju-
„ galis copulæ ſit reſtricta, eam ita eſſe volumus per-
„ petuam, non obſtantibus conſtitutionibus ſuper hoc
„ dudum editis, vel ab aliis, vel a nobis, ut ſi qui
„ contra prohibitionem hujuſmodi præſumpſerint copu-
„ lari, nulla longinquitate defendantur annorum; cum
„ diuturnitas temporum non minuat peccatum, ſed au-
„ geat, tantoque graviora ſint crimina, quanto diutius

„ in-

„ infelicem animam detinent alligatam ". Cognatio spiritualis est quædam propinquitas proveniens ex collatione Baptismi vel Confirmationis, ut expresse definitur a Concilio Tridentino (*Sess.* 24 *de ref. c* 2.), his verbis: „ Ad summum unus & una baptizatum de Baptismo suscipiant: inter quos ac baptizatum ipsum & illius patrem & matrem, nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem & matrem tantum spiritualis cognatio contrahatur; ea quoque cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, confirmantem & confirmatum, illiusque patrem & matrem, ac tenentem non egrediatur ".

Notandum autem est, quod nulla adest cognatio spiritualis inter Confirmatum, & illius Matrinam, si dicta Matrina non erat Confirmata tempore dictæ Confirmationis; nam super hoc casu adest resolutio expressa Sacræ Congregationis Concilii, relata in accurata Synodo Lyciensi (*an.* 1663. *tit.* 14. §. 4.), his verbis, *In Causa Lyciensi*, inter Paulum Russum, & Beatricem Merinam ejusdem Civitatis, Die 13. Junii 1654. *S. Congregatio Eminentissimorum Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, post maturam discussionem, censuit: Non suscipiat aliquem in Sacramento Confirmationis, non contrahere cognationem spiritualem*: Petrus Aloysius Cardinalis Carrafa, Præfectus, Franciscus Paulutius, Secretarius.

Legalis cognatio, ex Sancto Thoma (*in suppl. q.* 53. *art.* 3. *in corp.*) „ triplex est: prima, quasi descendentium, quæ contrahitur inter patrem adoptantem, & filium adoptatum, & filium filii adoptivi, & nepotem, & sic deinceps. Secunda, quæ est inter filium adoptivum, & filium naturalem. Tertia, per modum cujusdam affinitatis, quæ est inter patrem adoptantem, & uxorem filii adoptivi; vel e contrario, inter filium adoptatum, & uxorem patris adoptantis. Prima ergo cognatio, & tertia perpetuo matrimonium impediunt: Secunda autem non nisi quamdiu manet in potestate patris adoptantis; unde mortuo patre, vel filio emancipato, potest contrahi inter eos matrimonium ".

Id etiam habetur in Canone his verbis (*Can. Ita diligere*, 10. *q.* 2.): *Quandoquidem nec inter eos qui natura, & eos qui adoptione filii sunt, venerandæ Romanæ Leges Matrimonia contrahi permittunt. Item inter eos non contrahitur Matrimonium, quos adoptio jungit.*

Quin etiam *per adoptionem quæsita fraternitas*, ut dicitur in Canone (*Can. Per adoptionem* 30. *q.* 3.), *eo usque impedit nuptias, donec manet adoptio. Ideoque eam quam pater meus adoptavit, & emancipavit, poterimus jungi Matrimonio.* Verum *adoptivus filius*, juxta legem (*L. Adoptivus, ff. de ritu nupt.*), *si emancipatur, eam, quæ patris adoptivi* uxor

uxor fuit, ducere non potest, quia novercæ locum habeat. Item si quis filium adoptaverit, uxorem ejusdem (quæ nurus loco est) ne quidem post emancipationem filii ducere potest, quoniam aliquando nurus ei fuit.

Quæst. 10. Quando hæreticus contraxit Matrimonium cum consanguinea in secundo, tertio, aut quarto gradu, & postea abjurat hæresim, tenetur-ne accipere dispensationem ab Ecclesia, & renovare coram Parocho consensum constitutum?

Resp. Cum Matrimonium nullum fuerit ob impedimentum dirimens, statutum ab Ecclesia, cujus legibus subjacent hæretici propter Baptismum, qui eos Ecclesiæ filios efficit; sequitur, hujusmodi hæreticum teneri petere dispensationem impedimenti ab Ecclesia, & deinde contrahere coram Parocho & testibus, juxta Decretum Concilii Tridentini. Unde posito quod illa, quam duxerat, nolit consentire celebrationi Matrimonii, vir Catholicus non potest amplius cum ea habitare, quia Matrimonium est de facto nullum; quoniam ut habetur in Canone (*Can. Gaudeamus, de divortiis*): „ In præmis„ sis gradibus (secundo, vel tertio, vel ulteriore gra„ du) a paganis quoad eos Matrimonium licite est con„ tractum, qui constitutionibus Canonicis non arctan„ tur; quid enim ad nos, secundum Apostolum eum„ dem, de his, quæ foris sunt, judicare "?

Hæretici autem, cum filii sint Ecclesiæ per baptismum, ejus legibus adstricti tenentur; eaque, quam obtinent a Principibus, licentia, seu permissio, non potest tollere impedimentum dirimens, ab Ecclesia universali constitutum; sed solum impedire, ne vexentur hæretici ita conjuncti in foro exteriori, neve ipsorum liberi ut spurii habeantur, sed habeantur quasi legitimi, secundum intentionem Principum, qui hujusmodi facultates concesserunt. Verum quidem est, quod Sancta Sedes Apostolica benigne tractans hæreticos Sacræ Congregationi sancti Officii facultatem concessit, dispensationes necessarias gratuito eis dandi, ut eorum Matrimonia ita contracta reddantur valida.

Quæst. 11. Quomodo cognosci potest, in quo cognationis, seu consanguinitatis gradu sint, qui volunt Matrimonium contrahere?

Resp. Hoc est discrimen inter lineam rectam, seu ascendentium, & lineam collateralem, seu transversalem, de qua nunc quæritur (quoniam, ut diximus, numquam esse potest Matrimonium inter personas in linea recta conjunctas) quia, ut ait Divus Thomas (*3. p. in suppl. q. 54. art. 1. in corp.*): „ Gradus consanguinitatis in „ linea ascendentium & descendentium contrahitur ex „ hoc, quod una persona ex alia propagatur eorum in„ ter quos gradus consideratur. Ea ideo secundum com„ putationem Canonicam, & Civilem persona quæ pri„ mo in progressu propagationis occurrit, distat ab ali-

„ quo

Figura ad dignoſcendos diverſos gradus conſanguinitatis.

				4. Abavus. Abavia.				
			4. Propatruus. Proamita.	3. Proavus. Proavia.	4. Proavunculus. Promatertera.			
		4. Propatruorum Filius & Filia.	3. Patruus magnus. Amita magna.	2. Avus. Avia.	3. Avunculus magnus. Matertera magna.	4. Proavunculorum Filius & Filia.		
	4. Propatruor. Nepotes.	3. Patrui magni Filii.	2. Patruus. Amita.	1. Pater Mater.	2. Avunculus, Matertera.	3. Magnorum Filii.	4. Provunculi, aut Materteræ Nepotes.	
4. Propatruor. Pronepotes.	3. Patrui magni Nepotes, qui Sobrini.	2. Conſobrinus, Conſobrina Germani.	1. Frater & Soror Conſanguinei.	Perſona de qua agitur.	1. Frater & Soror uterini.	2. Conſobrinus, Conſobrina Germani.	3. Magnorum Nepotes, & Sobrini.	4. Proavunculi. Pronepotes.
4. Patrui magni Pronepotes.	3. Conſobrini ſeu Patruelis Filii.	2. Fratris Filii.		1. Filius. Filia.		2. Uterinorum Filii.	3. Avunculi, aut Materteræ Nepos.	4. Magnorum Pronepotes.
4. Patruelis Nepotes.	3. Fratris Nepotes.			2. Nepos. Neptis.			3. Illorum Nepotes Uterinorum.	4. Avunculi Pronepos.
4. Fratris Pronepotes.								4. Uterinorum Pronepotes.

„ quo in primo gradu, ut Pater, & Filius; ſed conſan-
„ guinitas eorum qui ſunt in linea tranſverſali, contra-
„ hitur non ex hoc, quod unus eorum ex alio propaga-
„ tur, ſed quia uterque propagatur ex uno: & ideo de-
„ bet gradus conſanguinitatis in hac linea computari
„ per comparationem ad unum principium, ex quo pro-
„ pagatur "; a quo totidem gradibus diſtabunt, quot ſunt generationes, eas ab ea parte numerando, in qua ſunt plures generationes, ſi non ſint æquales ex utraque parte.

Hac de cauſa Gregorius IX. relatus in Canone (*Cap. fin. de conſang.*), interrogatus, utrum duæ perſonæ poſſent ſimul contrahere, cum vir diſtaret a communi patre in quarto gradu, & mulier in quinto, ſic reſpondet:
„ Vir qui a ſtipite quarto gradu, & mulier, quæ ex alio
„ latere diſtat quinto, ſecundum regulam approbatam,
„ qua dicitur: quoto gradu remotior differt a ſtipite, &
„ a quolibet per aliam lineam deſcendentium ex eodem,
„ licite poſſunt matrimonialiter copulari "."

Ut quis figura hic inſerta facile utatur, una perſona contrahentium, quæcumque tandem illa ſit, in medio conſtituatur, ubi ſunt hæc verba, perſona de una agitur: ac poſtmodum videri facile poterit, in quo gradu hujus figuræ ſit altera pars reſpectu illius; & tunc duæ illæ perſonæ, conſanguineæ ſunt in gradu ſupra notato; verbi gratia, ſi velim ſcire, in quo conſanguinitatis gradu ſint Petrus, & Catharina, ut id facile dignoſcam ope hujus figuræ, Petrum in medio colloco; tum conſidero, in quo loco ſit Catharina, & videns, verbi gratia, eam eſſe neptem propatrui Petri, tunc numerum intueor ſuper eum locum annotatum; & quoniam is numerus eſt ternarius, ajo, Petrum, & Catharinam eſſe conſanguineos in tertio gradu. Verum ſi non poſſim facile detegere locum, in quo collocari debeat Catharina, ad Petri aſcendentes recurram, donec communem ſtipitem reperiam; & obſervans, Catharinam genus deducere a proavo Petri, qui eſt communis ſtirpis, aut generis origo, quia ſcilicet eſt neptis Propatrui, eam ſtatuo in loco ipſi hac in figura adſcripto, ſolum obſervando, ſingulos figuræ gradus, in quocumque latere ſpectentur, ita eſſe compoſitos, ut in unoquoque gradu a Patre ad Filium deſcendatur: verbi gratia, Patruus & Patrua ſunt filii avi, cognati germani ſunt filii Patrui, & ſic de aliis.

Ut autem hujus figuræ diſpoſitionem conſervarem, in ea Fratres germanos collocare minime potui, qui ab eodem Patre & Matre procreantur. Verum id minime neceſſarium fuit, cum ab omnibus eodem modo conſiderari debeant in negotio matrimonii, ac alii Fratres: conſanguinei autem Fratres, ſunt qui eumdem habent Patrem; uterini vero, qui eamdem habent Matrem.

Quæſt. 12. Quænam crimina Matrimonium impediunt contrahendum, vel dirimunt contractum?

Resp. Quatuor sunt crimina, quæ Matrimonium reddunt invalidum. Primum, cum perpetrato adulterio, una duarum partium malitiose procuravit mortem proprii sponsi, vel sponsæ illius, quem vult postea ducere. In hoc casu est impedimentum dirimens, ut ait Alexander III. relatus in Canone, his verbis (*Can. Super hoc, de eo, qui ducit in matrim. quam polluit per adult.*): „ Tibi respondemus, quod si adultera est in mortem u„ xoris aliquid machinata, sive fidem dedit, sive non, „ quod ea defuncta, hanc esset ducturus: secundum Ca„ nones ab ejus consortio prohibetur: & hæc prohibitio „ perpetuo est servanda ".

Secundum crimen est, cum verbi gratia, Catharina Matrimonjo juncta cum Petro, inducit Jacobum ad occidendum Petrum virum suum, etiam absque intentione ducendi Jacobum post mortem Petri. In hoc casu, si occidat Jacobus Petrum, est impedimentum dirimens inter Catharinam, & interfectorem viri sui; ut patet ex Cœlestino Papa III. relato in Canone (*Cap. Laudabilem, de conversione infidelium*). „ Interrogasti, *in„ quit*, de Saracenis, qui dum in captivitate essent, „ quarumdam Christianarum viros, earum insidiis, & „ machinationibus, occiderunt: utrum, quia postea per „ ipsas ad fidem Christianam conversi sunt, eas de jure „ possint accipere in uxores, vel si duxerint, conjugium „ teneat eorumdem. Hic Triburiensis Concilii regula „ contenti sumus, asserentis, quod si in mortem ipso„ rum malitiose fuerint machinatæ, licet earum studio „ ad fidem accesserint, tamen nec eis adhærere debent, „ nec sunt, si adhæserint, etiam tolerandi ".

Et Glossa ibidem verbo *ad hoc*, ait: *Nota, quod mulier non potest contrahere cum illo, qui virum suum interfecit, si mortem ejus fuerit machinata.*

Quidam etiam conantur ex hac Decretali probare, quod cum homo maritum, inscia fœmina, interfecit cum intentione eam in uxorem ducendi, eum tunc contrahere impedimentum dirimens, ne cum ea contrahat: quia idem Papa postmodum ait (*Ibid.*): „ Ad hoc Saraceni „ quidam in bello sunt Christianos interfecisse notati, & „ Christiani, similiter Saracenos: postea vero Saraceni „ ad fidem conversi, uxores eorum, quos in belli certa„ mine occiderunt, sibi matrimonialiter copularunt; & „ idipsum Christiani de Saracenis mulieribus conversis „ ad fidem fecisse noscuntur: quæ postquam de priorum „ virorum morte compererint veritatem, divortium in„ stanter exposcunt. In his igitur respondemus, quod „ cum tales non procuraverint virorum interitum defun„ ctorum, matrimonium inter hujusmodi personas licite „ potest contrahi, & taliter copulati divortium nequeunt „ postulare ".

Quæ quidem opinio eo probabilior videtur, quod verba capitis *Laudabilem*, relata ab Antonio Augustino Archie-

chiepiscopo Tarraconensi in sua antiqua Collectione, hoc impedimentum stabilire videntur : ait enim : *Respondemus quoque in his, quod cum nec Saraceni, nec Christiani mortem alterutrorum procurasse noscantur, matrimonium hujusmodi inter prædictas personas licite contrahi potest ; & taliter copulati cujuscumque sexus existant, divortium post mortem conjugum postulare non possunt*. Unde concludi potest, quod si maritos interfecissent, ut uxores eorum ducerent, eorum Matrimonium nullum foret, propter impedimentum dirimens, malitioso hoc homicidio contractum.

Tertium crimen est, si quis durante Matrimonio promittit se ducturum eam, cum qua commisit adulterium, & vice versa, licet neuter in mortem consenserit alterius partis : ita Concilium Triburiense relatum in Canone, his verbis (*Cap. Relatum 3. q. 2.*) : *Relatum est auribus sanctorum Sacerdotum, quendam alterius uxorem stupro violasse ; & insuper, mœchæ, viventi viro suo, juramentum dedisse, ut post legitimi mariti mortem, si supervixisset, duceret eam in uxorem ; quod factum est. Tale ergo connubium prohibemus, & anathematizamus*.

Quartum crimen est, Matrimonium cum aliqua fœmina conjugata, vivente adhuc, & superstite primo conjuge, contractum. Observandum tamen est, quod cum conjux aliam ducit, vel secunda hæc conjux scit, alterum esse conjugatum, vel non. Si scivit, illum esse Matrimonio junctum cum contraxit, tunc numquam esse potest inter ipsos Matrimonium, etiam post mortem prioris conjugis, ut dicitur in Canone *Ex litterarum*, his verbis (*Can. Ex litterarum, de eo, qui duxit in matr. quam polluit per adult.*) : *Antequam uxor decederet, aliam superinduxit, & plures suscepit filios ex eadem ; illos debes ab invicem separare. Idem vero vir, indicta ei de adulterio pœnitentia, aliam ducere poterit in uxorem*.

Idem dicendum est, si cum bona fide contraxerit, nesciens, hunc virum Matrimonio fuisse ligatum, ipsum carnaliter cognovit, postquam rescivit, ejus priorem sponsam adhuc esse superstitem, ut dicitur in cap. *Si quis*, eod. tit. „ Si quis uxore vivente, fide data promisit aliam se ducturum, vel cum ipsa de facto contraxit ; si nec ante, nec post (legitima ejus superstite) cognovit eamdem : quamvis utrisque ipsorum pro eo, quod in hoc graviter deliquerint, sit pœnitentia injungenda ; non est tamen Matrimonium, quod cum ea contraxit post uxoris obitum, dirimendum. Cæterum tolerari non debet, si prius, vel postea, dum vixerit uxor ipsius, illam adulterio polluisset ".

Quod si hæc mulier, postquam bona fide contraxit, nescivit, nisi post mortem prioris hujus viri sponsæ, ipsum Matrimonio junctum esse, & noluit amplius cum ipso cohabitare, postquam scivit, eum Matrimonio esse

conjunctum, pendet ab ipsa ratum habere Matrimonium, renovando mutuum consensum post mortem prioris hujus viri sponsæ, vel petere divortium, ut dicitur in cap. *Veniens*, eod. tit. „ Veniens ad præsentiam nostram Guillel-„ mus Laicus, humili insinuatione monstravit, quod cum „ in Civitate Lemovicensi quamdam sibi matrimonialiter „ copulasset, ab ea recedens Messanam advenit, ubi „ Martham mulierem, insciam, quod aliam haberet uxo-„ rem, sibi solemniter copulavit. Verum cum in suam „ Patriam rediisset, uxorem suam inveniens carnis debita „ persolvisse, ad Messanam rediit Civitatem, & supradi-„ ctæ Marthæ tanquam legitimæ cohabitavit uxori: man-„ damus quatenus si est ita, ut supradictæ Marthæ af-„ fectu adhæreat conjugali, licentiam concedatis ".

Quæst. 13. Post mortem viri potest-ne duci fœmina, cum qua commissum est adulterium?

Resp. Solvit hanc quæstionem Innocentius Papa III. relatus in Canone (*Cap. Significasti*, *de eo*, *qui duxit in matrim. quam polluit per adult.*): „ Significasti, *inquit*, nobis, quod cum P. civis Spoletanus, quam-„ dam mulierem duxisset legitime in uxorem, ea reli-„ cta, cuidam meretrici adhæsit. Verum cum uxor i-„ psius esset viam universæ carnis ingressa, meretricem, „ cui adhæserat, desponsavit. Nos igitur inquisitioni „ tuæ taliter respondemus, quod nisi alter eorum in mor-„ tem uxoris defunctæ fuerit machinatus, vel ea viven-„ te, sibi fidem dederit de Matrimonio contrahendo, „ legitimum judices Matrimonium supradictum ". Ut enim ait sanctus Augustinus (*l.* 1. *de Nuptiis & concupiscent. c.* 10.): „ Mortuo viro, cum quo verum connu-„ bium fuit, fieri verum connubium potest, cum quo „ prius adulterium fuit ".

Quæst. 14. Christianus potest-ne Matrimonium cum infideli inire?

Resp. Hujusmodi Matrimonia prohibita sunt Christianis; dicitur enim in Canone (*Can. Cave*, 8. *q.* 1.): *Cave*, *Christiane*, *Gentili*, *aut Judæo filiam tuam tradere*. Et in alio Canone dicitur (*Canone*, *Si quis*, 28. *q.* 1.), „ Si quis Judaicæ pravitati conjugali societate jun-„ gitur, sive Christiana Judæo, sive Judæa Christiano „ mulier carnali consortio misceatur, quicumque illo-„ rum tantum nefas admisisse dignoscitur, a Christiano „ cœtu, atque convivio, & a Communione Ecclesiæ „ protinus segregetur ".

Ideoque autem hæc Matrimonia nulla sunt, quia diversitas Religionis sine ullo dubio est impedimentum dirimens Matrimonium, juxta consensum unanimem Doctorum. Hoc impedimentum annotatum est inter Canones primo Concilio Nicæno attributos, Can. 67. ubi dicitur; *Fœmina fidelis*, *si nupserit viro infideli*, *Ecclesia ejiciatur*; *si tamen eum dimiserit*, *recipiatur eo modo*, *quo recipitur is*, *qui post fidei abnegationem recipitur*.

Cu-

Cujus quidem rationem affert sanctus Thomas his verbis (*q. 59. ar. 1. in sup.*): „ Principalius matrimonii bonum est proles ad cultum Dei educanda: cum autem „ educatio fiat communiter per Patrem, & Matrem, „ uterque secundum fidem suam intendit ad cultum Dei „ prolem educare. Et ideo si sint diversæ fidei, intentio unius alterius intentioni contraria erit, & ita inter eos non potest esse conveniens matrimonium, & „ propter disparitas cultus præcedens Matrimonium, impedit, ne contrahi possit “.

Qu. 15. Matrimonium infidelium est-ne Sacramentum?

Resp. Sacramentum Matrimonii considerari potest, quatenus institutum a Deo in officium naturæ ad susceptionem & educationem liberorum, & post Adæ peccatum in remedium contra concupiscentiæ, & carnis tentationes, ex quo actus conjugalis eximitur a peccato etiam inter infideles. Hæc divina institutio Matrimonii in statu innocentiæ, ut esset Sacramentum, probatur ex verbis Geneseos, ubi dicitur (*cap. 1. n. 27.*): *Masculum, & fœminam creavit eos. Benedixitque illis Deus, & ait: Crescite, & multiplicamini:* Et in c. 2. *Non est bonum esse hominem solum; faciamus ei adjutorium simile sibi .... Quamobrem relinquet homo Patrem suum, & Matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.*

Hæc ultima verba, secundum ipsum Christi Domini testimonium, qui ea refert in Evangelio Matthæi, iisque hæc subjungit (*Cap. 19. v. 6.*): *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet*; satis ostendunt Matrimonium a Deo fuisse institutum in statu innocentiæ tamquam officium naturæ; & in hoc sensu Innocentius III. relatus in Canone, (*Cap. Gaudemus, de divortiis*) nomen Sacramenti Matrimonio infidelium tribuit: *Cum Sacramentum conjugis*, inquit, *apud fideles, & infideles existat.*

Verum, si nomen Sacramenti accipitur, prout significat Sacramentum novæ Legis conferens gratiam, Matrimonium infidelium non est utique Sacramentum, ut ait idem Pontifex in Can. *Quanto*, ibidem: „ Nam etsi matrimonium verum inter infideles existat, non tamen „ est ratum: inter fideles autem verum, & ratum existit, „ quia Sacramentum fidei, quod semel est admissum, „ numquam amittitur; sed ratum efficit conjugii Sacramentum, ut ipsum in conjugibus illo durante, perduret “. Quod quidem clare explicat D. Th. dum ait: (*in suppl. q. 1. c. 79. art. 2. in prima objectione.*) „ Videtur, quod inter infideles non possit esse matrimonium. „ Matrimonium enim est Sacramentum Ecclesiæ; sed „ Baptismus est janua Sacramentorum: ergo infideles, „ qui non sunt baptizati, Matrimonium contrahere non „ possunt, sicut nec alia Sacramenta suscipere. Ad primum dicendum quod Matrimonium non tantum est in-

„ ſtitutum in Sacramentum, ſed etiam in officium natu-
„ ræ, & ideo quamvis infidelibus non competat matri-
„ monium, ſecundum quod eſt Sacramentum in diſpen-
„ ſatione Miniſtrorum Eccleſiæ conſiſtens; competit ta-
„ men eis, in quantum eſt in officium naturæ".

Quæſt. 16. Matrimonium Infidelium ſit-ne nullum, cum alter eorum ſit Chriſtianus?

Reſp. Quamvis Fidelis converſus poſſit cohabitare comparti remanenti in infidelitate, cum affulget ſpes aliqua, ut illam ad fidem convertere poſſit; aſſignantur tamen tres caſus, in quibus, ut dicitur in cap. *Quanto*, *de divortiis*, Matrimonium ſit nullum, & licet fideli aliam ducere: *Si alter infidelium conjugum ad fidem Catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non ſine blaſphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente; qui relinquitur, ad ſecunda, ſi voluerit, vota tranſibit*. Advertit tamen Divus Thomas, (*in* 4.*diſt*.39. *art*.3. *ad* 2.*q*.1.) quod hodie non permittitur Fideli converſo cohabitare cum parte Infideli, propter periculum perverſionis: *Fidelis converſus*, inquit, *niſi uxor Infidelis converti velit, non permittitur cohabitare, ſive ſit Gentilis, ſive ſit Judæa*.

Quæſt. 17. Matrimonium contractum a duobus Catholicis, poteſt-ne effici nullum in tribus præfatis caſibus, cum alter eorum fidem negat, ſitque Infidelis, aut labitur in hæreſim?

Reſp. Innocentius Papa III. hanc quæſtionem ſolvit his verbis (*Cap. Quanto*, *de divortiis*): *Si vero alter fidelium conjugum vel labatur in hæreſim, vel tranſeat ad Gentilitatis errorem, non credimus, quod in hoc caſu, is qui relinquitur, vivente altero, poſſit ad ſecundas nuptias convolare*; vivente ſcilicet priore conjuge: quare licet Matrimonium Infidelium fieri poſſit nullum in ſupradictis tribus caſibus; non ita matrimonium Fidelium, propter rationem, quam affert idem Pontifex in cap. *Ex parte tua* (*de converſ. conjugat.*), ubi dicit: „ Ex quo ma-
„ trimonium inter legitimas perſonas per verba de præſen-
„ ti contrahitur, illis viventibus, in nullo caſu poteſt diſ-
„ ſolvi, ut vivente reliquo alter ad ſecunda vota tranſmi-
„ gret; etiamſi unus fidelium, inter quos eſt ratum conju-
„ gium, fieret hæreticus, & nollet permanere cum altero
„ ſine contumelia Creatoris; niſi forte ſecus fieret ex re-
„ velatione divina, quæ ſuperat omnem legem".

Hanc autem revelationem in Divo Paulo comperimus, 1. ad Cor. cap. 7. v. 15. reſpectu Matrimonii inter infideles contracti, non vero inter fideles, licet alter conjugum in hæreſim labatur, aut paganiſmum; quamobrem licet diſſolvi poſſit conjugium infidelium, quando alter ad fidem convertitur, alter vero cohabitare non vult ſine blaſphemia, aut ſine periculo perverſionis animæ fidelis: nihilominus tamen in iiſdem caſibus Matrimonium a fidelibus in Eccleſia contractum, eſt penitus indiſſolubile.

Quæſt.

Quæst. 18. Catholicus potest-ne Matrimonium inire cum hæretica?

Resp. Catholico, inquit sanctus Antoninus (*tit.* 1. *c.* 6.) *contrahente cum persona hæretica baptizata, verum est Matrimonium, nec dirimitur propter hæresim, quamvis peccet scienter contrahens cum tali.* Nisi scilicet dispensationem habeat a summo Pontifice, quoniam, ut ait Concilium Constantinopolitanum (*Con. Quinsextum Constantin. in Tullo, Can.* 71.) *Non licet, virum Orthodoxum cum muliere hæretica conjungi, neque vero Orthodoxam cum viro hæretico copulari.*

Et ut ait Concilium Eliberitanum (*Can.* 16.) *Hæreticis qui errant ab Ecclesia Catholica, nec ipsis Catholicas dandas puellas, neque Judæis, quod nulla potest esse societas fideli cum infideli; si fecerint parentes, abstinere per quinquennium placet.* Et Concilium Narbonense (*ann.* 1609. *c.* 22. *de matrim.*) ait; *Non contrahent Catholici cum Hæreticis: nec enim fas est, ad Sacramentum matrimonii, quod gratiam confert, excommunicatum talis gratiæ incapacem recipere.*

Quæst. 19. Quid intelligitur, per impedimentum violentiæ, & Ordinis?

Resp. Impedimentum violentiæ est, cum per gravem metum, cadentem in constantem virum, adigitur altera partium ad præbendum Matrimonio consensum, ut supra explicuimus in cap. 5. agendo de consensu necessario ad Matrimonium. Per impedimentum vero Ordinis, intelligitur illud quod provenit ex susceptione alicujus Ordinis sacri: quod similiter explicavimus agendo de impedimento, quod contrahitur per votum.

*Quæst.*20. Quid intelligitur per impedimentum ligaminis?

Resp. Illud est, quod provenit ex contracto Matrimonio, sive illud fuerit consummatum, sive non; contrahi tamen non posset novum Matrimonium, licet alter conjugum in regionem longinquam recesserit, ac jure credi possit mortuus, quia ab annis multis de eo nihil auditum est; cum necesse sit, ut dicitur in Canone (*Cap. In præsentia, de Sponsf. & Matr.*), ut aliqua novum Matrimonium contrahere possit, ut certum nuncium recipiat de morte virorum: „ In præsentia nostra „ quæsivisti, quid agendum sit de mulieribus, quæ viros suos causa captivitatis vel peregrinationis absentes, „ ultra septennium præstolatæ fuerint, nec certificari „ possunt de vita, vel de morte ipsorum, licet super „ hoc solicitudinem adhibuerint diligentem, & pro juvenili ætate seu fragilitate carnis nequeunt continere, „ petentes aliis Matrimonio copulari. Respondemus, „ quod quantocumque annorum numero ita remaneant, „ viventibus viris suis, non possunt ad aliorum consortium canonice convolare: nec authoritate Ecclesiæ permittas contrahere, donec certum nuncium recipiant „ de morte virorum “.

Contrahi tamen posset novum Matrimonium, si ante consummationem prioris, altera partium votum emitteret solemne perpetuæ castitatis in approbata aliqua Religione; ut patet ex Innocentio tertio relato in Canone (*Cap. Ex parte tua, de conver. conjug.*), his verbis; „ Nos nolentes a Prædecessorum nostrorum vestigiis „ declinare, qui respondere consulti, antequam Matri„ monium sit per carnalem copulam consummatum, „ licet alteri conjugum, reliquo inconsulto, ad Reli„ gionem transire, ita quod reliquus ex tunc legitime „ poterit alteri copulari, hoc ipsum tibi consulimus ob„ servandum ".

Quæst. 21. Quodnam est impedimentum publicæ honestatis?

Resp. Definitur a S. Thoma (*in 4. dist. 41. q. unic. art. 1. q. 4. in corp.*) *Propinquitas ex sponsalibus proveniens, robur trahens ab Ecclesiæ institutione propter ejus honestatem:* Ecclesia enim vult, filios suos omnimodam honestatem servare in Matrimoniis. Olim extendebatur hoc impedimentum usque ad quartum gradum; nunc autem sic decrevit Concilium Tridentinum (*Sess. 24. de ref. Matr. cap. 3.*): „ Justitiæ publicæ honestatis impedi„ mentum, ubi sponsalia quacumque ratione valida non „ erunt, sancta Synodus prorsus tollit: ubi autem valida „ fuerint, primum gradum non excedant; quoniam in ul„ terioribus gradibus jam non potest hujusmodi prohibitio „ absque dispendio observari ". Quare nunc non potest quis contrahere cum Patre, aut Matre, fratribus, aut sororibus, filiis, aut filiabus eorum vel earum, cum quibus inita sunt Sponsalia; sed potest ducere reliquos omnes eorum vel earum propinquos.

Quæst. 22. Hoc impedimentum habet ne locum cum consanguineis in primo gradu, qui sunt illegitimi?

Resp. Licet videri possit, quod cum hæc publica honestas introducta tantum sit a jure humano, hoc impedimentum cessare possit, cum agitur de propinquis illegitimis, qui proprie pro talibus non habentur secundum Leges humanas, ut dicitur in Auth. *Ex Complexu*, C. de incest. nuptiis, *Ex complexu nefario, aut incesto seu damnato, liberi nec naturales sunt nominandi*: certum tamen est, quod in hoc casu consanguinei seu propinqui etiam illegitimi, quicumque tandem sint, eodem modo considerari debent, ac legitimi; quoniam secundum L. *Adoptivus*, (*§. serviles, ff. de ritu nupt.*) *Adoptivus, in contrahendis matrimoniis naturale jus & pudor inspiciendus est*. Cum autem illegitimi vere consanguinei sint, verique parentes, æque ac alii, honestas publica non minus eorum quam legitimorum Matrimonium impedit, & quoniam consanguinitas, affinitas atque cognatio spiritualis contrahitur indifferenter cum omnibus, tum legitimis, tum spuriis; eadem plane ratio in honestate publica vigere debet.

Quæſt. 23. Quælibet Sponſalia pariunt-ne hoc impedimentum publicæ honeſtatis?

Reſp. Secundum quidem Jus antiquum, æqua erat omnium conditio quoad hoc impedimentum, ſive Sponſalia fuerint tantum de futuro, vel de præſenti, quæ verum efficiebant Matrimonium; nunc autem alia eſt diſpoſitio ſecundum Concilium Tridentinum, ut patet ex Bulla B. Pii V. (*in Bull. 62. editæ anno* 1568.) quæ incipit: „ Ad Romanum ſpectat. Ad aures noſtras pervenit, multos eſſe, qui dubitent, an Decretum Concilii Tridentini, ſeſſ. 24. de Reform. Matrim. cap. 3. de Sponſalibus per verba, ut ajunt, de futuro tantum conceptis intelligatur, vel etiam Matrimonia per verba de præſenti contracta, non tamen conſummata (quæ interdum Sponſalia appellantur) comprehendat; definimus, Decretum Concilii omnino intelligendum eſſe, & procedere in ſponſalibus de futuro dumtaxat; non autem in Matrimonio ſic, ut præfertur, contracto; ſed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis caſibus & gradibus, quibus de jure veteri ante prædictum Decretum Concilii introductum erat “.

Quæſt. 24. Si quis contraxit Matrimonium nullum propter conſanguinitatem, aut aliud impedimentum dirimens, conſurgitne aliquod impedimentum publicæ honeſtatis poſt hujuſmodi ſuppoſitum Matrimonium?

Reſp. Inferri poteſt ex diſpoſitione Juris Canonici, in hoc caſu verum impedimentum eſſe. Verbi gratia, Si Joannes duxit Magdalenam conſanguineam in quarto gradu abſque diſpenſatione, licet hoc Matrimonium conſummatum non fuerit, tamen ambo contraxere verum impedimentum publicæ honeſtatis cum mutuis propinquis uſque ad quartum gradum, ut colligitur ex capite: *Ex ſponſalibus* (*de Sponſalibus in 6.*), in quo ſic legitur: „ Ex ſponſalibus puris & ceteris, etiamſi conſanguinitatis, affinitatis, Religionis, aut alia quavis ratione ſint nulla (dummodo non ſint nulla ex defectu conſenſus) oritur efficax ad impediendum & dirimendum ſequentia ſponſalia & Matrimonia, non autem ad præcedentia diſſolvendum, impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis “. Certum autem eſt, ante Concilium Tridentinum, jus illud ſervatum fuiſſe reſpectu etiam Matrimoniorum nullorum. Quoniam itaque Concilium de eo tacuit, & ſecundum Conſtitutionem Pii Papæ V. hoc impedimentum perſeverat in omnibus caſibus non commutatis, conſequens eſt, eos, qui Matrimonium contraxere nullum, impedimentum quoque dirimens contraxiſſe cum mutuis cognatis, ad quartum uſque gradum, niſi Matrimonium nullum ſit defectu conſenſus.

Quæſt. 25. Quid eſt impedimentum affinitatis?

Reſp. Ex Gloſſa in arbore conſanguinitatis 35. q. 5. *Eſt autem affinitas perſonarum proximitas ex coitu proveniens, omni carens parentela.*

Quæst. 26. Cur dicitur, ex coitu proveniens, & non ex Matrimonio?

Resp. Quia, ut habetur in Canone (*Cap. Discretionem & tot. tit. de eo, qui cognovit consanguineam uxoris suæ vel Sponsæ*), affinitas æque contrahitur per illicitam, & violentam cohabitationem, ac per licitam post Matrimonium.

Quæst. 27. Quare additur in definitione: omni carens parentela?

Resp. Per hæc verba distinguitur affinitas a consanguinitate, quæ est etiam proximitas ex coitu proveniens; at postrema verba definitionis affinitatis, consanguinitati convenire non possunt; non quod non possit consurgere affinitas inter personas jam consanguineas; sed hoc est per accidens, ut ait Divus Thomas, cum absque ista consanguinitate, affinitas etiam contracta fuisset.

Quæst. 28. Cum quibusnam personis contrahitur affinitas?

Resp. Contrahitur inter maritum, & consanguineos ejus uxoris, sicut etiam inter uxorem, & consanguineos viri: ita tamen ut inter utriusque conjunctos, nulla oriatur affinitas, in quocumque gradu sint: quare duo Fratres possunt licite Matrimonium contrahere cum duabus sororibus, & sic de cæteris; ut patet ex Innocentio tertio relato in Canone (*Quod super his, de consang. & affinit.*), qui ait: „ Licet omnes consanguinei viri sint affines uxoris, & omnes consanguinei uxoris sint viri affines: inter consanguineos tamen uxoris, & viri ex eorumdem scilicet viri & uxoris conjugio, nulla prorsus affinitas est contracta, propter quam inter eos Matrimonium debeat impediri.

Quæst. 29. Usque ad quem gradum, impedimentum affinitatis proveniens ex Matrimonio, efficit Matrimonium invalidum?

Resp. Certum est, ex sacris Canonibus, hoc impedimentum extendi in affinitate, sicut & in consanguinitate, usque ad quartum gradum inclusive; & S. Gregorius Papa relatus in Can. (*Puero*, 5. q. 5.) egregiam hujus rei affert rationem, dum ait: „ Porro de affinitate, quam dicitis parentelam esse, quæ ad virum ex parte uxoris, seu quæ ex parte viri ad uxorem pertinet, manifestissima ratio est, quia si, secundum divinam sententiam, ego & uxor mea sumus una caro, profecto mihi & illa, mea suaque parentela propinquitas una efficitur: quocirca ego & soror uxoris meæ in uno & primo gradu erimus, filius vero ejus in secundo gradu erit a me, neptis vero in tertio; idque utrinque in cæteris agendum est successionibus. Uxorem vero propinqui, cujuscumque gradus sit, ita me oportet attendere, quemadmodum ipsius quoque gradus aliqua fœmina propriæ propinquitatis sit: quod ni-

„ mi-

„ mirum uxori de propinquitate viri sui in cunctis co-
„ gnationis gradibus convenit observari “.

Quæst. 30. Usque ad quem gradum affinitas proveniens ex illicita cohabitatione efficit Matrimonium nullum ?

Resp. Hæc affinitas, quæ contrahitur sive ex adulterio, sive ex simplici fornicatione, stupro, &c. efficit Matrimonium nullum usque ad secundum gradum inclusive; ut expresse decrevit Concilium Tridentinum (*Sess.* 24. *de ref. Matr. c.* 4.), cum ait: „ Præterea Sancta
„ Synodus, eisdem & aliis gravissimis de causis adducta,
„ impedimentum quod propter affinitatem ex fornicatio-
„ ne contractum inducitur, & matrimonium postea fa-
„ ctum dirimit, ad eos tantum qui in primo & secun-
„ do gradu conjunguntur restringit, in ulterioribus vero
„ gradibus statuit, hujusmodi affinitatem Matrimonium
„ postea contractum non dirimere “.

Observandum tantum est, quod licet Concilium Tridentinum, quando hoc impedimentum ad secundum gradum redegit, ac statuit, ne talis affinitas deinceps Matrimonia contracta in remotioribus gradibus impediret, non sustulerit prohibitionem, quæ ante ad quartum gradum extendebatur; ac licet videatur solum impedimentum hoc dirimens, in impedimentum simplicis prohibitionis commutasse; nihilominus tamen Beatus Pius Papa V. in Bulla quæ incipit; „ Ad Romanum Pontifi-
„ cem, *ait*: Nos omnem ambiguitatem tollere, & ani-
„ marum tranquillitati, ac Matrimonii libertati, quan-
„ tum cum Deo possumus, consulere volentes, declara-
„ mus, & Apostolica authoritate decernimus, nullum ho-
„ die impedimentum remanere, quominus in ulteriori-
„ bus gradibus hujusmodi libere & licite Matrimonium
„ contrahi possit “.

Quæst. 31. Quomodo se gerere debet vir, qui carnaliter rem habuit cum consanguineis uxoris in primo ac secundo gradu?

Resp. Ex S. Antonino (3. *p. tit.* 1. *c.* 11. §. 3.):
„ Qui cognovit consanguineam uxoris, cum qua con-
„ traxit per verba de præsenti, sed secundum consum-
„ mavit Matrimonium, cum non posset debitum nega-
„ re, nisi intrando Religionem: videtur, quod ad hoc
„ teneatur, ne incestum committat, cognoscendo affi-
„ nem, & cum hoc valeat facere, quia nondum con-
„ summavit. Quod si vult remanere in sæculo, necessa-
„ ria est sibi dispensatio etiam ad reddendum debitum,
„ si hoc vult sine peccato facere: & potest Episcopus
„ dispensare. Qui autem cognovit consanguineam uxoris,
„ & consummavit Matrimonium; tenetur quidem debi-
„ tum reddere, sed petere non potest absque dispensatione,
„ & ut dictum est, per Episcopum potest dispensari “.

Quæst. 32. Jus Canonicum interdicit-ne ei qui carnaliter rem habuit cum consanguinea uxoris in primo, aut secundo gradu, quominus petat debitum conjugale?

Resp.

Resp. Extat titulus expressus in Decretalibus, *De eo, qui cognovit consanguineam uxoris suæ*. Verum hi casus definiuntur ab Innocentio III. relato in Can. his verbis (*Cap. Tuæ Fraternitatis, de eo qui cognovit consanguineam uxoris suæ vel Sponsæ.*) „ Tuæ Fraternitatis devo- „ tio postulavit, utrum is, qui cum sorore legitima con- „ jugis fornicatur, cum uxore possit postmodum commo- „ rari, & exigere debitum, ac solvere requisitus. Nos „ igitur respondemus, quod uxor, ut a commixtione vi- „ ri abstineat propter publicam honestatem, & in con- „ tinentia maneat, donec vir viam universæ carnis in- „ gressus fuerit, diligentius est monenda. Quod si forte „ commonitioni tuæ parere recusans, talis fuerit, ut de „ lapsu timeatur ipsius, vir ejus poterit, & debebit, cum „ Dei timore debitum ei solvere conjugale, cum affini- „ tas post Matrimonium inique contracta illi nocere non „ debeat, quæ iniquitatis particeps non existit ". Quod pertinet ad reum certum est, eum debitum exigere non posse, ut dicitur in Canone (*Cap.* 1. *De eo qui cognovit cons. uxoris suæ*) : *Si quis cum filiastra sua scienter fornicatus fuerit, nec a Matre debitum petere, nec filiam unquam habere potest uxorem*.

Quæst. 33. Quomodo se gerere debet Confessarius, cum ex confessione eorum qui jamjam sunt Matrimonium inituri, detegit aliquod impedimentum dirimens Matrimonium ?

Resp. Debet monere Pœnitentem, & impedire, ne ulterius procedat. Quod si Matrimonium impediri non possit absque gravi scandalo, quia cum jam convenerint partes, concipere possent malam aliquam suspicionem, si una ex partibus resilire vellet sine conspicua quadam causa : Confessarius debet ipsam adigere ut petat, & expectet dispensationem, prohibendo illi verbis expressis, ne sine dispensatione nubat. Possunt in similibus casibus varia adhiberi media ad differendum Matrimonium, juxta varias rerum circumstantias: v. g. si adolescentula Matrimonio jam parata, aperiret in confessione impedimentum dirimens, proveniens ex crimine occulto ; ne detur occasio suspicandi veritatem criminis, Confessarius posset ipsi suadere, ut interim emitteret votum castitatis, donec habeatur dispensatio ; & dicere parentibus, a se emissum fuisse votum castitatis, obligatam a Confessario, ut peteret dispensationem ante Matrimonium, non explicando, votum emissum esse ad tempus ; & sic prætextu expectandi dispensationem a voto, posset haberi vera dispensatio impedimenti dirimentis, provenientis ex illicita cohabitatione.

Denique necesse est, ut prudentia Confessoris in talibus occasionibus excogitare faciat media, quæ apta sint, tum ad honorem, tum ad conscientiam rite salvandam. Verum illa prudentia Christiana esse debet, nec in detrimentum conscientiæ carni & sanguini cedere par est ;

quo-

quoniam ut ait Apostolus: (*Ad Rom. cap.* 8.) *Prudentia carnis mors est. Prudentia autem Spiritus, vita & pax.*

Quæst. 34. Quid est impedimentum impotentiæ?

Resp. Ex sancto Thoma, (*in* 4. *sent. dist.* 34. *q. unic.*) est defectus impediens consummationem Matrimonii per carnalem conjunctionem. Hæc impotentia duplex est: aliquando enim provenit ex causa naturali, aliquando ex accidentali, verbi gratia, ex maleficio. Impotentia efficit Matrimonium nullum, si sit perpetua, ut dicitur in Canone, *Ex litteris*, De frigidis & maleficiatis, quocumque modo contingat.

Quæst. 35. Impotentia, quæ provenit ex maleficio, efficit-ne semper Matrimonium nullum?

Resp. Ex S. Thoma (*in* 4. *sent. dist.* 34. *q. unic. art.* 3. *in corp.*): „ Impotentia coeundi ex maleficio, aut est „ perpetua, & tunc Matrimonium dirimit: aut non est „ perpetua, & tunc non dirimit; & ad hoc experiendum „ eodem modo Ecclesia tempus triennii præfinit, sicut & „ de frigiditate dictum est: tamen hæc differentia est in- „ ter maleficium & frigiditatem, quia qui ex frigiditate est „ impotens, sicut est impotens ad unam, ita ad aliam; „ & ideo, quando Matrimonium dirimitur, non datur „ licentia ei, ut conjungatur alteri: sed ex maleficio ho- „ mo potest esse impotens ad unam, & non ad aliam: & „ ideo quando judicio Ecclesiæ Matrimonium dirimitur, „ utrique datur licentia, ut alteram copulam quærat ". Sed priusquam Matrimonium annulletur, conjuges per triennium cohabitare debent, & jurare, quod numquam per id tempus pervenire potuerint ad actum Matrimonii: ut ait Honorius Papa tertius relatus in Canone (*Cap. ult. de Frigid. & malef.*), his verbis: „ Si ita „ est, & constiterit vobis, præfatum virum & mulierem „ intra prædictos octo annos per continuum triennium in- „ simul habitasse, ipsis cum septima propinquorum manu „ firmantibus juramento, se commisceri carnaliter ne- „ quivisse, proferatis divortii sententiam inter eos ".

Sic etiam dicitur in Canone (*Can. Si per sortiarias*, 33. *q.* 1.), „ Si per sortiarias atque maleficas artes, oc- „ culto, sed nunquam injusto Dei judicio permittente, „ & diabolo præparante, concubitus non sequitur; hor- „ tandi sunt, quibus ista eveniunt, ut corde contrito, „ & spiritu humiliato, Deo & Sacerdoti de omnibus pec- „ catis suis puram confessionem faciant, & profusis la- „ crymis, & largioribus eleemosynis, & orationibus at- „ que jejuniis Domino satisfaciant, & per exorcismos ac „ cætera Ecclesiasticæ medicinæ munia, Ministri Eccle- „ siæ tales, quantum Dominus annuerit, qui Abimelech „ ac domum ejus Abrahæ orationibus sanavit, sanare pro- „ curent. Quod si forte sanari non potuerint, separari „ valebunt ".

Quæst. 36. Est-ne licitum tollere maleficium impediens consummationem Matrimonii, per aliud maleficium?

Resp.

Resp. Non licet, quoniam ut ait Apostolus: *Non sunt facienda mala, ut eveniant bona.* Unde Alexander Papa III. relatus in Canone, (*Cap. Ex tuarum, de Sortileg.*) ait, *Presbyter cum quodam infami ad privatum locum accessit non ea intentione, ut vocaret dæmonium, sed ut inspectione astrolabii furtum cujusdam Ecclesiæ posset recuperari; verum licet hoc ex bono zelo & simplicitate se fecisse proponat, id tamen gravissimum fuit, & non modicam inde maculam peccati contraxit.*

Idem asserit Divus Thomas, dum ait (*in 4. dist. 34. qu. unic. art. 3. ad 3.*): *Et etiamsi posset per maleficium, remedium adhiberi, nihilominus reputaretur perpetuum, quia nullo modo debet aliquis dæmonis auxilium per maleficium invocare.*

Quæst. 37. Quænam sunt reliqua impedimenta dirimentia, addita a Concilio Tridentino?

Resp. Duo sunt, nempe absentia Parochi, & duorum testium: „ Qui aliter, *inquit* (*sess. 14. de ref. Matr. c. 1.*), „ quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote, „ de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus, „ vel tribus testibus, Matrimonium contrahere attentabant, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit; & hujusmodi contractus „ irritos & nullos esse decernit, prout eos præsenti „ Decreto irritos facit, & annullat. Insuper Parochum, vel alium Sacerdotem, qui cum minore testium numero, & testes qui sine Parocho vel Sacerdote hujusmodi contractui interfuerint, nec non ipsos „ contrahentes, graviter arbitrio Ordinarii puniri præcipit “. De hoc impedimento locuti sumus, c. 4. q. 6.

Alterum impedimentum est raptus, ut habetur in eodem Concilio Tridentino (*sess. 24. de ref. Matr. c. 6.*), his verbis: *Decernit sancta Synodus, inter raptorem & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere Matrimonium.*

Quæst. 38. Quid est raptus?

Resp. Recte definitur: fœminæ cujuspiam violenta abductio, seu traductio de loco ad locum, in quo in raptoris potestatem redigatur, Matrimonii contrahendi, vel libidinis explendæ causa. Advertendum solum est cum S. Thoma (*2. 2. q. 154. art. 7. in corp.*), quod, *Quandoque violentia infertur Patri, sed non Virgini: puta, cum ipsa consensit, ut per violentiam de domo Patris abstrahatur. Qualitercumque enim violentia adsit, solvitur ratio raptus.* Præterea dicitur violenta abductio respectu puellæ, quæ abducitur. Si quovis modo illi violentiæ metus incutiatur, ut puta, si videat homines armatos, ad ipsam vi rapiendam comparatos, ipsa etiam abductio violenta censetur, & raptum efficere, si mulier invita abducitur, etiam si parentes ejus hujusmodi abductioni consentiant.

Quæst.

Quæst. 39. Quænam præterea pœnæ contra raptores sunt constitutæ?

Resp. Referuntur a Concilio Tridentino (*Sess.* 24. *de ref. Matr. c. 6.*), dum ait: „ Raptor ipse ac omnes illi consilium, auxilium & favorem præbentes, sint ipso „ jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces; & si Clerici fuerint, de „ proprio gradu decidant: teneatur præterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non „ duxerit, decenter arbitrio Judicis dotare ".

CAPUT VII.

De Dispensationibus ab impedimentis Matrimonii.

Quæst. I. QUænam requiruntur conditiones, ut tuta conscientia petatur dispensatio ab aliqua Lege Ecclesiastica?

Resp. Exponendum est serio, utrum rationes, quæ movent ad petendam dispensationem, hæc sint, quas exigit Concilium Tridentinum (*sess.* 4 *de ref. c.* 18.), dum ait: „ Sicuti publice expedit Legis vinculum quandoque re- „ laxare, ut plenius evenientibus casibus, & necessitati- „ bus, pro communi utilitate satisfiat; sic frequentius „ Legem solvere, exemploque potius, quam certo per- „ sonarum, rerumque delectu, petentibus indulgere, ni- „ hil aliud est, quam unicuique ad Leges transgredien- „ das aditum aperire. Quapropter sciant universi, sacra- „ tissimos Canones exacte ab omnibus, & quoad ejus „ fieri poterit, indistincte observandos. Quod si urgens „ justaque ratio, & major quandoque utilitas postulave- „ rit, cum aliquibus dispensandum esse, id causa cogni- „ ta, ac summa maturitate, atque gratis a quibuscum- „ que ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum; „ aliterque facta dispensatio, subreptitia censeatur, *hoc* „ *est nulla*.

„ Quam imprudenter, *ait Concilium Coloniense* (I. „ *an.* 1546. *p.* I. *c.* 33.) plerique diplomatibus ac dis- „ pensationibus apud sedem Apostolicam extortis, præ- „ ter summi Pontificis mentem, (qui & vult & debet „ potestate sibi concessa, non ad destructionem, sed ad „ ædificationem uti) abutantur, nullus est qui ignoret. „ Non prohibeo, inquit quidam vir pius, dispensare, „ sed dissipare: dispensatio quidem credita est, sed hic „ jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inve- „ niatur. Quamquam apud illos maxima culpæ pars re- „ sideat, qui vel nulla, vel minus legitima, vel etiam „ ficta causa, supplicatoriis precibus inserta, dispensa- „ tionis tectorium tandem eliciunt, quos apud Deum, „ qui renes & corda nostra scrutatur, omnemque hypo- „ crisim ac fraudem execratur, securos quis dixerit? „ Nemo sibi, ait idem ille, quem jam citavimus, de

„ dispensatione Apostolica blandiatur, cujus conscientiam „ divina sententia tenet alligatam.

„ Ubi necessitas urget, *ait Sanctus Bernardus* (de „ consid. ad Eug. Pap. lib. 3. c. 4.), excusabilis dis„ pensatio, ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis: „ est utilitas dico, communis, non propria. Nam cum „ nihil horum est, non plane fidelis dispensatio, sed cru„ delis dissipatio est ". Quod quidem eo verius est, quod similes dispensationes, sine gravibus rationibus concessæ, plane sunt inutiles iis, qui eas obtinent: Quoniam, ut ait idem Divus Bernardus (*ep. ad Adam Monachum.*): „ Numquid ideo aut malum esse desiit, aut vel minora„ tum est, quia Papa concessit "? Quare Concilium Tridentinum (*sess.* 14. *de ref. Matr. c.* 5.) loquens de dispensationibus Matrimonii, ait: „ In contrahendis matrimo„ niis vel nulla omnino detur dispensatio, vel raro, id„ que ex causa, & gratis concedatur. In secundo gradu „ numquam dispensetur, nisi inter magnos Principes, & „ ob publicam causam ". Denique, ut habet Glossa in cap. *Non est*, de voto, verbo *adimplere*, *Non est securus coram Deo, cum quo Papa dispensat, nisi subsit causa dispensandi.* Quantum ad dispensationes in foro pœnitentiali, videatur Instructio in fine hujus Tomi quinti.

Quæst. 2. Quid efficit dispensationes obreptitias, aut subreptitias, ac proinde nullas?

Resp. Dispensatio dicitur obreptitia, quæ obtinetur per narrationem falsi: subreptitia vero, quando celatur, aut occultatur aliquid, quod dici, aut exponi debuit, sive per subticentiam veri: verum in jure sæpe sæpius subreptio cum obreptione confunditur; quia certum est, ambo hos defectus dispensationes penitus invalidas efficere; adeo ut hi qui eas obtinent, non possint iis uti sine gravi peccato, ut definitum est pluribus in locis Juris Canonici, & præsertim in Canone (*Cap. Si motu, de præb. in 6.*): *Si motu*, ubi de dispensatione dicitur: *ipsam velut subreptitiam vires nolumus obtinere.*

Quæst. 3. Quando impetrantes dispensationem non intenderunt, & noluerunt de facto narrare falsum, aut verum supprimere; sed hoc accidit ex malitia, aut inadvertentia Expeditionarii, dispensatio est-ne nulla?

Resp. Est nulla, & hujusmodi ignorantia non excusat partes a peccato; quia ut ait Divus Thomas (1. 2. *q.* 6. *art.* 8. *in corp.*); *Dicitur ignorantia voluntaria ejus, quod quis potest scire, & debet*: Atqui partes tenentur inquirere, quænam sint rationes, quæ eorum nomine proponuntur ad obtinendam dispensationem. Verum licet hujusmodi ignorantia esset invincibilis, & partes excusaret a peccato: statim ac ad eorum notitiam pervenit, dispensationem concessam fuisse per narrationem falsi, aut subticentiam veri, obtenta dispensatio pro nulla habenda est, ut dicitur expresse in Canone, his verbis (*Can. Super litteris, de Rescriptis.*); „ Super litteris quæ ali-

„ qui-

„ quibus ex malitia, & nonnullis ex ignorantia (taci-
„ ta veritate, vel suggesta falsitate) impetrantur a no-
„ bis ... Si vero per hujusmodi falsitatis expressionem,
„ vel suppressionem etiam veritatis, litteræ fuerint im-
„ petratæ, qua tacita, vel expressa, nos nullas prorsus
„ litteras dedissemus, Delegato non est aliquatenus pro-
„ cedendum ". Notandum hoc in loco, Innocentium tertium de iis loqui, qui ex simplicitate & ignorantia id præstant.

Et in alio Canone dicitur (*Can.* §. 1. *motu*, *De Præb. in* 6.) : „ Si ad petitionem illius vel alterius pro eodem
„ oblatam, gratiam hujusmodi facimus: tunc enim i-
„ psam veluti subreptitiam, vires nolumus obtinere. *Un-*
„ *de Glossa in cap.* Super litteris, *De rescript. in verb.*
„ Litteras, *ait* ; Ex hoc patet, quod simplicitas vel igno-
„ rantia non prodest circa hujusmodi litteras impetran-
„ das. Imo ad hoc ut rescriptum teneat, nihil debet
„ supprimi ex his, quæ movere possunt animum Princi-
„ pis ad dandum rescriptum, vel ad denegandum ".

Hac de causa sic decernitur a Concilio Tridentino (*sess.* 22. *de ref. c.* 5.) : „ Dispensationes quacumque authori-
„ tate concedendæ, si extra Romanam curiam commit-
„ tendæ erunt, committantur Ordinariis illorum, qui
„ eas impetraverint, eæ vero quæ gratiose concedentur,
„ suum non sortiantur effectum, nisi prius ab eisdem
„ tanquam Delegatis Apostolicis summarie tantum & ex-
„ trajudicialiter cognoscatur, expressas preces subreptio-
„ nis vel obreptionis vitio non subjacere ".

Quæst. 4. Quænam necessario exponenda sunt, ut dispensatio subreptitia, & nulla non censeatur?

Resp. Exprimendum est primo, in quo consanguinitatis vel affinitatis gradu quis sit cum ea, quam vult in Matrimonium ducere; idem dic de honestate publica, ac de aliis impedimentis, quæ absolute & dilucide declaranda sunt. Explicari etiam debet, utrum commissus sit incestus cum ea, quam cupit ducere, & disertis verbis indicari, utrum perpetratus sit ab eo spe facilioris dispensationis. Exprimi etiam debet in supplicatoriis litteris raptus, si quis illius conscius sit, licet persona rapta restituta fuerit in libertate. Denique explicandum est, utrum fuerit consummatum Matrimonium non obstante impedimento, quod notum erat, aut fuerit-ne penitus ignoratum; utrum fuerit contractum Matrimonium absque proclamationibus; sed præcipue in impedimentis voti, fideliter, & exacte narrandum est, qua occasione emissum fuerit, quo motivo, quave ætate.

Quæst. 5. Est-ne præterea aliquid exprimendum in supplicatoriis litteris ad obtinendam dispensationem?

Resp. Exponendæ insuper sunt rationes singulæ, quibus inducitur quis ad petendam dispensationem a sacris Ecclesiæ legibus: & in hoc unusquisque debet propriam consulere conscientiam, & stare judicio docti & pii di-

re-

rectoris, ne præceps ruat in abusum nimis frequentem apud eos, qui sibi placere & adulari volunt, qui angustam non amant viam, quæ tamen sola ducit ad vitam, asserente Christo Domino (*Matth. 7.*). *Quam angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam.* Hic autem abusus in eo præsertim est, quod multi putent, se satisfacere conscientiæ, cum Expeditionario committunt curam procurandæ dispensationis, & examinare negligunt, si rationes non modo veræ sint, sed etiam justæ, & tales, quales esse superius eas oportere demonstravimus. Mature exponendæ sunt singulæ supplicationis voces, priusquam superiori exhibeantur, ne aliquod vitium subrepat, & ut quis tota conscientia possit impetrata dispensatione uti.

Quæst. 6. Fornicatio, aut incestus, sunt-ne legitimæ causæ ad petendum, & obtinendum dispensationes, ut contrahi possit Matrimonium cum his, cum quibus peccatum est?

Resp. Recta ratio satis ostendit, crimina minime inservire debere cuiquam ad gratiam, & favorem consequendum; unde Concilium Tridentinum (*Sess. 24. de refor. c. 5.*) ait: „ Si quis intra gradus prohibitos scien-„ ter Matrimonium contrahere præsumpserit, separetur, „ & spe dispensationis consequendæ careat: idque in eo „ multo magis locum habeat, qui non tantum Matrimo-„ nium contrahere, sed etiam consummare ausus fuerit. „ Quod si ignoranter id fecerit, siquidem solemnitates „ requisitas in contrahendo Matrimonio neglexerit, eis-„ dem subjiciatur pœnis; non enim dignus est, qui Ec-„ clesiæ benignitatem facile experiatur, cujus salubria „ præcepta temere contempsit". Ideo observandum est, dispensationes, quæ conceduntur illis, qui commiserunt incestum, non concedi ratione peccati commissi, sed solum ad evitanda gravia inconvenientia, & scandala, quæ aliter vitari non possunt, nisi per subsequens Matrimonium; ideoque in supplicatoriis litteris, quæ in similibus casibus præsentantur, sic habetur: „ Exponunt, „ quod ipsis alias scientibus se tertio consanguinitatis „ gradu invicem esse conjunctos, Orator prædictus, non „ quidem peccandi data opera, ut crimine admisso, „ hæc causa foret Sanctitatem vestram, & sedem Apo-„ stolicam ad misericordiam, & gratiam erga ipsos fa-„ ciliores reddendi; sed solum vesana libidine victus, „ Oratricem cognovit. Cum autem, Pater sancte, nisi „ Matrimonium inter dictos Oratores contrahatur, di-„ cta mulier diffamata & innupta remaneret, graviaque „ exinde scandala possent verisimiliter exoriri: cupiunt, „ &c."

Debet igitur constare coram Commissario delegato a sancta Sede, & potiori jure coram Deo, primo, quod Oratrix diffamata & innupta remaneret. Secundo, verisimile esse, incestum hujusmodi gravia scandala paritu-

rum.

rum. Tertio, sperandum esse, hoc Matrimonium talia scandala posse impedire, nec aliud in hoc casu suppetere remedium.

Præterea hujusmodi dispensationes hanc conditionem habent adjunctam, quod scilicet incestus, aut nimia familiaritas non intervenerint eo fine, ut facilius dispensatio obtineri posset. Unde præcipitur Commissario delegato, ut dispensationis gratiam non concedat, priusquam juramentum exegerit ab Oratoribus, quod incestum non commiserint ea intentione, ut crimine admisso facilius dispensaretur.

Quæst. 7. Quando contractum est Matrimonium nullum propter aliquod impedimentum dirimens, quomodo effici potest validum post impetratam dispensationem?

Resp. In hoc casu, vel impedimentum dirimens, cujus obtenta est dispensatio post contractum Matrimonium, est occultum, vel non. Si non sit occultum, dubium non est, quin renovandus sit consensus coram Parocho, & duobus testibus: si sit occultum, ita ut in foro externo nullo modo probari possit, tunc necesse non est, ut Parochus, & testes intersint consensui necessario renovando: quia in hoc casu ratio qua motum est Concilium Tridentinum (*Sess.* 24. *de ref. Matr. c.* 5.), ut decerneret, ut Matrimonia celebrentur coram Parocho, & duobus testibus, locum non habet, ut satis patet ex præfatione Decreti his verbis; „ Cum sancta Synodus gravia „ peccata perpendat, quæ ex eisdem clandestinis conju„ giis ortum habent: præsertim vero eorum qui in statu „ damnationis permanent, dum priore uxore, cum qua „ clam contraxerunt, relicta, cum alia palam contra„ hunt, & cum ea in perpetuo adulterio vivunt. Cui ma„ lo cum ab Ecclesia, quæ de occultis non judicat, suc„ curri non possit, nisi efficacius aliquod remedium ad„ hibeatur, idcirco, &c. " Atqui evidens est, cum in nostro casu validum jam sit Matrimonium in foro externo, easdem personas separari non posse, novumque contrahere Matrimonium; Et sic cessat ratio, propter quam Concilium testes, & Parochum requirit. Notandum tamen est, quod si Parochus aut aliquis ex testibus prioris Matrimonii contracti cum impedimento dirimente, scirent hoc impedimentum, cum illi Matrimonio interfuerunt, de novo foret contrahendum coram Parocho, & testibus, quia in hoc casu cum constet Parocho vel testibus, matrimonium esse nullum, proprie non fuerunt testes validitatis Matrimonii, sed potius nullitatis; ac proinde solemnitates a Concilio Tridentino requisitæ ad validitatem Matrimonii, non præcesserunt.

Quæst. 8. Si altera partium sciret impedimentum occultum, quod reddit Matrimonium nullum, & super eo obtinuit dispensationem, tenetur-ne necessarie impedimentum alteri aperire, ad renovandum consensum?

Resp. Est absolute necessarium, quia ut dicitur in Ca-

none,

none, *Quod autem*, 29. q. 1. error obstat validitati consensus, & consequenter, ut pars, quæ ignorat hoc impedimentum, possit renovare consensum post obtentam dispensationem, necesse est, ut ipsi indicetur, se Matrimonio junctam non esse (non tenetur tamen ei aperire, quodnam sit hujusmodi impedimentum) quia si simpliciter ejus exigeretur consensus, tunc pars illa, quæ nescit se liberam esse, ut consensum det, aut recuset, perseveraret tantum in priori consensu, & novum non præberet, ad quod tamen tenetur. Ita quæstionem hanc definivit verbis expressis Doctor Subtilis (*in* 4. *sent. dist.* 35. *q.* 1.): ,, Primus consensus non fuit matrimonialis, & ideo ,, ad hoc quod sint conjuges, requiritur novus consen- ,, sus: & tunc dico, quod si impedimentum non expri- ,, matur personæ insciæ, ipsa in copula carnali sequenti ,, non consensit novo consensu, sed solum reddit in vir- ,, tute primi consensus, qui nullus fuit: & ideo licet ,, persona sciens de novo consentiat, non tamen sufficit. ,, Hoc expresse dicit Glossa in cap. 1. De eo qui duxit ,, in matrim. quam polluit per adulter. In primo con- ,, sensu qui nullus fuit, intelligitur perdurare; sicut ,, probatur de servo, qui creditur liber, cum quo con- ,, trahatur, si post manumittitur, uxore ignorante, non ,, contrahitur Matrimonium; quia post manumissionem ,, factam, manendo cum eo, semper intelligitur appro- ,, bare consensum primum, qui fuit erroneus, & non ,, Matrimonium.

Ad tollendum autem omne dubium in re adeo delicata, in dispensationibus, quæ dantur in foro Pœnitentiæ Romano, semper apponitur: *Cum ipso latore dispensa, muliere de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita caute, ut latoris delictum numquam detegatur.* Quod omnino fideliter, sed prudenter observandum est: ne si prudentia desit, præsertim dum agitur de impedimento ex crimine occulto, rixæ & inimicitiæ inter conjuges, aut eorum consanguineos oriantur: fideliter, ne si nullitas prioris Matrimonii non aperiatur distincte, & expresse parti nullitatis insciæ, corruat, & nullitati subjaceat subsequens Matrimonium, ex defectu essentiali, & insanabili a quacumque authoritate, consensus legitimi & liberi, sine quo subsistere nullo modo potest Matrimonium, ut vidimus supra cap. 5. Videri etiam possunt, quæ diximus Tom. 4. tr. 6. c. 11. q. 14. Videatur Instructio in fine Tomi hujus quinti.

Quæst. 9. Quonam utendum est modo, quave pia arte, ad evitandum, ne detegatur crimen comparti, dum illi aperitur, Matrimonium fuisse nullum?

Resp. Adhiberi possunt diversa media, pro diverso personarum ingenio; prudentia tamen exigit Christiana, ut tantummodo licita suggerantur, quæque crimina non manifestent; cum autem ejusmodi media non occurrunt, debent Parochi consulere Episcopum, aliosque discretos,

& pru-

& prudentes viros; fieri enim non potest, ut hic præscribantur sigillatim hæc media, quibus utantur in omnibus casibus occurrentibus. Quantum autem ad dispensationes in foro pœnitentiali, videatur omnino Instructio in fine Tomi hujus quinti apposita.

Quæst. 10. Si Matrimonium ob id tantum foret nullum, quia una partium vere non consensit, puta, quia consensus fuit tantum exterior, fictus, vel coactus; esset ne dictum vitium aperiendum comparti, ab eaque novus exigendus consensus?

Resp. In hoc casu non est necesse aperire comparti, defuisse consensum; imo sufficit, ut ille qui vere non consensit, interius præbeat consensum, modo altera pars expresse consensum non revocaverit; ut patet ex sancto Thoma, cum ait (*in* 4. *sent. dist.* 26. *art.* 3. *q.* 2. *ad* 2.): „ Ex consensu libero illius qui prius coactus est, non fit „ Matrimonium, nisi in quantum consensus præcedens „ in altero, adhuc manet in suo vigore “.

Et ex sancto Bonoventura, his verbis (*in* 4. *sent. dist.* 29. *q.* 2. *n.* 13.): „ Si illa consentiat, dicendum, quod „ tunc alius incipit obligari, & non ratione consensus a„ lieni tantum, sed ratione sui qui præcesserat in actu, „ & erat in habitu: qui etsi non illigaret, quia non erat, „ qui acciperet; ideo alieno consensu adveniente, ille „ consensus habet vim obligandi, quamvis prius non ha„ beret “.

Quæst. 11. Quasnam ob causas peti potest dispensatio a simplici voto castitatis, ut contrahi deinde possit Matrimonium?

Resp. Hæc dispensatio peti nequit, nisi propter causas ad honorem Christi Domini, & Ecclesiæ utilitatem spectantes; quoniam ut ait Divus Thomas (2. 2. *q.* 88. *ar.* 12. *in corp.*); *Omnis dispensatio petita a Prælato, debet fieri ad honorem Christi, in cujus persona dispensat, & ad utilitatem Ecclesiæ, quæ est ejus corpus*, scilicet mysticum. Unde cum nulla est occasio, voti executionem, sine magnis difficultatibus, impediens, obtenta dispensatio nulla est, quia non respicit honorem Christi Domini, aut Ecclesiæ utilitatem, quia tunc satius esset, votum Deo factum fideliter complere, quam ab eo dispensationem obtinere; unde inquit idem sanctus Doctor (*Ibid. ad* 2.): „ In manifestis dispensatio Prælati non excusaret „ a culpa; puta si Prælatus dispensaret cum aliquo super „ voto de ingressu Religionis, nulla apparenti causa ob„ stante: si autem esset causa apparens, per quam saltem „ in dubium verteretur, posset stare judicio Prælati di„ spensantis, vel commutantis, non tamen judicio pro„ prio, quia ipse non gerit vicem Dei “. Quare temere petenda non est dispensatio a voto castitatis, hoc uno prætextu, quod aliquis credit, illud se servare non posse; nisi saltem per aliquod temporis spatium adhibuerit remedia, quæ tradidit ipsemet Deus contra carnis stimulos,

nem-

nempe orationem & jejunium, præsertim cum ex Concilio Tridentino (*sess.* 24. *de Sacr. Matr. c.* 5.), *Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id quod possumus tentari*. Quantum ad dispensationes pro impedimentis occultis in foro pœnitentiali, videatur Instructio in fine hujus Tomi.

Quæst. 12. Quid intelligitur per honorem Christi Domini, aut utilitatem Ecclesiæ, quæ sunt legitimæ dispensandi causæ, & dispensationem petendi?

Resp. Honor Dei, & Ecclesiæ utilitas adsunt in dispensatione a voto, quoties id quod in se est majus bonum, & consequenter materia voti, propter aliquam circumstantiam supervenientem fit malum, aut redditur inutile, vel nos impedit a majori bono, unde cessat esse materia voti. Ita Divus Thomas (2. 2. *q.* 88. *art.* 10. *in corp.*): „ Ille qui vovit, *inquit*, sibi statuit legem, obligans se „ ad aliquid, quod est secundum se & ut in pluribus bo„ num. Potest tamen contingere, quod in aliquo casu „ sit vel simpliciter malum, vel inutile, vel majoris „ boni impeditivum, quod est contra rationem ejus, „ quod cadit sub voto; & ideo necesse est, quod deter„ minetur in tali casu votum non esse servandum". Tunc Prælatus dispensare debet, aut votum commutare in aliud pium opus, ex quo major Dei honor, & Ecclesiæ utilitas possit inveniri, quam ex voti complemento. Videri possunt, quæ diximus Tomo 1. tract. 1. c. 17. q. 8. dum de dispensationibus egimus. Legi etiam potest liber cui titulus est, *De dispensationibus*, in duas partes divisus, Coloniæ Typis mandatus anno 1687.

CAPUT VIII.

De Matrimonio filiorum, & de ætate requisita ad contrahendum Matrimonium.

Quæst. 1. Possunt-ne filii contrahere Matrimonium absque consensu parentum, vel ipsis repugnantibus?

Resp. Quamquam, ut ait S. Bonaventura (*lib.* 4. *sent. dist.* 29. *q.* 3. *n.* 16. *in corp.*) „ Matrimonii contractus de„ bet esse liber omnino, tum ratione significationis, tum „ etiam ratione talis, & tantæ obligationis, quæ in illo „ contractu consistit: & ideo non est præcipiendum a pa„ rentibus filio præcepto obligatorio, quod contrahat, „ quia potest continere, si vult, & iterum si vult, con„ trahere; & adhuc per præceptum non potest Pater ad „ contrahendum cum hac vel cum illa eum obligare"; filii tamen non possunt Matrimonium contrahere insciis, vel invitis parentibus; alias peccarent mortaliter, si absque justa & rationabili causa contraherent: fieri enim potest, ut filius non peccet contrahendo inscio Patre, ut

ut eum procul ab eo distat, & ipsum admonere non potest absque gravi incommodo; & aliunde locum habet credendi, Patrem lubenter consensurum, si sciret: sic Tobias duxit Saram inscio patre. Contingere etiam potest, ut filius non peccet contrahens invito Patre, cum Pater injuste impedire nititur Matrimonium filii, aut quia non vult, ut filius uxorem ducat, aut vult, ut ducat hanc, vel illam, contra ejus inclinationem, & non obstantibus gravibus causis, quibus movetur filius ad hujusmodi Matrimonium minime ineundum. Nihilominus filii invitis parentibus contrahentes, fere semper peccant, quia, regulariter loquendo, Patres & Matres sapientiores sunt filiis, quorum utilitatem unice quærunt; pluribus Scripturæ locis constat, filios cum consensu parentum Matrimonium contrahere debere; ita, verbi gratia, Isaac, ut dicitur Genesis cap. 24. duxit uxorem, quam Pater ipsi tradidit; & Rebecca uxor Isaac adhæsit in hoc Patris consilio. Legimus etiam in Exodo, & in Deuteronomio, c. 7. v. 3. quod ubi prohibuit Deus Matrimonium cum Chananæis, ait parentibus: *Filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo*. Patet etiam ex Divo Paulo, dum ait (1. *ad Cor. c.* 7.): *Qui Matrimonio jungit virginem suam, bene facit: qui non jungit, melius facit*: quibus verbis satis indicat, filios & filias sequi debere parentum consilia in Matrimonio contrahendo.

Idem statuunt sacri Canones. Quare Sanctus Leo Papa relatus in Canone, ait (*in Epist. ad Rusticum Episcop. Narbon. ref. in Can. Non omnis*, 32. *q.* 2.): „ Paterno arbitrio viris junctæ, carent culpa; cum ergo dicitur: Paterno arbitrio junctæ viris, datur intelligi, quod paternus consensus desideratur in nuptiis, nec sine eo legitimæ nuptiæ habentur, juxta illud Evaristi Papæ: Aliter non fit legitimum conjugium, nisi a Parentibus tradatur. *Quod quidem a Divo Ambrosio confirmatur, relato in Canone, cum ait* (*lib.* 1. *de Abrah. cap. ult.*): Mulier nubat tantum in Domino, ut electionem Mariti, Parentibus deferat. *Et in alio Canone legimus*: Aliter legitimum non fit conjugium, nisi ab his qui super ipsam fœminam dominationem habere videntur, & a quibus custoditur, uxor petatur, & a Parentibus, & propinquioribus sponsetur ".

Quæst. 2. Consensus Parentum est ne necessarius ad validitatem Matrimoniorum, quæ contrahunt filii familias?

Resp. Non est dubium, quin Matrimonia contracta a filiis familias absque consensu Parentum, sint valida, modo observaverint omnes conditiones, quas Ecclesia requirit ad eorum validitatem. Quoniam Concilium Tridentinum pronunciavit anathema contra eos, qui asserunt Matrimonia filiorum familias contracta sine consensu Parentum, esse nulla. Et secundum idem Concilium Tridentinum de his ratiocinari debemus, sicut de Ma-

trimoniis clandestinis, quæ esse vera declaravit, donec Ecclesia, quæ nova statuere potest Matrimonii impedimenta, declarando personas ad contrahendum inhabiles, ea nulla esse denunciaverit: ac proinde cum Ecclesia hactenus non declaraverit, Matrimonia a filiis familias sine Parentum consensu contracta esse nulla; consequens est, ea valida esse, quamquam, ut in præcedenti quæstione diximus, sint illicita.

Principum vero decreta, si quæ his videantur aliquando contraria, ea secundum Divum Thomam, & Divum Bonaventuram, impedimentum dirimens Matrimonium statuere non possunt, nisi tale impedimentum ab Ecclesia fuerit comprobatum: quia cum Matrimonium Sacramentum sit inter fideles, Principum temporalium legibus, quoad validitatem suam, non potest esse obnoxium.

Sanctus Thomas, postquam sibi proposuit hanc objectionem (*in* 4. *dist.* 42. *q.* 2. *art.* 1. *ad* 4.) „ Sacramenta „ Ecclesiæ non subduntur humanis legibus; sed Matri- „ monium est Sacramentum Ecclesiæ; cum ergo adoptio „ sit inducta per legem humanam, videtur, quod non „ possit impedire Matrimonium aliquod vinculum ex a- „ doptione contractum: *sic respondet*: Ad quartum di- „ cendum, quod prohibitio Legis humanæ non sufficit „ ad impedimentum Matrimonii, nisi interveniret au- „ thoritas Ecclesiæ, quæ idem etiam interdicit". Sanctus autem Bonaventura eidem objectioni ita respondet (*S. Bon. in* 4 *dist.* 42. *q.* 2. *art.* 2. *ad* 2.): „ Ad illud „ quod objicitur, quod regitur jure poli, jam patet re- „ sponsio: quia Ecclesia tale impedimentum sua constitu- „ tione & approbatione fecit esse validum; alioquin non „ posset impedire".

Quæst. 3. Quomodo mens, & sententia D. Thomæ, quam modo retulimus, quæ videtur asserere, Leges civiles non posse statuere impedimentum Sacramenti Matrimonii, convenire potest cum illis, quæ idem Doctor superius asseruit, dum ait (*in* 4. *dist.* 34. *tit.* 1. *ad* 4.): „ Personæ illegitimæ ad Matrimonium contrahendum, „ dicuntur ex eo, quod sunt contra Legem, qua Matri- „ monium constituitur. Matrimonium autem in quan- „ tum est in officium naturæ, statuitur Lege naturæ: in „ quantum est Sacramentum, statuitur jure divino; in „ quantum est in officium communitatis, statuitur Lege „ civili, & ideo ex qualibet dictarum legum potest aliqua „ persona effici ad Matrimonium illegitima".

Resp. Ex his D. Thomæ verbis concludi minime potest, Legem civilem reddere posse cujuslibet generis personas ad contrahendum Matrimonium inhabiles, sed solum quaslibet Leges efficere posse personas aliquas ad contrahendum inhabiles: hoc est, Legem naturæ, quæ omnibus hominibus communis est, statuere posse impedimenta Matrimonii, quæ ad omnes pertineant: Leges ci-

viles, quæ considerant Matrimonium in quantum est officium naturæ, & in commune bonum ordinatum, posse solum impedimentum statuere in Matrimoniis infidelium, quæ non sunt vera Sacramenta, sed simplices contractus naturales, & civiles propter bonum commune Reipublicæ stabiliti; verum cum Deus Matrimonia fidelium ad Sacramenti dignitatem evexerit, Leges civiles, ut ait D. Thomas, non possunt ei impedimenta constituere, nisi Ecclesiæ consensus accesserit, & Leges civiles Ecclesiæ authoritate firmentur.

Qu. 4. Quomodo se gerere debet Parochus cum filiis familias, qui volunt contrahere absque consensu Parentum?

Resp. Nihil omittere debet, ut eos ad saniora revocet consilia, illis suggerens maximum ipsorum damnum, si per inobedientiam erga Parentes, in re tanti momenti, hoc Sacramentum susciperent in statu peccati mortalis, & sicut ponerent obicem gratiæ, quam confert digne suscipientibus: „ Sacramentum enim Matrimonii, *ut ait* „ *Concilium Coloniense* (1. *ann.* 1536. *Can.* 40.) si quis, „ sicut decet, acceperit, accedente Sacerdotali precatione, confert donum Spiritus, quo vir diligat uxorem a„ more casto, sicut Christus dilexit Ecclesiam; mulier „ vicissim propter Christum amet revereaturque virum „ suum uti dominum; uterque liberos, si dentur, summa „ cura instituant ad Christianam pietatem ". Quæ quidem gratia adeo necessaria est iis, qui Matrimonium inire volunt, tum ad temporalem, tum ad æternam quietem procurandam, ut propterea Ecclesia, tanquam parens optima: *Ex justissimis causis illa semper detestata est atque prohibuit* (*Conc. Trid. sess.*24. *De ref. Matr. c.*1.): Quæ scilicet sine consensu parentum fiunt.

Si vero, inquit Concilium Mediolanense (6. *tit. quæ ad Matr.Sacr. pertinent*), *filiifamilias sint, hos Parochus valde cohortetur, ut parentibus, in quorum potestate sunt, eum honorem tribuant, ut illis ne insciis quidem, nedum invitis, rem tanti momenti ineant.* Sin autem non obstantibus his admonitionibus, Matrimonium inire velint sine consensu parentum, eos Parochus remittere deberet ad Episcopum, qui judicabit, an ita validæ sint, ac sufficientes eorum rationes, ut recte sine tali consensu contrahere possint; & utrum justis de causis parentes tale Matrimonium impedire velint.

Unde in celebri Synodo Auximana Cardinalis Antonii Mariæ Galli (*de Matr. c.* 19. *ann.* 1597.) sic decernitur; „ Quamvis pro validitate Matrimonii, consensus paren„ tum non requiratur; cum tamen ex hujusmodi Matri„ moniis, quæ invitis parentibus fiunt, multa scandala „ exoriri soleant; mandamus, ut nullus Parochus eos „ quos sciverit invitis parentibus Matrimonium velle „ contrahere, Matrimonio conjungat; sed ea de re nos „ reddat certiores, ut quid sit agendum, mature possi„ mus deliberare ".

Et illustris Cardinalis Gabriel Paleottus, Archiepiscopus olim Bononiensis, sic statuit (*nel Compendio delli Ordini sopra il Matr. p. 82.*): *Occorrendo, che qualche figliuolo di famiglia voglia congiungersi in Matrimonio contradicendo, ed opponendosi il padre; non sarà ammesso dal Curato senza participazione dell' Arcivescovo.*

Praeterea in Synodo Vestana (*ann.* 1699. *cap.* 14.) expresse decernitur: „ Quoniam filiorum inobservantia „ erga parentes huc usque pervenit, ut facile sibi persua„ deant, licite posse, absque respectu ad illorum volun„ tatem, ad quaecumque matrimonia convolare, quae sibi „ sint placita, contra reverentiam filialem Parentibus de„ bitam & in lege praeceptam; & unde dissensiones, & „ scandala inter familias in dies exoriri solent: Ideo vo„ lentes malo occurrere, praecipimus nostrae Episcopali „ Curiae, quatenus in posterum per illam non recipiantur „ instantiae de celebratione futuri matrimonii, quin prius „ extrajudicialiter constet de consensu parentum. Quod „ si dissentiant, cognoscatur causa dissensus, & ad nos „ referatur, qui pensatis causae momentis in jure, man„ dabimus opportune promovendum vel impediendum „ matrimonium, ut juris erit, & in Domino judicabi„ mus. Et hoc jubemus singulis nostrae curiae, sub poena „ suspensionis ab officio, & aliis, nostro arbitrio".

Cardinalis Franciscus Maria Taurusius, in Synodo Senensi (*ann.* 1599. *de Matr. c.* 4.) statuit, ut Parochi futuros contrahentes ea de re expresse interrogent: „ Quae„ rendum ex eis erit, *inquit*, utrum consciis & permit„ tentibus, an insciis & invitis parentibus, jungi Ma„ trimonio velint? ac si contra eorum voluntatem id „ fieri appareat, interrogentur de causa, eaque cognita, „ paterne & graviter moneantur, ne parentum, in quo„ rum potestate sunt, ita aut negligere aut parvifacere „ authoritatem velint, ut eos de re tanta sibi esse celan„ dos putent: nisi forte constet, sponsalia de futuro in„ ter eos vere esse contracta, maligneque futurum Ma„ trimonium a parentibus impediri; ante cujus celebra„ tionem Episcopus, vel ejus Vicarius generalis, certior „ erit de tota re faciendus".

Cardinalis Carolus Rossettus in Synodo Faventina (*an.* 1647. *tit.* 10. *c.* 10. *n.* 6.) decernit, „ ut Parochi non so„ lum sponsorum consensus, sed etiam eorum parentum, „ si filii familias fuerint, diligenter inquirant; quod si „ difficultates comperient, Nobis inconsultis, ad denun„ ciationes non progrediantur".

Demum Franciscus Card. Barberinus Sacri Collegii tunc Decanus, & Episcopus Ostiensis & Veliternus, sic statuit in praeclara Synodo (*Synod. Veliterna an.* 1675. *cap.* 17.) „ Cum rationi & honestati apprime consonum „ sit, etiamsi ad Sacramenti validitatem minime neces„ sarium, quod filii familias in re tanti ponderis, & mo-

„ momenti, parentum, vel eorum, quorum fidei & po-
„ testati subjecti sunt, voluntatem & consilia sequantur;
„ Parochi, antequam matrimonio illorum assistant, de
„ consensu requirant, & si quid difficultatis occurrerit,
„ Nos consulant, ut quid in ea re congruum visum fue-
„ rit, decernamus “.

Quæst. 5. Quanam ætate contrahi potest Matrimonium?

Resp. Secundum jus naturale, qui nondum attigerunt usum rationis necessariæ ad consensum, vel qui nondum valent consummare Matrimonium, valide contrahere non possunt: at determinatio expressa ætatis requisitæ, est tantum de jure positivo, quo interdicitur masculis, ne ineant Matrimonium ante decimum quartum ætatis annum completum, & fœminis ante duodecimum pariter completum: quia ut ait Divus Thomas (*in* 4. *dist.* 36. *art.* 8. *in corp.*) „ Matrimonium cum fiat per modum
„ contractus cujusdam, ordinationi Legis positivæ subja-
„ cet: unde secundum jura determinatum est, quod ante
„ illud tempus discretionis, quo uterque possit de Matri-
„ monio sufficienter deliberare, & debitum sibi invicem
„ reddere, Matrimonia non contrahantur, & aliter facta
„ dirimantur; hoc autem tempus ut in pluribus est in ma-
„ sculis in 14. anno, & in fœmina in 12. Quia tamen præ-
„ cepta Juris positivi sequuntur id quod est in pluribus,
„ si aliquis ad perfectionem debitam ante tempus prædi-
„ ctum perveniat, ita quod vigor naturæ & rationis, de-
„ fectum ætatis suppleat, Matrimonium non dissolvitur:
„ & ideo si contrahentes ante annos pubertatis, carnali-
„ ter ante tempus prædictum fuerint copulati, nihilomi-
„ nus Matrimonium stat indissolubile “. Non tamen licet ante præfatum tempus Matrimonium inire sine dispensatione Ecclesiæ, quæ talia Matrimonia prohibuit ante tempora a Canonibus & Legibus definita, propter gravem difficultatem sciendi, si perfectionem corporis & animi ad Matrimonium ineundum necessariam habeant, ante hanc ætatem; & quia talis inquisitio pudoris legibus est quodammodo contraria; ideoque legimus in Canone (*Cap. Ubi de dispensatione impub.*): *Districtius inhibemus, ne aliqui, quorum uterque, vel alter ad ætatem Legibus vel Canonibus determinatam non pervenerit, conjungantur, nisi forte aliqua urgentissima necessitate interveniente, utpote pro bono pacis, talis conjunctio toleretur.*

Quæst. 6. Episcopi possunt ne eos dispensare, qui volunt ante determinatam ætatem Matrimonium contrahere?

Resp. Cum Ecclesia nunquam dispenset in Matrimoniis ante determinatam ætatem a Sacris Canonibus, nisi malitia suppleat ætatem, ut jam explicavimus, sequitur quod Episcopus, cum debeat id cognoscere, & examinare, utrum dispositio corporis & animi sufficiat ad contrahendum Matrimonium, potest hanc dispensationem concedere. Etenim summus Pontifex numquam sibi reservavit facultatem dispensandi in ætate, & legibus apud

Fagnanum Prælatum Romanum (*in l. 4. Decretal. cap. de aliis, de despons. impuber. n. 46.*), quod „ Gregorius „ decimus tertius cuidam petenti dispensationem ad Ma- „ trimonium impuberis, dicitur respondisse; Sedem A- „ postolicam ob hoc non esse interpellandam; cum si „ desit discretio, vel potentia consummandi Matrimo- „ nium, Sedes Apostolica nihil possit: quod si neutrum „ deesse cognoverit Ordinarius, poterit, si causæ, quæ „ narrantur sunt veræ, suo jure dictam licentiam conce- „ dere ".

CAPUT IX.

De Divortio.

Quæst. 1. Quid est Divortium?

Resp. Divortium nihil aliud est, quam conjugum, seu personarum, quæ Matrimonium inierunt, separatio.

Quæst. 2. Quotuplex est divortium?

Resp. Duplex: aliud enim solvit omnino vinculum Matrimonii, aliud vero est mera separatio quoad thorum, aut quoad habitationem inter conjuges.

Quæst. 3. Quomodo accidere potest divortium, quod solvit vinculum Matrimonii?

Resp. Diximus supra cap. 3. hujus Tractatus, vinculum Matrimonii posse dissolvi, si vir aut mulier solemnem emittat professionem in Religione comprobata, ante Matrimonium consummatum; & in hoc casu remanentem in sæculo, posse aliud inire Matrimonium; ut enim ait Alexander Papa III. relatus in Canone (*in Conc. Later. refert. in Can. Verum de conversion. conjugat.*): „ Verum post consensum legitimum de præsenti, licitum „ est alteri, altero etiam repugnante, Monasterium eli- „ gere, sicut quidam Sancti de nuptiis vocati fuerunt: „ dummodo inter eos carnis commixtio non intervene- „ rit: & alteri remanenti, si commonitus servari nolue- „ rit continentiam, licitum esse videtur, ut ad secunda „ vota transire possit; quia cum non fuissent una caro ef- „ fecti, potest unus ad Dominum transire, & alter in sæ- „ culo remanere ". Quare ut ait Concilium Tridentinum (*Sess.* 14. *Can.* 4.): „ Si quis dixerit, Matrimonium ra- „ tum, non consummatum, per solemnem Religionis pro- „ fessionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit ".

Secundo, solvitur Matrimonii vinculum vel potius declaratur nullum, propter impotentiam perpetuam, Matrimonio numquam consummato, ut diximus c. 6. *De impedimentis*. Denique Matrimonium etiam consummatum solvi potest per divortium mulieris post relictum gentilitatis errorem, dum ad fidem Christianam convertitur, quando vir ejus non vult amplius illi cohabitare, aut cessare non vult a blasphemando Dei nomine, aut uxorem suam ad peccandum impellere satagit.

Quæst.

Quæst. 4. Hæc secunda species divortii, quod non solvit Matrimonium, potest-ne ulterius dividi?

Resp. Dividi potest in duo divortiorum genera; alterum est conjugum separatio tantum quoad thorum; alterum quoad thorum, & quoad habitationem: præterea hæc etiam divortia dividi possunt in perpetua, & ad certum tempus. De quibus omnibus breviter modo consueto differemus.

Quæst. 5. Conjuges possunt-ne perpetuo separari quoad thorum ex communi consensu?

Resp. Hoc utique illis licitum est, cum Christus Dominus centuplum promiserit, & vitam æternam iis, qui propter ejus amorem conjuges suas dimiserint; & plures Sancti perpetuo vixerint continentes in Matrimonio, ut S. Henricus Imperator cum S. Cunegunda, S. Elzearius cum S. Delphina, aliique Sancti.

Quæst. 6. Quot modis conjuges possunt separari quoad thorum, aut quoad cohabitationem?

Resp. Quinque modis. Primo possunt perpetuo separari, si ex communi consensu ambo ingrediantur Religionem; ut patet ex Nicolao Papa primo relato in Canone, dum ait (*Can. Scripsit*, 37. *q*. 3.); „ Nam licet „ sit scriptum: Quos Deus conjunxit, homo non sepa„ ret; Deus tamen, & non homo separat, quando di„ vini amoris intuitu, ex consensu utriusque conjugis, „ Matrimonia dissolventur. Aliter fieri separationem „ prohibemus". Hinc Innocentius Papa tertius relatus in Canone, ait (*Cap. Veniens*, *de Regul.*): „ Si vero „ vir, sæculo derelicto, maluerit ad regularem vitam „ migrare, vos ei super hoc licentiam tribuatis, ut & „ illa possit in suo proposito remanere".

Secundus separationis modus perpetuus est, si maritus, consentiente uxore, Religionem ingrediatur, & illa, propter ætatem suam, suspicione vacet incontinentiæ, votumque edat perpetuæ castitatis servandæ, manendo in sæculo. Unde Alexander Papa III. relatus in Canone (*refertur in can. Uxoratus*, *de convers. conjugat.*), dicit: „ Uxoratus sine licentia uxoris inter vos nullatenus „ recipiatur: quæ si integræ opinionis existat, ita quod „ nulla marito suspicio habeatur, eam ad secunda vota „ velle migrare, vel quod minus continenter debeat vi„ vere: quæ si talis extiterit, marito ejus in consortio „ vestro recepto, ipsa publice in conspectu Ecclesiæ con„ tinentiam professa, in domo propria cum filiis sui & „ familia poterit permanere. Si autem talis fuerit, quæ „ suspicione non careat, voto continentiæ celebrato, a „ sæcularium hominum se conversatione removeat; & „ in loco religioso, ubi Deo serviat, perpetuo commo„ retur".

Idem etiam summus Pontifex relatus in alio Canone, ait (*Can. Cum sis*, *ibid.*): „ Verum si ita uxor senex „ est & sterilis, quod sine suspicione esse possit in sæcu„ lo, dissimulare poteris, ut ea in sæculo remanente, &

„ castitatem promittente, ad Religionem transeat vir e-
„ jusdem. Quod autem dicitur de viro, intelligi etiam
„ debet de uxore.

Possunt etiam conjuges perpetuo separari, si vir suscipiat Ordines Sacros consentiente uxore, dummodo hæc votum emittat perpetuæ castitatis, sive in sæculo, sive in Monasterio; ut videre est in Canone, his verbis (*Cap. Conjugatus, de Conversione conjugatorum*); *Nullus conjugatorum est ad sacros Ordines promovendus, nisi ab uxore continentiam profitente fuerit absolutus.*

Quarto, possunt conjuges, ex communi consensu, perpetuo separari, si ambo emittant votum castitatis perpetuæ: unde legimus in Canone, expresso ex quadam Epistola Divi Augustini (*Can. Quod Deo*, 33. *q.* 5.): *Quod Deo pari consensu ambo voveratis, perseveranter usque in finem reddere ambo debuistis. Et Sanctus Gregorius Papa, relatus in Canone, ait:* (*Can. Sunt qui dicunt* 27. *q.* 2.) „ Si vero utrisque conveniat continentem vi-
„ tam ducere, hoc quis audeat accusare? quando certum
„ est, quod omnipotens Deus, qui minora concessit,
„ majora non prohibuit ... Proinde cum boni conjuges
„ aut meritum augere desiderant, aut anteactæ vitæ cul-
„ pas deflere, ut se ad continentiam adstringant, &
„ meliorem vitam appetant, licet".

Denique possunt conjuges perpetuo separari quoad thorum ex communi consensu, absque ullo voto, sibi mutuo pollicendo cum juramento, aut sine juramento se nunquam debitum conjugale petituros: *Cum quilibet ad renunciandum juri suo liberam habeat facultatem*, ut dicitur in Canone (*Cap. Ex conscientia, de crimine falsi*).

Quæst. 7. Vir potest-ne separari ab uxore quoad thorum, vel cohabitationem, absque ejus consensu; & vice versa?

Resp. Plures sunt causæ, ob quas divortium permittit Ecclesia; unde Concilium Tridentinum (*sess.* 24. *Can.* 8.) ait: *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges quoad thorum, seu quoad habitationem, ad certum incertumve tempus, fieri posse decernit, anathema sit.* Præcipua vero causa divortii est alterius conjugum fornicatio, ut dicitur Matth. c. 5. *Omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari.*

Quæst. 8. Potest-ne vir dimittere uxorem propter quamcumque fornicationem ab illa admissam?

Resp. Cum comprehendantur nomine fornicationis, adulterium, incestus, sodomia, & bestialitas, sequitur, quodlibet horum criminum suppeditare viro causam sufficientem, ut separetur ab uxore; ut ait sanctus Hieronymus relatus in Canone (*Dixit Dominus*, 32. *q.* 1. *ex S. Hieron. Can. Idololatra*, 28. *q.* 1.): „ Cum uxor,
„ *ait*, unam carnem in aliam diviserit, & se fornicatio-
„ ne separaverit a marito, non debet teneri. *Et legi-*
„ *mus*

„ *mus in alio Canone, qui Divo Augustino attribuitur:*
„ Ex quo intelligitur, quod propter illicitas concupiscen-
„ tias, non tantum quæ in supremis cum alienis viris,
„ aut fœminis committuntur, sed omnino quaslibet,
„ quæ animam corpore male utentem, a Lege Dei ab-
„ errare faciunt, & perniciose turpiterque corrumpunt,
„ possit sine crimine & vir uxorem dimittere, & uxor
„ virum: quia exceptam facit Dominus causam fornica-
„ tionis, quam fornicationem generalem & universalem
„ intelligere cogimur", quæ varias proinde species com-
plectitur. Ex his Divi Aug. verbis constat, non solum crimina superius relata, sub fornicationis nomine comprehendi, verum etiam peccatum mollitiei, seu pollutiones voluntarias, quæ proinde justam divortii præbent occasionem, cum legamus in alio Canone (*Meretrices*, 32. *q.* 4.): *Profecto & nomine Mœchiæ omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus usus, prohibitus debet intelligi*. Idem sentire videntur Divus Thomas (*in* 4. *dist.* 53. *art.* 1. *ad* 4.), & Divus Bonaventura (*in* 4. *dist.* 35. *q.* 1. *n.* 12.): „ Dicendum,
„ *inquit Divus Thomas*, quod etiam propter vitium con-
„ tra naturam, potest procedi ad divortium". Et Divus Bonaventura ait: „ Ad illud quod quæritur, quare
„ fornicatio separet? Dicendum, quod est culpa non tan-
„ tum contra Deum, & contra corpus suum, sed etiam
„ contra Matrimonii bonum, & contra conjugii actum,
„ & contra corpus conjugis: est enim contra fidem, &
„ contra actum Matrimonialem: abutitur enim corpore,
„ quod non est suum, sed alterius, & ideo talis amittit
„ jus petendi debitum. Et quia hoc totum est in pecca-
„ to contra naturam, ideo sub fornicatione comprehen-
„ ditur". *Quin etiam Tostatus Episcopus Abulensis ait* (*in cap.* 19. *Matt. q.* 66. *sub finem*): „ Pro fornicatione
„ autem, qualiscumque sit, potest peti divortium. Un-
„ de si vir sit sodomita, si ad pecora coeat, se ipsum
„ polluat, poterit uxor petere divortium. *Et quæst.* 70.
„ *in fin. ait*: Dicendum, quod pro vitio contra natu-
„ ram, quodcumque sit, potest fieri divortium, ut col-
„ ligitur ex dictis Hieronymi ad Damasum, & Can. O-
„ mnes causationes, 32. q. 7. Et Glossa ibi illud expresse
„ tenet; nam erit contra naturam, si coeat ad pecora,
„ vel ad virum, vel seipsum polluat, vel fœminam in
„ vase indebito, vel extra debitum polluat: & dicendum,
„ quod non est causa addita ad eam quam Christus ex-
„ pressit, sed vere comprehenditur sub nomine fornica-
„ tionis; quia fornicatio est omnis indebitus coitus, &
„ omnis illicitus usus membrorum generativorum, ut di-
„ cit Aug. in l. de q. Deut. Et ideo pro omnibus modis
„ illius vitii datur divortium, quia est quilibet illorum
„ modorum fornicatio". Idem habet Abbas Panormitanus, in cap. *Maritis*, De Adult. & stupro n. 3.

Denique Divus Thomas ait (2. 2. *q.* 154. *art.* 15. *in corp.*):

corp.) : „ Vitium contra natura pluribus modis potest „ contingere ; uno quidem modo, si absque omni concubitu, causa delectationis venereæ, pollutio procuretur ; quod pertinet ad peccatum immunditiæ, quam „ quidam mollitiem vocant. Alio modo si fiat per concubitum ad rem non ejusdem speciei ; quod vocatur „ bestialitas. Tertio, si fiat per coucubitum ad non debitum sexum : puta masculi ad masculum, vel fœminæ ad fœminam, ut Apostolus dicit ad Rom. 1. quod „ dicitur sodomiticum vitium “.

Quæst. 9. Fornicatio alterius conjugum solvit-ne vinculum Matrimonii ?

Resp. Licet possit vir separari ab uxore, quæ fornicationem admisit, vinculum tamen Matrimonii manet semper indissolubile ; ut enim ait sanctus Augustinus, relatus in Canone (*lib. de Adult. conjug. c. 4. ref. in Can. licite* 32. *q.* 7.) : „ Licite dimittitur conjux ob „ causam fornicationis : sed manet vinculum prioris : „ propter quod fit reus adulterii, qui dimissam duxerit, „ etiam ob causam fornicationis “. Idem habet sanctus Gregorius Papa, relatus etiam in Canone, his verbis (*in Can. His vero*, 32. *q.* 7.) : „ His vero qui uxores suas „ in adulterio deprehendunt, non licebit nec eam, nec „ eum, aliam uxorem accipere, vel alium virum, donec ambo vivunt “. Denique Concilium Tridentinum (*Sess.* 24. *Can.* 7.) ait : „ Si quis dixerit, Ecclesiam errare cum docuit, & docet, juxta Evangelicam & Apostolicam Doctrinam, propter adulterium alterius „ conjugum Matrimonii vinculum non posse dissolvi : „ & utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, „ aliud matrimonium contrahere, mœcharique eum, „ qui, dimissa adultera, aliam duxerit, & eam, quæ, „ dimisso adultero, aliis nupserit, anathema sit “.

Quæst. 10. Potest ne etiam uxor per divortium recedere a viro, qui admisit adulterium, aut quamlibet fornicationis speciem ?

Resp. Licet hæc facultas, quantum ad uxorem, expresse in nullo habeatur textu veteris, vel novi Testamenti, & ita possit esse aliqua dubitandi ratio, an uxor tam se possit a viro separare, quam vir ab ea, si rea foret, nihilominus, ut ait sanctus Hieronymus, relatus in Canone (*Can. Præcipit*, 32. *q.* 5. *ex S. Hieron.*), id illi licet : sic enim habet : „ Præcipit Dominus, uxorem „ non debere dimitti, excepta causa fornicationis : & si „ dimissa fuerit, manere innuptam ; quidquid viris jubetur, hoc consequenter redundat in fœminas ; neque enim adultera uxor dimittenda est, & vir mœchus retinendus “. Idem docet sanctus Augustinus, relatus in Canone (*Can. Nihil* 32. *q.* 6. *ex S. Aug.*) : ubi enim docet, viros propter fornicationem ab uxoribus separari posse, ait : *Quod similiter etiam de fæmina dixerim*. Quo-

circa certum est, tum uxores separari posse a viris adulteris, ut habetur in Canone (*Can. Christiana*, 52. q. 3.), his verbis: *Christiana Religio adulterium in utroque sexu pari ratione condemnat .... vir utique submovebitur, si ejus flagitium detegatur.*

Quæst. 11. Licet-ne semper viro dimittere uxorem propter fornicationem, & e converso?

Resp. Licet regulariter id eis concedatur, sunt tamen plures casus, quibus hæc separatio non est licita propter fornicationem: & nos affirmare possumus, quod quando fornicatio non fuit voluntaria, aut vir idem crimen admisit, alter ab altera jus recedendi nullum habet. Verum cum varii casus sub his duobus præcipuis contineantur, de his sigillatim dicemus in sequentibus quæstionibus.

Quæst. 12. Fornicatio quam uxor invita perpessa est per vim, cui non potuit resistere, potest-ne sufficientem præbere causam, ut eam maritus repudiet, aut se ab ea separet?

Resp. Certum est, in hoc casu divortium non esse licitum marito, quia injustum foret, uxorem punire propter rem, quæ sua culpa non contigit; tum quia adulterium ita commissum, proprie loquendo non est adulterium; quia, ut ait sanctus Hieronymus relatus in Canone, (*Can. de pudicitia* 32. q. 5.) *Non potest fieri, ut nisi quis mœchetur prius in corde, mœchari possit in corpore.* Unde sanctus Augustinus relatus in Canone, loquens de fœmina, cui vis illata fuerat, ait: *Mirabile dictu, duo fuerunt, & adulterium unus admisit.* Quoniam, ut habetur in Canone, (*Can. Proposito*, 32. q. 5) *De pudicitia*, mox citato: *Corpus mulieris non vis maculat, sed voluntas: Unde a violento stupratore pudicitia eripi non potest.*

Quæst. 13. Fornicatio commissa non per vim inevitabilem, sed per timorem cadentem in virum constantem, verbi gratia, mortis, potest-ne esse justa causa divortii?

Resp. Cum talis fornicatio culpabilis sit, quia propter nullum omnino timorem adulterio est consentiendum, & corporis potius quam animæ vita perdenda est, consequens est, fornicationem per talem timorem commissam, justam divortii causam præbere. Ita sentit Divus Bonaventura qui loquens de violentia, quæ facit, ut fornicatio non sit peccatum, & impedit quominus sit causa divortii, ait (*in 4. dist.* 35. *in expositione litteræ.*), *Hoc autem intelligendum est de vi absoluta, non de metu.* Quia in talibus casibus, secundum Evangelium, dicere debemus (*Matt. c.* 20. *v.* 25.): *Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam.* Quoniam conjuges vitæ etiam periculo conjugalem tenentur servare continentiam, ideoque nullus timor ab adulterii crimine eos excusare potest omnino.

Quæst. 14. Si vir fornicetur cum alia persona, credens,

dens, eam esse suam uxorem; aut si illud mulieri contigerit, putans se rem habere cum marito suo; hæ fornicationes, ut ita dicam, materiales, dant-ne justam divortii causam?

Resp. Certum est ex diversis Canonibus fornicationes tantum materiales, scilicet eas, quibus voluntas minime consensit, & quæ vacant omni crimine, proprie fornicationes non esse; proindeque non præbent legitimam separationis causam, ut dicitur in Canone, his verbis (*Can. Si virgo* 34. *q.* 1.): *Si virgo nesciens viro nupserit alieno, hoc si semper nesciat, numquam ex hoc erit adultera.* Et in sequenti Canone ex Concilio Triburiensi res est expresse definita, cum ita legatur (*Can. In lectum* 10.): „ In lectum mariti absente uxore soror init „ uxoris: quam ille putans uxorem suam esse, dormi„ vit cum ea. Super hoc visum est, si ipse per securi„ tatem veram hoc probaverit, quod inscius fecerit hoc „ scelus .... & legitimum suum conjugium habere per„ mittatur": quia in hoc nullum crimen commisit. Et Glossa ibidem in verbo, *Per securitatem*, ait, *Per jusjurandum*, id scilicet probandum; testes enim haberi non possunt de hujusmodi.

Quæst. 15. Si vir audita uxoris morte a viris fide dignis, aut uxor audita similiter viri morte, Matrimonium contraxerit, & consummaverit, potest-ne tunc esse legitima divortii causa cum priori conjuge?

Resp. Cum in tali casu nulla sit culpa, & ignorantia facti uxorem liberet ab adulterii peccato, concludere debemus, verum maritum non posse divortium inire propter hoc cum legitima uxore, sed illam resumere debet, secundum illum maritum, qui vere maritus non est, removendo, ut ait sanctus Leo Papa, relatus in Canone, his verbis (*Can. Cum per bellicam*, 34. *q.* 1.): *Nec tamen culpabilis judicetur, & tanquam alieni juris pervasor habeatur, qui personam ejus mariti, qui jam non esse existimabatur, assumpsit.* Quod æque de uxore debet intelligi, si in eadem fuerit ignorantia. Ut ait ibidem summus Pontifex: *Omittendum est, & inculpabile judicandum, quod necessitas intulit, & restituendum, quod fides poscit.* Unde fœminæ, quibus id contigit, reddi debent, ac redire ad primos & legitimos viros, qui secundum illud Matrimonium, quod propter ignorantiam inculpabile est, ignoscere & oblivisci debent.

Quæst. 16. Quando uxor a proprio viro prostituta est, potest-ne tunc ab illa separari, & divortii causam propterea prætendere?

Resp. Injustum foret, ut maritus divortium posset inire cum uxore propter crimen, cujus ipse conscius ac reus æque est, ac uxor; quocirca licet in tali casu uxor rea sit adulterii, si violentia abfuerit, cum de facto violaverit legem Matrimonii, & Innocentius XI. Summus

mus Pontifex sequentem propositionem damnaverit (50. *Propositio damnata ab Inn. XI. die 2. Martii* 1679.).

Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium: adeoque sufficit in Confessione dicere se esse fornicatum.

Nihilominus tamen, cum hoc crimen marito commune sit, qui eam impulit ad peccandum, jus non habet propter hoc celebrandi divortium, ita docent Sanctus Thomas, & S. Bonaventura; *Excipiuntur casus*, ait Divus Thomas (*in suppl. q. 62. art. 1. in corp.*), *in quibus non licet viro uxorem dimittere fornicantem: secundus est, si ipse uxorem prostituerit. Vel etiam*, ait Divus Bonaventura (*in 4. dist. 35. q. 1.*), *quia alter fornicatur altero consentiente, & prostituente: & tunc est particeps*. Uterque vero Doctor hac in parte sequitur Innocentium III. relatum in Canone, qui ait (*Cap. Discretionem de eo qui cognovit consang. uxoris suæ.*): *Vir priori cogatur redire ad ipsam, & maritali eam affectione tractare; cum adulterium ei non possit objicere, qui eam adulterandam tradidit, præsertim invitam*. Observandum tamen est, ex his ultimis verbis, *præsertim invitam*, colligere non licere, si mulier voluntarie consensisset adulterio, impulsa ad hoc a marito, maritum inde divortii causam captare posse, quoniam Pontifex asserens, divortium non habere locum, ubi maritus uxorem prostituit, debet intelligi in omni casu, sive volens consenserit uxor, sive nolens; quia in utroque casu maritus, conscius & reus criminis, nihil inde in præjudicium uxoris colligere debet; atque adeo hæc verba, *præsertim invitam*, non excludunt casum quo voluntarie consensisset; sed Pontifex ea adjecit, quia propositus ipsi fuit casus, in quo mulier passa est consentiente & cooperante marito: & significare voluit Pontifex, maritum non posse se ab uxore separare propter adulterium ab ea perpetratum, quando maritus eam prostituit; & longe minus, si tali adulterio ipsa non consenserit.

Quæst. 17. Potest-ne maritus sciens & potens uxoris adulteria impedire, & non impediens, propter illa divortium inire?

Resp. Asserere possumus, quod si maritus tacite dissimulare, & approbare quodammodo videtur uxoris adulteria, de quibus dubitare minime potest, tunc privat se jure suo, quo se ab ea separare posset; quoniam ita se gerendo, comprobare videtur uxoris crimina, cum ea non impediat, cum possit: asserente Joanne Papa octavo relato in Canone (*Can. Præterea*, 23. *q.* 2.), quod *Qui crimina, cum potest emendare non corrigit, ipse committit*. Et ut etiam dicitur in Canone (*Can. Sicut*, 32. *q.* 2.): *Patronus turpitudinis ejus est, qui crimen celat uxoris*: Quoniam maritus impedi-

pedire tenetur uxoris adulteria : & ubi ea scit, & impedire potest, nec tamen impedit, iis videtur consentire, seque divortii faciendi jure quod habet privat.

Nihilominus si maritus, cum per aliquod tempus dissimulaverit uxoris adulteria, tandem iis fortiter se opponat, & iis non obstantibus, uxor fornicari pergat: tunc maritus jus suum resumere potest, seque ab ea separare.

Quæst. 18. Reconciliatio conjugum, facta post fornicationem ab altero commissam, potest-ne impedire divortium?

Resp. Quoniam per hanc reconciliationem, conjux qui se separare poterat, cedere videtur juri suo, consequens est, eum non posse se separare propter fornicationes ante reconciliationem commissas. *Si*, ut ait Divus Thomas (*in suppl. q. 62. art. in corp.*), *reconciliaverit eam sibi post adulterium perpetratum, carnaliter eam cognoscens.* Quoniam, ut ait Gelasius Papa in Canone (*Can. Si illic. 23. q. 4.*): *Si constiterit, eum qui male tractatus est, ignovisse semel in oblatione remissa, punitio recidivo dolore non debet iterari, divinæ scilicet imitatione clementiæ; quæ dimissa peccata in ultionem redire non patitur.* Quod verbis expressis Glossa definisse videtur, dum ait (*Glossa in cap. Plerumque de donat. inter virum & uxorem verbo, Nec reconciliatio.*): *Si reconciliata fuerit, postea illam fornicationem objicere non poterit, quia ei remisit hoc quod ipsi licet secundum Evangelicam veritatem, cap. Quemadmodum, De jurejurando, & Can. Quod autem, & Can. Noverit, 32. q. 1. nisi postea fornicetur.* Et sanctus Antoninus ait (*3. p. t. 2. c. 1. §. 8.*): *Quia crimen per reconciliationem dimissum, amplius objici non debet, nisi sequatur recidivum.*

Quæst. 19. Si mulier relicto viro propter nimiam severitatem, aut quia Matrimonii debitum ei negabat, vel alia quacumque de causa, aut etiam si a marito e domo injuste fuerit expulsa, in fornicationem incidat, potest-ne maritus in tali casu cum ea facere divortium?

Resp. Hæ variæ circumstantiæ, conjugis crimen excusare non valent, nec impediunt quominus maritus, aut uxor, se separare possint propter fornicationem. Id expresse definitum fuit ab Alexandro Papa tertio relato in Canone, his verbis (*Cap. Significasti, de divortiis.*):
„ Significasti quod quidam uxore sua sine judicio Ecclesiæ dimissa, pro eo quod suggestum sibi fuerat, ipsam incestum cum quodam consanguineo suo commisisse, vinculo fuit propter hoc excommunicationis adstrictus, verum mulier non continuit, sed sobolem de alio viro suscepit; nec minus postulat viro restitui, afferens se ab ipso injuste dimissam, & eumdem sibi materiam adulterandi dedisse. Consultationi tuæ taliter respondemus, quod si notorium est, mulierem ipsam adulterium com-

„ misis-

„ misisse, ad eam recipiendam præfatus vir cogi non de-
„ bet, nisi constaret ipsum cum alia adulterium commi-
„ sisse “. Hinc patet, omnes circumstantias propositas impedire non posse jus divortii ab uxore quod habet vir ejus, propter fornicationem ab ea commissam.

Quæst. 20. Si infidelis uxorem suam dimittat, ac ea dimissa contrahat, & consummet secum Matrimonium, & postmodum ambo Religionem Christianam amplectantur; potest-ne primus maritus se ab uxore separare propter secundum Matrimonium infidelitatis tempore contractum?

Resp. Huic quæstioni clare satisfit in cap. *Gaudemus* (*de Divortiis*), ubi dicitur: „ Quamvis secundum E-
„ vangelicam veritatem, qui dimissam duxerit, mæ-
„ chatur; non tamen dimissor poterit objicere fornica-
„ tionem dimissæ, pro eo quod nupsit alii post repu-
„ dium: nisi alias fuerit fornicata “. Quia bona fides eam quodammodo excusat, & quia adulterium per errorem in secundo Matrimonio commissum non est voluntarium; unde concludere debemus, virum, aut mulierem, quæ secundum Matrimonium in infidelitate contraxit post repudium, non dedisse propterea justam divortii causam: verum observare debemus, quod si in tali casu mulier repudiata fuerit propter aliquam fornicationem, maritus non posset quidem se ab ea separare propter secundum Matrimonium, posset tamen propter præcedentem fornicationem.

Quæst. 21. Quando ambo conjuges alicujus adulterii rei sunt, potest-ne tunc alter ab altero recedere?

Resp. Videtur, non posse alterum ab altero discedere, quia ambo sunt æqualiter rei; unde S. Augustinus relatus in Canone, ait (*Cap. Nihil*, 12. *q.* 6. *ex S. Aug.*): „ Nihil iniquus, quam fornicationis causa di-
„ mittere uxorem, si & ipse convincitur fornicari. Oc-
„ currit enim illud: In quo enim alterum judicas, te-
„ metipsum condemnas: eadem enim agis, quæ judicas.
„ Quapropter quisquis fornicationis causa vult abjicere
„ uxorem, prior debet esse a fornicatione purgatus; quod
„ similiter etiam de fœmina dixerim “. Unde Innocentius Papa III. relatus in Canone, respondens Ambianensi Episcopo, ait (*Cap. Tua fraternitas de adulterinis conjugiis*.) „ Tua fraternitas requisivit, utrum aliquo
„ denegante uxori suæ in adulterio deprehensæ debitum
„ conjugale, si postmodum ipse cum alia perpetret adul-
„ terium manifeste, cogi debeat, ut eamdem maritali
„ affectione pertractet? Super quod tibi respondemus,
„ quod cum paria crimina compensatione mutua delean-
„ tur, vix hujusmodi fornicationis obtentu, suæ uxoris
„ nequit consortium declinare “.

Quæst. 22. Si alter conjugum committat tantum adulterium, altera vero incestum, aut aliquod peccatum contra naturam; poterit-ne posterior per compensationem devitare divortium ab altero intentatum?

Resp.

Resp. Quamvis hæ fornicationes sint valde diversæ, ac posteriores prioribus longe sint graviores, nihilominus tamen asserere debemus, quod etiam in casu proposito compensatio habet locum; quia quælibet harum fornicationum, qualiscumque tandem sit, justam divortii præbere potest causam: quoniam nulla committi potest fornicatio, illæsa fide conjugali, & sine partis injuria, per carnis divisionem ab ea, ejusque cum altera conjunctionem. Unde cum quilibet conjux in casu proposito jus habeat separationis, concludendum est, per compensationem necessariam, neutrum ab altero discedere posse, aut divortium postulare propter fornicationem.

Quæst. 23. Quando alter conjugum pluries in fornicationem incidit, alter vero tantum semel, datur-ne tunc compensationi locus?

Resp. Cum omnes Canones, qui de hac compensatione loquuntur, quæ divortium impedit, numquam exigant, ut numero pares sint conjugum fornicationes: & quoniam hæc compensatio Matrimonio favet, cum divortium impediat: dicendum est, eam locum habere, licet impar longe sit utriusque conjugis fornicationum numerus: quod quidem probari potest rationibus in superiori quæstione relatis.

Quæst. 24. Est ne licitum divortium inter conjuges, cum crimen unius est publicum, & coram judice probatum, & crimen alterius est occultum, nec exterius probari potest?

Resp. Ut huic quæstioni satisfiat, forum exterius ab interiori, & conscientiæ, distingui debet; & dicendum, quod in foro externo judices non admittunt compensationem, quæ impediat divortium, si uxor verbi gratia, probare nequeat crimen mariti, qui ejus crimen legitime probavit, quia Ecclesia non judicat de occultis: sed in foro conscientiæ, hæc criminum compensatio locum habere debet ad impediendum divortium, licet fornicatio alterius conjugum sit occulta. Quare S. Th. ait (*in* 4. *dist.* 35. *q. unic. art.* 6. *ad* 5.): „ Si adulterium viri sit occultum, per hoc non aufertur jus excipiendi „ contra accusationem viri, uxori adulteræ, quamvis desit sibi probatio; & ideo peccat vir divortium petens: „ & si post sententiam de divortio, uxor petat debitum, „ & reconciliationem, vir tenetur ad utrumque. *Idem* „ *docet Sanctus Bonaventura*, *dum ait* (*in* 4. *dist.* 35. „ *in expositione litteræ*, *n.* 1.): Quæritur utrum vir, „ qui fornicatur in occulto, possit dimittere uxorem, „ quæ fornicatur in aperto? Respondeo dicendum, quod „ talis fornicans non debeat eam dimittere, nec potest „ sine peccato in conspectu Dei, licet possit in conspectu Ecclesiæ, pro eo quod uxori non defuit jus excipiendi, quamvis desit probatio ".

Quæst. 25. Quando ambo conjuges in adulterio perseverarunt, & unus eorum postea pœnitentiam egit, vitam-

tamque commutavit, habet-ne tunc jus faciendi divortium, si pars altera fornicari pergat?

Resp. Huic quæstioni respondet D. Bonaventura, loco mox citato, dum ait (*ib.*): *Si tamen vir egisset pœnitentiam, & illa accusata nollet agere pœnitentiam; si perseveraverit in adulterio, creditur tunc, quod vir possit eam accusare, & dimittere per sententiam.* Quia per pœnitentiam, & vitæ commutationem, vir juri suo restitutus est; & sicut post reconciliationem factam inter conjuges, si eorum alter in fornicationem postea inciderit, alter jus habet divortii petendi, ut superius diximus secundum Divum Antoninum, & Glossam; ita in hoc casu, licet ante conversionem unius conjugis, compensatio locum haberet inter ambos scelerate viventes, hæc compensatio cessare debet, quoties pars aliam vitam commutavit, & alteri mutationem suam notam fecit, & ita jus separationis acquirit, si alter in crimine perseveret. Ita sentit Divus Antoninus, quit ait (3. p. tit. 1. c. 2. §. 6.): *Si tamen vir egisset pœnitentiam, & uxor nollet agere, sed perseveraret in adulterio, posset sine peccato accusare, & dimmittere*, 32. *quæst.* 1. *in quatuor Canonibus.*

Quæst. 26. Potest-ne fieri criminum compensatio post sententiam divortii, & ita impedire divortium?

Resp. Si post prolatam divortii sententiam, verbi gratia, ad instantiam uxoris causa fornicationis a viro admissæ, detegitur & probatur, hanc fœminam ejusdem criminis, ante sententiam latam ream fuisse; in hoc casu sine controversia revocanda est sententia, utpote nulla; quoniam quæ in matrimonio dantur sententiæ, nunquam habent vim rei judicatæ: unde Alexander Papa III. relatus in Canone, ait (*Cap. Lator. de sentent. & re judic.*): *Mandamus, quatenus si vobis constiterit, eos per judicem Ecclesiæ non fuisse legitime separatos, Ecclesiamque deceptam, ipsos faciatis sicut virum & uxorem insimul permanere.* Imo etiam si hæc mulier, quæ injuste petiit divortium, professa fuisset in Religione post sententiam Judicis Ecclesiastici, posset nihilominus maritus eam adigere ad cohabitandum cum eo, non obstante ejus professione, si postea nosset, sententiam divortii fuisse injustam; quare dicta professio habetur ut nulla, & emissa contra jus acquisitum marito per legitimum Matrimonium. Denique quoties detegitur, sententiam divortii fuisse injustam, ac proinde nullam, quacumque ex causa, restituendi sunt conjuges in pristinum jus cohabitationis, ac si nulla lata fuisset sententia divortii.

„ Quæritur, *inquit Sanctus Bonaventura* (*in* 4.
„ *dist.* 35. *in expositione litteræ n.* 5.), si sententia di-
„ vortii lata est per errorem, & post vir promotus est
„ ad Sacerdotium; si error Ecclesiæ & deceptio pateat,
„ utrum reddendus sit uxori, si ipsa non vult continere?
„ Et quod sic videatur, quia mulier habebat jus suum, &
„ fal-

„ salvo jure mulieris, non poterat continentiam vovere „ contra voluntatem uxoris. Respondemus dicendum, „ quod inducenda est ad continentiam: quod si manifesta „ deceptio in latione prioris sententiæ apparet, & ipsa „ non vult continere, debet vir suus ei reddi. Verum- „ tamen ille non poterit petere debitum, quia quantum „ in se fuit, continentiam vovit “. Idem sentit Divus Thomas, dum ait (*in 4. sent. dist. 35. qu. unic. art. 4. ad 3.*): „ Potest tamen uxor continentiam vovere vi- „ ro invito, nisi videatur, Ecclesiam deceptam fuisse per „ falsos testes sententiando de divortio: quia in tali ca- „ su, etiamsi votum professionis emisisset, restituere- „ tur viro, & teneretur debitum reddere, sed non lice- „ ret exigere “. Et S. Antoninus sic habet (*3. p. tit. 1. c. 12. §. 6.*): „ Si post divortii sententiam constiterit, „ Ecclesiam deceptam per falsos testes, & hujusmodi, „ debet sic spoliatus restitui, etiamsi alter jam fecisset „ professionem in aliqua Religione, vel cepisset Sacer- „ dotium, si hoc petat; & tenetur restitutus reddere de- „ bitum, sed exigere non potest “.

Quæst. 27. Si post justam divortii sententiam ob fornicationem ab altero conjugum admissam, alius, qui tunc erat innocens, postea committit fornicationem, exceptio, seu compensatio habet-ne locum, & iste tenetur-ne alteri reconciliari?

Resp. Hic casus videtur decisus in quadam Decr. Alexandri Papæ III. his verbis (*Cap. Ex litteris, de divortiis.*) „ Vir uxorem suam super crimine fornicatio- „ nis in jure convenit, quæ, nescitur, quo ducta spiri- „ tu, cœpit publice confiteri, quod cum vir negaret ei „ in necessariis providere, crimen impulsa est incurrere „ memoratum: sane tu convocato Capitulo tuo, cum ex „ eorumdem consilio utrique privatim continentiam in- „ junxeris observandam; ita quod caste viverent ab in- „ vicem segregati; memoratus vir furtim cum alia spon- „ salia & nuptias temere celebravit. Verum cum factum „ inquirere laborares, supradictus vir, seriem rei expli- „ cans, & exponens, ad audientiam nostram dicitur ap- „ pellasse. Unde fraternitati tuæ mandamus, quatenus, „ si res ita processit, prætaxatum virum ad legitimam „ uxorem redire compellas “. Unde dicendum, quoties innocens conjux ante sententiam divortii a se petitam, postmodum in fornicationem incidit, compensationem habere locum, & efficere, non obstante præcedenti sententia, ut ad reconciliationem redire cogatur; quoniam in prædicto casu non alia de causa Pontifex maritum illum ad uxorem redire coegit, nisi quia adulterium perpetravit, aliam uxorem clam ducendo post sententiam divortii: hinc Glossa ait (*Gloss. in c. Ex parte, de Sponsalib. verb. continere.*): *Si cum alia postea fornicaretur, compelleretur redire ad ipsam, non obstante sententia.*

Quæst. 28. Si ambo conjuges mutaverint statum post sen-

ſententiam divortii, profitendo in Religione, vel ſuſcipiendo Ordinem ſacrum; & poſtea detegitur, ſententiam eſſe nullam, & injuſtam, aut quia fornicatio objecta non eſt vera, vel quia petens divortium fornicationem admiſerat; vota horum conjugum ſunt-ne nulla, & unus poteſt-ne alterum adigere ad cohabitandum?

Reſp. Si verbi gratia, uxor probans ſuam innocentiam, vel maritum admiſiſſe adulterium ante ſententiam divortii, vult Religionem dimittere, & adigere virum ad Religionem pariter dimittendam, poteſt id facere, & ejus vir poteſt idem ſimiliter præſtare, ſi ſtatum tantum commutaverint, quia ſe liberos eſſe putabant, & amplius non poſſe cohabitare; quia error circa ſtatum cauſa fuit, ut vota emitterent, & in his ambobus caſibus vota nulla ſunt. Potuit etiam eſſe error ex utraque parte, ſi teſtes falſo depoſuerunt inſcio marito, uxorem perpetraſſe adulterium; tunc maritus votum emittit per errorem, quia credit, uxorem ſuam ream eſſe adulterii: uxor ſimiliter agit per errorem, credens poſt ſententiam divortii non amplius ſibi fore locum probandi ſuam innocentiam, & viro cohabitandi. Aliquando alter conjugum agit ex errore, alter ex malitia. Verbi gratia, ſi uxor rea fornicationis, probat virum admiſiſſe adulterium, & maritus non habet probationes adulterii uxoris, tunc maritus votum emittit per errorem, credens a ſe fieri non poſſe compenſationem, ſed mulier votum emittit per fraudem, & malitiam, cum ſciat, propter fornicationem a ſe admiſſam divortium impediri debere per compenſationem. In his igitur caſibus vota ſunt nulla. Primo enim conſiſtere non poſſunt, ſi ſint per fraudem emiſſa, quia hoc modo procedens non poterat votum emittere, cum non eſſet liber, ſed potius alteri parti reconciliari debuit, ut jam diximus. Secundo, vota ſunt nulla, cum emiſſa fuerint per errorem, ut patet ex Decretali Cœleſtini Papæ III. ubi dicitur (*Cap. Placet, de converſ. conjug.*): „ Verum mulier, quæ credens mortuum maritum, habitum Religionis aſſumpſit, & eo reverſo de „ Monaſterio ducta fuit, poſt obitum viri ſit ad regularem obſervantiam compellenda? Conſultius itaque dicimus, & ei congruentius ad ſalutem, ut ad Monaſterium redeat, ubi bona ducta intentione profeſſionem „ fecit, & habitum Religionis accepit. Si vero ad hoc „ induci non poterit, ipſam invitam credimus non cogendam". Quia ſcilicet per errorem vovit, ejuſque proinde vota fuere nulla.

Quæſt. 29. Poteſt ne fieri divortium propter fornicationem aliquam ſpiritualem: verbi gratia, ſi alter conjugum labatur in infidelitatem, vel hæreſim?

Reſp. Hæc ſpiritualis fornicatio non poteſt eſſe cauſa divortii, niſi in caſu, quo fidelis verſaretur in periculo ſubverſionis, ſi cohabitaret alteri, qui lapſus eſt in hæreſim, aut infidelitatem; ut patet ex Decretali Alexandri

dri

dri Papæ III. qui ait (*Cap. Quæsivit, de divortiis.*): „ Respondemus, quod mulier pro furto, vel alio crimine viri sui, nisi fidei suæ Religionem corrumpere velit, ab eo separari non debet. Verum si conjugem suam ad infidelitatis maleficium traxerit, a viro poterit separari, ita quod ei nubere alii non licebit; quia licet separentur, semper tamen conjuges erunt. In viris quoque præsentis sententiæ forma servetur ". Quod clarius quantum ad hæresim patet ex Urbano Papa III. dum ait (*Cap. De illa, de divortiis.*): „ De illa, quæ viro suo labente in hæresim, ipsius consortium sine judicio Ecclesiæ declinavit; videtur nobis, quod mulier (maxime si ea intentione discessit, ut lapsus in hæresim tædio pariter, & confusione affectus se ab errore suo converteret) cum reversus fuerit, est reddenda; quæ etiamsi reverti noluerit, compellatur; si vero judicio Ecclesiæ ab eo recessit, ad recipiendum eum nullatenus dicimus compellendam ".

Quæst. 30. Si ille conjugum, qui lapsus est in hæresim, aut infidelitatem, paratus est ad conversionem ante sententiam divortii, potest-ne alter ab eo separari?

Resp. Quod superius diximus, fornicationes scilicet spirituales, seu apostasias a vera Religione, non posse esse legitimas divortii causas, nisi cum inferunt periculum casus partis fidelis; satis ostendit, quod si conjux lapsus ante sententiam judicis velit converti, ac significet se paratum esse ad veram fidem de novo amplectendam, tunc pars altera non potest cum eo celebrare divortium, sed ipsi debet reconciliari: ita sentit D. Thomas, dum ait (*in 4. dist. 31. art. 11. ad 3.*); *Propter unum actum fornicationis carnalis, potest procedi ad divortium; non autem propter unum actum infidelitatis, sed propter consuetudinem, quæ pertinaciam ostendit, in qua infidelitas perficitur.* Idem sentit D. Bonaventura, dum ait (*in 4. dist. 3. in expositione litter. num. 5. dub. 3.*): *Tunc est in injuriam conjugis, quando conjux in illa perseverat; quia tunc est via ducendi ad corruptionem; & ideo propter illam potest fieri separatio, si conjux nolit pœnitere. Si autem vult pœnitere, & redire, non potest repudiare eam.*

Quæst. 31. Si alter conjugum lapsus est in hæresim, aut infidelitatem, alter vero in fornicationem carnalem, debet-ne fieri horum criminum compensatio, quæ impediat divortium?

Resp. Cum fornicationes carnales differant a spiritualibus, sintque crimina diversi generis, non potest esse locus compensationi, quia carnalis fornicatio directe violat fidem matrimonii; spiritualis autem fornicatio violat tantum fidem Deo debitam, non vero sponso, aut sponsæ: ac proinde quilibet conjugum posset petere divortium in criminibus adeo diversis, ita ut altera pars jus oppositionis, aut compensationis non haberet.

Quæst. 32. Licet-ne viro celebrare divortium ab uxore, aut uxori a viro, si illam inducit ad aliquod peccatum mortale?

Resp. Certum est, licitum esse divortium in hoc casu quemadmodum licet, cum alter conjugum lapsus est in hæresim, aut infidelitatem, & conatur alterum pervertere, & inducere in errorem; militat enim utrinque eadem ratio de periculo animæ. Unde Divus Thomas ait (*in 2. dist. 39. q. unic. art. 6. ad 3.*): „ Hoc intelligendum est, quando mulier præstat magnam occasionem „ ruinæ viro suo, ut vir probabiliter sibi de periculo timeat; tunc enim vir potest se subtrahere ab ejus conversatione “. Idem docet Divus Bonaventura (*in 4. dist. 39. in exposit. lit. n. 4. dub. 3.*): „ Nisi præstet magnam „ occasionem ruinæ, & vehementer timeatur de lapsu; „ tunc enim licet dimittere “. Et Sanctus Antoninus ait (*3. p. tit. 1. c. 21. §. 4.*): „ Nam & quando uxor præstet „ magnam occasionem ruinæ viro suo, tunc vir potest se „ subtrahere a conversatione sua “. Enimvero in tali periculo, voci Evangelicæ obediendum est, quæ præcipit, manum, aut pedem abscindere, aut etiam oculum eruere, si præbeant occasionem ruinæ; quæ verba Divus Hieronymus interpretatur de fratribus, filiis, & amicis, ac etiam de propria uxore, quæ non secus, ac cætera, deserenda est quoties proximam præbet peccandi occasionem; quoniam, ut ait idem Sanctus Doctor (*in c. 28. Matt.*); „ Melius est vitam solitariam ducere, quam ob „ vitæ præsentis necessaria, æternam vitam perdere “. Et Glossa ait (*Glossa in Can. Uxor. 28. q. 1. vers. Uxor.*): „ Fidelis fidelem bene potest dimittere, si compellatur „ ab eo ad mortale peccatum, nec forte resistere potest “.

Quæst. 33. Asperitas, ac severitas viri, ejusque crudelitas, aut stultitia, aut etiam uxoris, possunt-ne esse justa causa divortii?

Resp. Summi Pontifices, juxta jus naturale statuerunt in Jure Canonico, esse tunc justam divortii causam, ut patet ex Innocentio Papa III. relato in Canone, his verbis (*Cap. Litteras, de restitut. spoliat.*): „ Si „ vere tanta sit viri sævitia, ut mulieri trepidanti non „ possit sufficiens securitas provideri, non solum non de„ bet ei restitui, sed ab eo potius amoveri “. Et Alexander Papa III. relatus etiam in Canone ait (*Cap. Ex transmissa eod. tit.*): „ Si autem capitali odio ita mu„ lierem vir prosequitur, quod merito de ipso diffidat, „ alicui probæ & honestæ mulieri, usque ad causæ de„ cisionem custodienda, studiosius committatur in loco, „ ubi vir, vel parentes ejus, mulieri nullam possint „ violentiam inferre “. Ex his Decretalibus colligere licet, stultitiam unius conjugum posse præbere sufficientem divortii causam, quoniam grave inde periculum alteri sæpius immineret, si cohabitaret, & si in uno simul lecto jaceret.

Quæst.

Quæst. 34. Alter conjugum potest-ne separari ab alio propria authoritate, propter fornicationem admissam?

Resp. Ut huic quæstioni satisfaciamus, distinguenda duo divortiorum genera; alterum tantum quoad thorum, alterum quoad thorum, & quoad habitationem simul. Hoc supposito, cum alter conjugum certus est de commissa ab altero fornicatione, potest propria authoritate illi negare debitum conjugale, ab eoque quoad thorum separari. Vir *inquit Sanctus Thomas* (*in 4. dist. 35. q. un. art. 3. in corp.*), „ potest dimittere uxorem dupliciter; uno modo quantum ad thorum tantum, & sic potest eam dimittere, quam cito sibi constat de fornicatione uxoris, proprio arbitrio: nec tenetur reddere debitum exigenti, nisi per Ecclesiam compellatur". Idem affirmat Divus Bonaventura, dum ait (*in 4. dist. 35. q. 5. in corp. n. 9.*): „ Contingit, uxorem dimitti a viro dupliciter, vel quantum ad thorum, ut non commisceantur carnaliter: vel quantum ad thorum, & mutuam cohabitationem; si primo modo, sic dico, quod vir comperto, & cognito certitudinaliter, quod uxor fornicetur, vel e converso, potest debitum denegare, nec ad hoc tenetur, nisi per censuram Ecclesiasticam compellatur". Hos sequitur sanctus Antoninus, cum dicit (*3. p. tit. 1. c. 21. §. Sed nota*): „ Dimissio quoad thorum, videlicet denegando debitum, potest fieri propria authoritate, etiam sine judicio Ecclesiæ, quando innocenti constat certo de adulterio conjugis; tunc enim absque peccato potest ei denegari debitum; & hoc nisi compellatur authoritate Ecclesiæ".

Quæst. 35. Potest-ne conjux ab altero separari quantum ad habitationem propria authoritate, propter aliquam fornicationem?

Resp. Hæc separatio, quæ proprie est verum divortium, fieri non potest causa fornicationis, nisi per judicium Ecclesiæ. Et legimus in Can. quod Concilio IV. Carthaginensi attribuitur (*Can. Sæculares*, 32. *q.* 2.): „ Si antequam ad Episcopos comprovinciales dissidii causas dixerint, & priusquam in judicio damnentur, uxores suas abjecerint, a communione sanctæ Ecclesiæ, & populi cœtu, pro eo quod fidem, & conjugia maculant, excludantur". Et Alexander Papa III. relatus in Canone, ita præcipit (*Can. Multorum*, 35. *q.* 6.): „ Mandamus tibi, ut hanc, quam nunc habet uxorem, nullatenus præsumat dimittere, vel aliam ducere, donec Episcoporum Religiosorum Concilium causam istam examinaverit": Et in alio Canone dicitur (*Can. Porro, de divortiis.*): „ Prudentia tua cognoscat: quod si etiam parentela esset publica, & notoria, absque judicio Ecclesiæ ab ea separari non potuit, quare ipsum ad eam recipiendam, quæ petiit restitutionem ipsius, districte compellat".

Unde S. Thomas ait (*in 4. dist. 35. q. un. a. 5. in corp.*):

Alio

Alio modo quantum ad thorum, & cohabitationem, & hoc modo non potest dimitti, nisi judicio Ecclesiæ; & si alias dimissa fuerit, potest cogi ad cohabitandum. Quod tamen intelligi debet de divortio publico, & scandaloso; nam si alter conjugum magnam haberet fornicationis alterius partis certitudinem, posset ab ea recedere, non expectata judicis sententia, præsertim ubi caret validis probationibus; modo id prudenter, & sine strepitu faciat, verbi gratia, si prætexeret negotium aliquo eundi, & commorandi in alio loco, aut peregrinationem aliquam susciperet, aut ad bellum proficisceretur: quoniam in hoc casu maritus innocens nullam facit injuriam uxori reæ, & suo tantum quoad thorum separationis jure utitur.

Quæst. 36. Potest-ne aliquis separari quoad habitationem propria authoritate, ob alias causas divortii supra adductas?

Resp. Patet ex Canonibus, & authoritatibus relatis, primo, licitum esse separari propria authoritate quoad cohabitationem, & quoad thorum, propter periculum hæresis, aut infidelitatis, aut alicujus criminis: etenim, secundum jus naturale, & divinum, nihil prohibere non potest, quominus declinemus imminens damnationis periculum. Secundo, eadem separatio, quantum ad habitationem, fieri potest non expectata judicis sententia propter sævitiam alterius conjugum, quæ grave periculum alteri intentat; quoniam, ut ait Innocentius III. relatus in Canone (*Cap. Litteras, de rest. spoliat.*), in tali casu: *Non solum non debet ei restitui, sed ab eo potius amoveri.* Observandum tamen est, has separationes fieri non posse propria authoritate, nisi ad tempus, scilicet durante periculo: nam si tale cessaret periculum animæ, vel corporis ob vitæ in melius commutationem, seu conversionem, aut alio quovis modo; tunc cessare quoque debet divortium, quia perpetuum divortium esse nequit sine Ecclesiæ authoritate; & secundum Canonem (*Can. Ordinationes, 9. q.* 1.); *Cessante necessitate, illud quoque cesset, quod pro necessitate, factum est....*

Quæst. 37. Cum vir celebravit divortium ab uxore, aut uxor a viro propria authoritate propter fornicationem, innocens tenetur-ne reconciliari reo, si vitam mutavit in melius, & egit pœnitentiam?

Resp. Cum Divo Augustino relato in Canone, respondere debemus, maritum teneri condonare, quod Deus condonavit; sic enim legitur (*Can. Quod autem*, 32. *q.* 2.); *Quis non intelligat, debere maritum ignoscere, quod videt ignovisse Dominum? nec jam se debere adulteram dicere, cujus pœnitentis crimen credit divina miseratione deletum?* Legimus etiam in Concilio Arelatensi, relato in Canone (*Cap. Si vir, de adult.*): *Quod si mulier dimissa pœnitentiam egerit, & voluerit ad virum suum reverti, debet, sed non sæpe, recipere*

pe-

peccatricem. Quia frequentes sine controversia lapsus satis ostendunt, pœnitentiam non esse sinceram, nec cor esse vere conversum. Dicitur etiam in Canone (*Cap. Ego dixi*, 34. *q.* 1.): *Quod si mulier dimissa pœnitentiam egerit, & voluerit ad virum suum reverti, nonne recipietur a viro suo? Et dixit, imo si non receperit eam vir suus, peccat, & magnum peccatum sibi admittit: sed debet recipere peccatricem quæ pœnitentiam egit*. Quare dicendum est, quod pœnitentia removet omnia divortia, propria authoritate facta, ante sententiam judicis; dummodo innocens non mutaverit statum.

Quæst. 38. Quando divortium celebratum fuit per sententiam judicis Ecclesiastici, ob fornicationem ab altero conjugum perpetratam, innocens potest-ne deinceps obligari in conscientia, ut reconcilietur reo?

Resp. Patet ex Sacris Canonibus, quod cum justa sententia divortii separavit in perpetuum conjuges propter aliquam fornicationem alterutrius admissam, non potest innocens cogi ad cohabitandum reo, quantumcumque eum pœniteat sui criminis; & adstringi nequit ad reconciliationem, nisi ipse postea committat fornicationem, quæ locum præbeat compensationi. Unde Pelagius Papa relatus in Canone, ait (*Cap. De Benedicto* 32. *q.* 1.): „ Illam „ vero, si quidem maritus suus sine dolo aliquo forte ac- „ cipere voluerit, tua ordinatione sub cautela recipiat; „ nullum ei, nihil dumtaxat de cætero simile commit- „ tenti, periculum illaturus. Si vero omnino eam reci- „ pere noluerit, in alium quemdam locum, in quo ei „ non liceat male vivere, provida eam dispensatione con- „ stitue “. Et Gregorius IX. relatus in Canone, hanc Pelagii sententiam confirmat dum ait (*Cap. Gaudemus, de convers. conjug.*): „ Mulieres vero, quæ relicto maritali „ thoro, lapsu carnis ceciderunt, si mariti earum a te „ diligenter commoniti, eas ad frugem melioris vitæ „ conversas noluerint recipere propter Deum, in claustris „ cum Religiosis mulieribus studeas collocare, ut perpe- „ tuam pœnitentiam ibi agant “. Unde patet, maritos cogi non posse ad illas recipiendas, licet vitam in melius commutarint, postquam justa divortii perpetui sententia separatæ semel fuerint propter fornicationem; sed adhortandos tantum esse maritos, ut eas recipiant.

Quæst. 39. Ille conjugum, qui petiit, & obtinuit sententiam divortii propter fornicationem alterius, potest-ne deinceps reconciliari propria authoritate, absque ullo judicio, & consensu Ecclesiæ?

Resp. Cum sententia divortii lata sit in favorem innocentis, & *Cum quilibet*, ut dicitur in Canone (*Cap.* IX. *conscientia de crimine falsi.*), *ad renunciandum juri suo liberam habeat facultatem*; sequitur, eum, qui obtinuit sententiam divortii, posse alteri reconciliari, absque ullo superioris consensu; ut enim habetur in Regula Juris (*Regula* 61. *de reg. jur. in* 6.): *Quod*

Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.

Quæst. 40. Ille conjugum, qui dedit locum divortio propter fornicationem, aut alio quovis modo, quique per sententiam Judicis Ecclesiastici damnatus fuit, tenetur ne reconciliari, & cohabitare innocenti, ad cujus instantiam lata fuit sententia, quoties se id cupere indicavit?

Resp. Huic quæstioni satisfacit D. Thomas, dum ait (*in* 4. *sent. dist.* 35. *q. unic. art.* 6. *ad* 3.): *illud quod inducitur* in favorem alicujus, non facit ei præjudicium: unde cum divortium sit inductum *in favorem viri, non aufert ei jus petendi debitum, vel revocandi uxorem. Unde uxor tenetur ei reddere, & ad eum redire, si fuerit revocata, nisi de licentia ejus votum continentiæ emiserit.* Idem habet D. Bonaventura (*in* 4. *dist.* 35. *qu.* 5. *n.* 26.). *Aut innocens nocentem petit, aut vir castus uxorem adulteram, & sic ipsa in vita debet reconciliari per judicium Ecclesiæ: quia, sicut dicunt jura, quod in meum favorem introductum est, in meum damnum non potest retorqueri.*

Quæst. 41. Post justam sententiam divortii perpetui, causa fornicationis admissæ ab altero conjugum, innocens potest-ne mutare statum absque consensu rei?

Resp. Cum per sententiam divortii perpetui maritus, verbi gratia, innocens subducatur a potestate mulieris, quæ amittit tunc jus suum in maritum, qui non amplius tenetur illi reddere debitum, nec ei cohabitare; sequitur, posse hunc virum libere mutare statum absque consensu uxoris, id est, emittere professionem in Religione approbata, aut suscipere Ordines sacros. Hinc Innocentius III. relatus in Canone, ait (*Cap. Constitutus, de convers. conjug.*): *Mandamus, ut mulier illa prædictum Monachum non impediat, quominus regulare votum valeat adimplere, per censuram Ecclesiasticam cogere non omittas.* Loquitur Pontifex de muliere, quæ adulterium perpetravit, ad secunda vota convolans vivente marito, quæque justa sententia divortii ab eo separata fuit: quin etiam asserere possumus propter eandem rationem, quod si maritus innocens propria tantum authoritate ab uxore adultera recessisset, posset evitando scandalum, eo modo quo diximus quæst. 35. vitæ statum commutare, Monasterium ingrediendo, aut Sacros Ordines suscipiendo, in regione longinqua, ubi non fuisset notus.

Quæst. 42. Vir, a quo uxor separata est propria authoritate, propter fornicationem ab eo admissam, potestne mutare statum absque uxoris consensu?

Resp. Vir ille conscius fornicationis, non est omnino separatus ab uxore innocente per hoc divortium, absque ulla judicis Ecclesiastici sententia, cum illa possit, imo debeat in aliquo casu, uti supra diximus, ad maritum

 redi-

redire: hoc divortium non est perpetuum, eoque reus uti minime potest in præjudicium innocentis.

Quare concludendum est, maritum in hoc casu non esse liberum ad commutandum vitæ statum, absque consensu uxoris innocentis, quia illam injuste privaret jure, quod habet, exigendi debitum, & illi cohabitandi.

Quæst. 43. Ille conjugum, qui commisit fornicationem, potest ne post sententiam divortii mutare statum, absque consensu alterius innocentis?

Resp. Cum reus nequeat innocentem privare jure, quo gaudet, petendi reconciliationem, cumque crimen ejus minime debeat ei libertatem procurare mutandi vitæ statum, asserere debemus cum sancto Thoma (*in 4. dist. 33. ar. 5. q. unica, art. 6. ad 3.*) *Reum non habere talem libertatem sine consensu partis innocentis*. Idem docet sanctus Bonaventura, dum ait (*in 4. dist. 35. q. 5. n. 28.*): *Ad illud quod objicitur, quod uterque potest vovere continentiam; dicendum, quod falsum est, quia fornicans non potest, nisi alter consentiat*. Hos sequitur Divus Antoninus, his verbis (*3. p. tit. 1. c. 21. §. 6.*): *Dimissa propter adulterium, non potest intrare Religionem contradicente viro & si ingressa fuerit contra voluntatem viri, poterit revocari*. Absolute tamen non requiritur consensus expressus: quare si vir fornicationis reus suscipiat Sacros Ordines, aut ingrediatur Religionem muliere sciente, nec obstante, hæc mutatio erit valida & licita, ac si illa expresse consensisset, juxta id quod dicitur in Regula Juris Canonici (*Regula 27. De Regul. jur. in 6.*): *Scienti & consentienti non fit injuria, neque dolus. Qui autem tacet, consentire videtur*, ut habetur in Regula 43. eodem loco.

Quæst. 44. Jus quo gaudet innocens impediendi reum, ne mutet statum post sententiam, est-ne perpetuum?

Resp. Canonistæ & Theologi communiter affirmant, quod si verbi gratia, vir innocens pertinaciter renuat per biennium reconciliari uxori suæ, quæ post admissam fornicationem vere conversa est; tunc potest hæc mulier valide & licite profiteri in Religione absque ejus consensu, ut probatur ex Canone, *Gaudemus* (*de convers. conjugat.*), ubi dicitur: „ Mulieres vero, quæ relicto maritali thoro, lapsu carnis ceciderunt; si mariti earum, a „ te diligenter commoniti, eas ad frugem melioris vitæ „ conversas noluerint recipere propter Deum, in Claustris „ cum religiosis mulieribus studeas collocare, ut perpetuam pœnitentiam ibi agant. Si vir, *inquit Glossa* „ (Glossa ib. verbo, in Claustris), intra biennium noluerit „ eam recipere, tunc tondeatur, & habitum Monachalem „ recipiat, ibi perpetuo moratura". Quoniam justum omnino non videtur, ut maritus, qui reconciliari non vult, nec habitare cum uxore conversa; possit tamen eam impedire toto vitæ tempore, perfectiorem vitæ statum eligere,

reli-

religiosam vitam amplectendo. Unde Imperatores hac æquitate ducti, Authenticam ediderunt, his verbis (*Auth. Sed hodie, C. de adult.*): *Sed hodie adultera in Monasterium mittatur, quam intra biennium viro recipere licet: biennio transacto, adultera tonsa, Monastico habitu suscepto, ibi dum vivit, permaneat.* Quam Legem Glossa secuta est, eaque tacito Ecclesiæ consensu est comprobata.

Quæst. 45. Post sententiam divortii latam propter infidelitatem, hæresim, aut sævitiam alterius conjugum, potest-ne alius mutare statum?

Resp. Ut huic quæstioni satisfaciamus, supponendum est, mutari non posse statum post sententiam divortii ad tempus, sed necesse est, ut divortium sit perpetuum; quia in perpetuum quis debet esse liber, ut in perpetuum se devinciat; ut contingit in susceptione Sacrorum Ordinum, & professione in Religione. Quare si sententia divortii ab Ecclesiastico Judice prolata, propter aliquam ex causis in quæstione assignatis, non sit absoluta, sed ad tempus; non licet illi, qui obtinuit divortium, mutare statum; verbi gratia, si separet tantum conjuges, donec is, qui divortio locum præbuit, alterum in crimen impellendo, aut male tractando, vitam, moresque commutaverit, aut sufficientem præbuerit securitatem, se non amplius ea usurum sævitia: in his casibus non licet ei, qui divortii sententiam consecutus est, vitæ statum commutare. Si vero hæc sententia sit absoluta, efficiatque divortium perpetuum, tunc ille conjugum, in cujus favorem lata est divortii sententia, potest libere mutare statum. Hæc autem opinio, quæ communis est, nititur authoritate Sancti Gregorii Papæ in Canone, his verbis (*Cap. Mulier, de convers. conjug.*): „ Mulier, „ quæ in fide remansit, potest nolente viro, qui ab infide„ litate revertitur, propter quam ab eo fuerat judicio Ec„ clesiæ separata, ad Religionem libere convolare. *Et* „ *glossa ait* (Gloss. ib. verbo, Remansit.): Viro trans„ eunte ad infideles, puta Sarracenos, vel Judæos, vel et„ iam Hæreticos ". Quia vox *Infidelis* generice sumitur hoc loco, omnesque infidelitatis species complectitur. Si autem hæc mulier vitæ statum commutare etiam potest post conversionem mariti, dicendum est, eam illa libertate longe magis gaudere ante ejus conversionem, vi & virtute sententiæ perpetui divortii. Quod ad alias causas pertinet, difficile admodum est, eas sufficere posse ad perpetuum divortium, quod locum vitæ status commutandi præbere valeat; quia semper aliqua sperari potest emendatio. Nihilominus si Judex Ecclesiasticus videns alterum conjugum incorrigibilem videri, sententiam divortii perpetui protulerit, propter aliquam ex dictis causis; alter, cui favet sententia, vitæ statum commutare posset. Verum tamen est, quod si maritus perpetuæ stultitiæ obnoxius esse crederetur, & propter hanc rationem divor-

divortium esset concessum, mulierque vitæ statum commutasset: si postmodum a sua stultitia convaluisset, sensusque integritati restitutus fuisset, tunc jus haberet eam reassumendi, non obstante tali sententia, & vitæ status commutatione; quia hæc sententia nulla est, cum a judice non fuerit prolata, nisi quia credidit stultitiam fore perpetuam; quæ cum non fuerit talis, maritum privare non potuit jure cohabitationis cum sua uxore sine ulla sua culpa.

Quæst. 46. Quando post justam perpetui divortii sententiam, ob legitimam aliquam causam, unus conjugum vult mutare statum, alter tenetur-ne etiam mutare, & suscipere Ordines Sacros, aut emittere professionem in Religione?

Resp. Certum est, id non necessario desiderari in ullo prædictorum casuum, & posse unum mutare statum post divortium altero non mutante, nec emittente votum castitatis. Quod autem supra diximus in sexta quæstione, necesse esse, ut uno ingrediente Religionem, alter emittat votum castitatis; intelligendum est, cum nulla lata fuerit sententia perpetua divortii; ut patet ex Canone, in quo statuit Divus Gregorius (*Cap. Agathos, art.* 27. *q.* 2.): *Si vero nihil horum est, nec quondam fornicationis crimen (propter quod licet viro dimittere uxorem) prædictam mulierem commisisse cognoveris .... Volumus, ut maritum suum, &c. reddere debeas omni excusatione cessante.* Unde concluditur, quod si fornicationem perpetrasset, eamque secutum fuisset divortium, non potuisset in sæculo commorando maritum impedire a vitæ religiosæ professione. Quod etiam probatur ex Decretali Innocentii Papæ III. dum ait (*Cap. Constitutus, de Convers. conjug.*): *Mandamus, quatenus, si res ita se habet, prædictam mulierem, ut a dicto viro recedat, cui per adulterium est conjuncta, nec prædictum Monachum impediat, quominus regulare votum valeat adimplere, per censuram Ecclesiasticam cogere non omittas.* Pontifex autem non exigit ab hac fœmina, ut vitæ statum aliquo modo commutet: Et Glossa ibidem ait: *Nota, quod si uxor alicujus publice adulterabatur, vir licite potest postmodum promoveri ad Ordines, & intrare Religionem.* Idemque dici debet de cæteris omnibus casibus, qui divortio perpetuo dederunt occasionem; quia eadem ubique viget ratio, nimirum quod is, qui vitæ statum commutat, liber est suique juris, nec umquam cogi potest, ut Matrimonii debitum reddat, aut commoretur cum altera parte, quæ in sæculo perseverat; atque adeo nullum inconveniens ex hac status commutatione oriri potest: nec rationi congruum plane foret in his casibus, alterum conjugum impedire, ne concessa sibi facultate utatur, ut ad vitam perfectiorem aspiret, sub eo prætextu, quod pars altera ad tale consilium concurrere nolit.

Quæst.

Quæst. 47. Maritus tenetur-ne aliquando sub pœna peccati separari a muliere adultera, & vice versa?

Resp. Cum Christus Dominus dicat in Evangelio (*Matth.* 19.): *Si licet dimittere uxorem suam quacumque ex causa?... quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*: non tamen præcepit divortium, cum docuit, illud esse permissum propter fornicationem; videtur primo, alterum conjugum non omnino teneri ab altero se separare, licet certo sciat, eam fornicationem perpetrasse: nihilominus tamen sancti Patres, Sacrique Canones, quos sequi tenemur in expositione Scripturæ Sacræ, & quos tamquam Directores morum suscipere debemus, affirmant variis in locis, innocentem conjugem teneri se a rea separare, ut dicitur in Canone (*Can. Sicut* 32. *q.* 1.): *Sicut crudelis, & iniquus, qui castam dimittit: sicut fatuus est, & injustus, qui retinet meretricem; nam patronus turpitudinis ejus est, qui crimen celat uxoris. Cum illa*, inquit Sanctus Hieronymus relatus in Canone (*Can. Dixit*, 36. *q.* 1. *ex S. Hieron.*), *unam carnem in aliam diviserit, & se fornicatione separaverit a marito, non debet teneri, ne virum quoque sub maledicto faciat, dicente Scriptura: Qui adulteram tenet, stultus & impius est.* Unde etiam legimus in alio Canone (*Can. Si quis* 32. *q.* 1.): *Si quis uxorem suam scit adulteram, & non vult dimittere eam, sed in matrimonio habere, tribus annis pœniteat.* Multisque aliis Canonibus idem asseritur. Verum Canon ex Concilio Arelatensi desumptus, totam hanc controversiam clare, solideque definire videtur, dum ait (*Cap. Si vir, de adult. & stupro*): „Si vir sciens „uxorem suam deliquisse, quæ non egerit pœnitentiam, „sed permanet in fornicatione, vixerit cum illa, reus „erit, & ejus peccati particeps. Quod si mulier dimissa „egerit pœnitentiam, & voluerit ad virum suum reverti, debet, sed non sæpe, recipere peccatricem". Hinc asserere debemus, juxta hunc Canonem, aliosque a nobis supra relatos, quod si fœmina sit incorrigibilis, nec eam vir suus impedire possit a crimine, tenetur ab ea discedere: verum si vitam commutet, justeque sperari possit, fore, ut non amplius relabatur in eadem crimina, tunc maritus eam recipere potest, & in quibusdam casibus tenetur, ut in superioribus quæstionibus diximus. Et sic Canones intelligere debemus, maxime vero illum, ubi dicitur (*Can. Ego dixi*, 34. *q.* 1.): „Si autem scivit „vir uxorem suam deliquisse, & non egerit pœnitentiam „mulier, sed permaneat in fornicatione sua, & cojerit vir „cum illa, reus erit peccati ejus, & particeps mœchatio„nis illius": nimirum cum peccare pergit. Quare Divus Augustinus retractavit, quod dixit exponendo sermonem Domini in monte, & quod quidem in Canone relatum est, nimirum, Dominum nostrum Jesum Christum permisisse quidem conjugibus divortium propter fornicationem,

verum tamen id non præcepisse, cum ait: *Ubi dixi hoc permissum esse, non jussum, non attendi aliam Scripturam dicentem: Qui tenet adulteram stultus & impius est. Nec sane adulteram dixerim fuisse deputandam illam mulierem: etiam postea quam audivit a Domino: Nec ego te damnabo, vade, deinceps jam noli peccare*, si hoc obedienter audivit. Ex his patet, sanctum Augustinum (*lib. de retract. c.* 19.), ubi maturius hanc quæstionem expendit, credidisse, maritum teneri separari ab uxore adultera, quando illa in peccato perseverat: e contra vero, ubi vitam in melius commutavit, tunc eam non debet ut adulteram considerare, atque adeo reconciliari potest, & cum ea cohabitare. Idem sentit Divus Thomas, cum ait (*in* 4. *dist.* 35. *q.* 1. *ad* 2.): „Dimissio uxoris fornicantis introducta est ad „corrigendum uxoris crimen per talem pœnam, pœna „autem corrigens non requiritur, ubi emendatio jam præ„cessit; & ideo si mulier de peccato pœniteat, vir non te„netur eam dimittere: si autem non pœniteat, tenetur; „ne peccato ejus consentire videatur, dum correctionem „debitam non apponit". Et ibidem cum sibi objecit: „quilibet potest dimittere alteri, quod in se peccavit: sed „uxor fornicando peccat in virum; ergo vir potest ei par„cere, ut non dimittat eam .... uxor non tantum peccat „in virum, sed & in seipsam, & in Deum; & ideo vir „non totaliter potest pœnam dimittere, nisi emendatio se„quitur". Unde clarius id explicat Sanctus Bonaventura, his verbis (*in* 4. *dist.* 45. *q.* 2. *n.* 14.): „Aut fornicatur in „occulto, aut in manifesto. Si in occulto, sic non potest „dimittere eam, quia non potest probare. Si in manife„sto, aut perseverat in malitia, aut convertitur ad pœ„nitentiam. Si perseverat in malitia, sic quia scandali„zat, & quia vir tenetur uxorem corrigere, juxta man„datum Evangelicum, tenetur eam dimittere; si au„tem pœnitet, & se corrigit, non tenetur: & in pri„mo casu loquuntur authoritates sanctorum Canonum".

Quæst. 48. Tenetur-ne uxor in iisdem casibus a marito secedere, cum ille in adulterio perseverat?

Resp. Cum maritus & uxor penitus æquales sint in iis, quæ ad Matrimonii jura & debita pertinent, ut sæpius diximus; prima quidem fronte videtur, uxorem æque teneri separari a marito in adulterio perseverante, quam maritum ab eadem se separare, si similis criminis sit rea; unde legimus in Canone, qui Divo Chrysostomo adscribitur (*Can. Si quis*, 3. *q.* 1.): „Si quis uxorem „suam invenerit adulteram, & postea deinceps placuerit „habere eam in matrimonio, duobus annis pœniteat, ideo „quia cum adultera commixtus sit, quæ adhuc crimine suo „non est purgata... similiter si virum suum uxor invenerit „adulterum, non ad imparia judicatur". Nihilominus tamen, quia uxor non habet eandem authoritatem in maritum, quam maritus habet in eam, nec eum potest corrigere, & eadem vi arguere; præterea mariti adulte-

rium

rium non ita reddit liberos incertos, ut uxoris fornicatio, nec scandalum ordinarie loquendo tantum est, nec præsumitur mulierem consentire criminibus mariti, licet ab eo non discedat. Denique cum non liceat sperare maritum per divortium ad meliorem frugem rediturum, videtur ordinarie loquendo, mulierem non ita teneri, nec tantopere obligari ad maritum dimittendum, quam maritus ad divortium cum ea faciendum; nec in praxi ad hoc divortium teneri videtur, nisi quando sperari potest, quod succedente divortio maritus rediturus sit ad meliorem frugem. Et ita quidem sentire videtur sanctus Antoninus secutus Petrum de Palude (3. *p. tit.* 3. *c.* 21. §. 9.): *De muliere dicit Petrus de Palude, quod non sic ipsa teneatur virum dimittere, quia non habet sic corrigere facto.*

Quæst. 49. Ad quem judicem spectant causæ divortii?

Resp. Ex auctoritatibus hactenus allatis, tum Patrum, tum Conciliorum, quorum unanimi consensu divortium fieri nequit, nisi post Ecclesiæ judicium; consequens est, divortii causas ad Judices Ecclesiasticos pertinere, ut patet ex Canone, *Sæculares*, 33. q. 6. Ex Canone, *Multorum* 35. q. 6. cap. *Per venerabilem*. Qui filii sunt legitimi, cap. *Quæ fraternitatis*. De Procuratoribus. Cap. *Porro*, & cap. *De illa*. De divortiis. Illudque definivit Concilium Tridentinum (*seß.* 24. *de Sacr. Matr. Can.* 12. his verbis: *Si quis dixerit, causas Matrimoniales non spectare ad Judices Ecclesiasticos, anathema sit*. Et in alio loco ait: (*ibid. seß.* 14. *de reform. can.* 26.), *Causæ Matrimoniales, & criminales, non Decani, Archidiaconi, aut aliorum inferiorum judicio, etiam visitando, sed Episcopi tantum examini & Jurisdictioni relinquantur*. Quod etiam Principum sæcularium & Regum edictis statutum est.

Quæst. 50. Qua ratione se gerere debent Parochi, & conscientiarum Directores, cum iis, qui in divortio vivunt?

Resp. Magna illis opus est prudentia, & in primis examinare debent, si ille, qui divortium petiit, aut se ab alio separavit propria authoritate, juste id potuerit facere; & an certo, aut incerto argumento ductus id fecerit: si post separationem nihil acciderit, quod eum redire cogat, & reconciliari cum sua parte; sincera, verbi gratia, uxoris Pœnitentia, a qua maritus authoritate propria recessit, aut ipsius mariti fornicatio. Expendere etiam debent, si ille, cujus conscientiam regunt, aliquo modo reconciliari teneatur: quo casu monendus est, ac etiam cogendus, ne reconciliationem differat. Debet etiam Confessarius eum conjugem, qui damnatus fuit propter fornicationem, & divortii sententia separatus, monere, ut ita vitam moresque suos componat, ut omnem scandali occasionem, quam crimine suo concitavit, pla-

ne tollat, & compartem suam evidentibus suæ conversionis signis ad reconciliationem, & cohabitationem inducat. Verum si divortium crudelitatis causa factum fuerit, aut propter contagiosam aliquam alterius conjugum malitiam, qui talem præbuit occasionem, non modo eam subito tollere tenetur, verum etiam vitæ suæ mutationem alteri notam facere, ut eum ad reconciliationem inducat: adhortandus quoque est is, qui divortium petiit, propter hæc animi, aut corporis pericula, ne difficilior, quam par est, aut morosior ad justam amplectendam reconciliationem sit. Sed in primis Confessarius cum magna difficultate consentire debet mutationi status conjugis suæ curæ commissi, etiam in illis casibus, in quibus illi licitum est; quia gravia inde sequi possunt incommoda, quæ satis præcaveri non possunt; unde cum magna consideratione hæc negotia tractari debent, quæ infelices sæpius habent exitus.

C A P U T X.

De debito Conjugali.

Quæst. I. COpula carnalis inter conjuges est-ne actus bonus.

Resp. Esse secundum se bonum, patet ex illis verbis, quæ, ut ait Benedictus Papa I. (*Can. Lex divina*, 27. *q.* 2.) „ Protoplastus ille radix & origo nostra, detractam „ sibi costam in mulierem videns formatam, prophetico „ spiritu inter alia protulit: Propter hoc relinquet homo „ patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo „ in carne una. Quibus verbis innotuit, non aliter virum „ & mulierem posse fieri unam carnem, nisi carnali copu„ la sibi cohæreant". Quæ etiam verba Deo, qui ea Adamo inspiraverat, in Evangelio tribuuntur his verbis (*Matth.* 19. *v.* 5.): „ Qui fecit hominem ab initio, „ masculum & fœminam fecit eos, & dixit: Propter hoc „ dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxo„ ri suæ, & erunt duo in carne una". Hinc sequitur, Christum confirmasse, & licitum pronunciasse medium illud conjugale, quo mas & fœmina fiunt una caro, quod est copula carnalis. Unde ab Apostolo (*Ad Hebr.* 13. *v.* 4.) *honorabile* vocatur *connubium in omnibus, & torus immaculatus*. Quinimo ut ait S. Thomas (*in* 4. *dist.* 26. *q.* 1. *art.* 4. *in cor.*), *si ad actum matrimonialem virtus inducat, vel justitiæ, ut debitum reddat, vel religionis, ut proles ad cultum Dei procreetur, est meritorius*. Tamen ob varias circumstantias, de quibus infra, in copula conjugali potest esse peccatum, aut veniale, aut mortale.

Quæst.

Quæst. 2. Poteſt-ne unus ex conjugibus obligari ad copulam carnalem?

Resp. Quilibet conjux, altero petente debitum rationabiliter, ſeu legitime, tenetur ei reddere, dicente Apoſtolo (*Ad Cor.* 7.): „ Uxori vir debitum reddat, „ ſimiliter autem & uxor viro. Mulier ſui corpo„ ris poteſtatem non habet, ſed vir: ſimiliter autem „ & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mu„ lier; nolite fraudare invicem, niſi forte ex con„ ſenſu. Si dicat vir, *inquit S. Auguſtinus* (*in* „ *Pſ.* 49. *in fine*, *refertur in Can. Si dicat*, 33. *q.* „ 5.), continere jam volo: nolo autem, dicat uxor; non „ poteſt, quod enim tu vis, non vult illa. Num„ quid per continentiam tuam debet illam facere forni„ cariam? . . . . Redde debitum, & ſi non exigis „ redde: pro ſanctificatione perfecta Deus tibi com„ putabit, ſi non, quod tibi debetur, exigis, ſed „ reddis quod debetur uxori ". Igitur quilibet conju„ gum ex juſtitia tenetur reddere debitum alteri peten„ ti, ſive verbis, ſive nutibus, & ſignis ſenſibilibus, „ quod perinde eſt, dummodo intentio exigentis certo „ percipiatur ".

Quæſt. 3. Conjux obligatur-ne ad reddendum debitum ſub peccato mortali?

Reſp. Hæc obligatio graviſſima eſt, magnamque infert injuriam petenti, ille qui denegat; ideo in hoc Doctores conſentiunt, talem denegationem ordinarie involvere culpam mortalem, in iis caſibus, in quibus expetitus tenetur reddere, quia virtus juſtitiæ obligat ſub mortali in materia gravi, qualis eſt illa; & multa ex hac denegatione imminent pericula, nempe incontinentiæ, rixæ, odii, & ſimilia. Unde S. Antoninus aſſerit (3. *p. tit.* 1. *c.* 21. §. 7.): *Eſſe mortale in denegante debitum petenti omnino, ſi non habeat cauſam rationabilem excuſantem.* Videtur tamen, quod poteſt etiam in hoc eſſe parvitas materiæ, quæ a mortali excuſare valeat; ut ſi conjux expetitus parum differat reddere, vel non reddat videns alium non adeo anxie petere, neque ex negatione triſtari; dummodo tamen in his caſibus nullum adſit periculum incontinentiæ, aut gravis iræ, aut odii. Ex hac obbligatione debiti reddendi inferunt communiter Theologi, mortaliter peccare conjugem, qui data opera ſe reddit impotentem ad copulam, aut notabiliter debilem, præſertim mediis illicitis, ut fornicatione, & ſimilibus: non enim peccat conjux ſe extenuans & debilitans, bona fide & abſque fraude, mediis honeſtis, ut ſervando Eccleſiæ jejunia, & alia etiam moderata, ex devotione; impendenſque multum tempus ſtudiis, vel aliis occupationibus ſibi convenientibus.

Quæſt. 4. Copula conjugalis poteſt ne aliquando eſſe illicita?

Resp. Ex variis causis fieri potest, ut petitio, vel etiam redditio debiti conjugalis sit illicita: scilicet ratione finis, temporis, loci, damni imminentis, modi, impedimenti, vel supervenientis, vel post Matrimonium cogniti, & tandem ratione dubii.

Quæst. 5. Quando-nam copula conjugalis est illicita ratione finis?

Resp. Duobus solis modis, inquit Sanctus Thomas (*in* 4. *dist.* 31. *q.* 2. *art.* 2. *in corp.*), *conjuges absque omni peccato conveniunt, scilicet causa procreandæ prolis, & debiti reddendi; alias autem semper est peccatum ibi ad minus veniale.* Et ideo si causa voluptatis captandæ, aut etiam vitandæ fornicationis propriæ, & hujusmodi, habeatur copula, non potest esse sine peccato, ut ex Sanctis Augustino, Gregorio, Thoma, & Bonaventura, fuse probavimus sub finem cap. 3. hujusce tractatus. Generatim autem quoties quis utitur conjugii jure ob aliquem finem malum, hic actus est malus malitia ejusdem generis cum fine; quia constat, finem dare actui malitiam, & bonitatem propriam.

Advertendum tamen est, quod ut quis utens Matrimonio, censeatur intendere procreationem filiorum, non est necesse, ut actualiter in ipsa copula de filiis cogitet; sed sufficit, si virtualiter, vel etiam habitualiter intendat, id est, ut aliquando generationem intenderit, nec eum finem postea expresse excluserit, & ita sit dispositus, ut si de generatione tunc cogitaret, eam vellet.

Quæst. 6. Potest-ne reddi illicitus actus conjugalis ratione temporis sacri?

Resp. Ex Innocentio Papa I. (*Cap. Proposuisti, dist.* 82.) *Beatus Paulus Apostolus ad Corinthios scribit, dicens: Abstinete vos ad tempus, ut vacetis orationi: Et hoc utique Laicis præcipit. Si causa procreandorum filiorum ducitur uxor*, inquit S. Ambrosius (*Can. Si causa*, 33. *q.* 4.), *non multum tempus concessum videtur ad ipsum usum, quia & dies festi, & dies processionis, & ipsa ratio conceptus & partus, juxta legem, cessare temporibus his debere demonstrant.* Et S. Augustinus (*Can. Quotiescumq.* 34. *q.* 4.): „ Quotiescumque, *ait*, aut dies Na-
„ talis Domini, aut reliquæ festivitates adveniunt, sic-
„ ut frequenter admonui, ante plures dies, non so-
„ lum ab infelici concubinarum consortio, sed etiam a
„ propriis uxoribus abstinete “. Si ex consensu conju-
„ gatorum, *respondet Nicolaus Papa* (*Consult. Bulgar.*
„ *c.* 95.), etiam forte tempore vacatur orationi; quan-
„ to potius isto Quadragesimæ, quo Deo etiam carnis
„ nostræ decimas domus, quo ipsum in abstinentia Domi-
„ num imitamur, quo non solum illicita, verum etiam
„ multa a nobis quoque licita merito resecamus, omni
„ est voluptati renunciandum; & ut licenter orationi
„ vacetur, castitati mentis & corporis incumbendum? “

In

In celebri quoque Theodulphi Aurelianensis Episcopi Capitulari legimus (*ad Presb. Aurelian. c.* 43.): „ Abstinendum esse his quadraginta diebus a conjugibus, „ & caste ac pie vivendum, ut sanctificato corde & cor- „ pore, isti sancti dies transigantur, & sic perveniatur „ ad diem sanctum Paschæ: quia pene nihil valet jeju- „ nium, quod conjugali opere polluitur, & quod ora- „ tiones, vigiliæ & eleemosynæ non commendant “. Unde non mirum, si S. Thomas, Bonaventura, Antoninus, culpam saltem venialem agnoscant in petente debitum tempore solemnitatum & jejuniorum: „ Actus matrimonia- „ lis quamvis culpa careat, *ait Doctor Angelicus* (*in suppl. q.* 54. *art.* 5. *in corp.*), tamen quia rationem deprimit, „ propter carnalem delectationem, hominem reddit ine- „ ptum ad spiritualia: & ideo in diebus, in quibus præ- „ cipue spiritualibus est vacandum, non licet petere de- „ bitum. *Et infra* (*Ibid. art.* 6. *in corp.*): Non pec- „ cat mortaliter uxor vel vir, si in die festivo debitum „ petat: sed tamen gravius est peccatum, si sola dele- „ ctationis causa petatur, quam si propter timorem, „ quo quis sibi timet de lubrico, carnis debitum pe- „ tat “. In actu conjugali, *inquit Seraphicus Doctor* (*in 4. dist.* 32. *art.* 3. *q.* 2. *in corp.*), est opus carnis „ quod trahit animam deorsum, & ad terrena sapien- „ dum, & etiam ad delectationem sentiendum. Quo- „ niam igitur aliqui sunt dies, in quibus debet anima „ sanctificari, & assurgere ad divina, utpote solemnitates „ præclaræ; sunt etiam aliqui dies, in quibus debet „ anima affligi, utpote jejuniorum, & processionum, „ ideo conveniens est, in talibus temporibus ab illo „ actu cessare; & ideo sancti Patres instituerunt, non „ tamen instituerunt tamquam præceptum, propter car- „ nis lubricum, quod in multis est magnum: & quia „ non tanquam præceptum instituerunt, nec jus peten- „ di debitum abstulerunt; ideo cum petitur, manet ne- „ cessitas ad reddendum. Ideo dicendum, quod reddi „ potest sine omni culpa in illis diebus: dum tamen „ reddatur cum displicentia, & dolore: peti autem non „ potest sine culpa, & si aspectus sit ad delectationem, „ gravis est culpa: si autem ad lubricum carnis, & suam „ infirmitatem, cujus est conscius, vel conscientia vehe- „ menter timet, & propter hoc petit, veniale potest esse „ peccatum: attamen vix contingit, quod in præcipuis „ diebus non sit grave peccatum “. Demum S. Antoninus ait (3. *p. tit.* 1. *c.* 21. §. 7.), quod in his sacris diebus „ exigens debitum, non peccat mortaliter; sed „ veniale potest esse, nisi hoc faceret in contemptum „ festi, vel Ecclesiæ, quia tunc mortale esset; sed reddens „ in nullo peccat, sed tenetur ad hoc de necessitate “. De hac materia disseruimus initio cap. 6. de impedimentis.

Quæst. 7. Redditur ne illicita copula conjugalis ratione fluxus menstrui?

Resp. Severe prohibetur hujusmodi concubitus in Scriptura, & cum aliis gravioribus flagitiis annumeratur, his verbis (*Levit. c. 20. v. 18.*): *Qui coierit cum muliere in fluxu menstruo, interficientur ambo de medio populi sui*. Quod etiam *præceptum Ezechiel*, teste Augustino (*lib. 1. de pecc. meritis & remiss. c. 12. Scot. in 4. sent. d. 32.*), *inter illa ponit, quæ non figurate accipienda sunt*: *Nec est probabile*, ut ait Doct. Subtilis, *quod in lege Evangelica, quæ est lex castitatis, sit minus prohibitum ad menstruatam accedere*. Illius præcepti receptionem in tribus Levitici Capitibus considerans idem Sanctus Augustinus (*l. 3. q. sup. Leviticum, q. 64.*) ,, Hoc ,, cum superius, *inquit*, satis sufficienter prohibuisset, ,, quid sibi vult, quod etiam hic hoc eisdem præceptis ,, voluit adjungere? an forte ne in superioribus, quod ,, dictum est, figurate accipiendum putaretur, etiam hic ,, positum est, ubi talia prohibita sunt, quæ etiam tem- ,, pore novi Testamenti, remota umbrarum veterum ob- ,, servatione, sine dubio constituenda sunt? quod videtur ,, etiam per Prophetam Ezechielem significasse, qui inter ,, illa peccata, quæ non figuratæ, sed manifestæ iniqui- ,, tatis sunt, etiam hic commemorat, ad mulierem ,, menstruatam si quis accedat; qua in re non natura ,, damnatur, sed concipiendæ prolis noxium prohibetur". Ut enim ait Sanctus Hieronymus (*in c. 18. Ezechiel.*), ,, Per singulos menses gravia atque torpentia mulierum ,, corpora, immundi sanguinis effusione relevantur, quo ,, tempore si vir coierit cum muliere, dicuntur concepti ,, fœtus vitium seminis trahere, ita ut leprosi & elephan- ,, tiaci ex hac conceptione nascantur; & fœda in utroque ,, sexu corpora, parvitate vel enormitate membrorum ,, sanies corrupta degeneret. Præcipitur ergo viris, ut ,, non solum in alienis mulieribus, sed in suis quoque ,, certa concubitus norint tempora, quando coeundum, ,, quando ab uxoribus abstinendum sit. Quod quidem & ,, Apostolus, & Ecclesiastes sonant: Tempus amplexan- ,, di, tempus longe fieri a complexibus. Caveat ergo & ,, uxor, ne forte victa desiderio coeundi, illiciat virum, ,, & maritus, ne vim faciat uxori, putans omni tempo- ,, re subjectam sibi esse debere conjugii voluptatem". Unde accuratus Scripturæ sacræ Glossator (*Nicolaus de Lira in Gloss. Ordinaria, c. 25. Levitici.*), loquens de tali concubitu, asserit, non solum interdictum fuisse ob immunditiam corporalem, seu legalem: *Sed hoc prohibetur*, inquit, *quia ex tali coitu solent generari pueri monstruosi, utpote patientes aliquem defectum in aliqua parte corporis, vel etiam in toto, sicut lepram vel aliquam consimilem infirmitatem*. Et demum ex sancto Thoma (*in 4. sent. dist. 32. art. 2. q. 2. in corp.*); *Quando mulier patitur fluxum menstruorum, potest concipere, & talis fluxus non durat, nisi ad modicum tempus; unde prohibitum est ad talem accedere; & si-*

& similiter prohibitum est mulieri in tali fluxu debitum petere.

Ex quibus Scripturæ, & Sanctorum dictis, videtur, quod concludere possimus, petentem debitum in hoc menstrui tempore, sive virum, sive mulierem, graviter delinquere, nec conjugem ullo modo teneri ad reddendum; quin imo talem concubitum adeo proli periculosum, & Matrimonii bonis oppositum, pati non debere: quia lex superius relata ex Levitico, reddentem, ut & petentem, respicit, & ambo cooperantur ad nocendum partui; unde etiam subtilis Scotus (*in* 4. *sent. dist.* 3.) peccatum mortale in utroque conjuge, sive reddente, sive petente, agnoscit; sed fortasse paulo severius.

Quæst. 8. Usus Matrimonii potest-ne esse illicitus ratione loci?

Resp. Constat inter Theologos, quod copula carnalis inter conjuges est illicita in loco publico, vel etiam in conspectu alterius; quia in his casibus vere scandalosa est; actus enim ille movet aspicientes ad carnalem appetitum & pollutiones, aut hujusmodi peccata, & valde adversatur decentiæ, & honestati humanæ. Est etiam illicitus usus Matrimonii in loco sacro, ratione maximæ irreverentiæ, qua sacer locus aliquo modo profanatur, cum nullo modo conveniat simili actioni. Et ideo Sanctus Antoninus aliquot casus enumerans, in quibus usus Matrimonii involvit peccatum mortale (3. *p. tit.* 1. *c.* 21. §. 2.): „ Secundus casus „ est, *inquit*, quantum ad locum, in quo talis actus „ exercetur, videlicet in loco sacro: sive ergo habeatur „ alius locus, sive non possit haberi alius locus ad „ hoc, certum est, quod non licet petere; sed nec „ reddere tenetur alter illud quod reddi non potest si- „ ne irreverentia loci sacri; nam propter hoc indiget „ reconciliatione, secundum Joannem Andream, quan- „ tum est ex natura facti, licet per accidens, si est oc- „ cultum, non indigeat reconciliatione; quod etiam „ ponit Hostiensis ".

Quæst. 9. Quandonam copula conjugalis efficitur illicita ratione damni.

Resp. Si copula conjugalis vergat probabiliter in damnum propriæ salutis, vel conjugis, illicitum est petere, vel etiam reddere debitum: quia conjuges vitæ dominium non habent, & illius tuendæ curam habere obligantur: unde etiam charitas illis prohibet, ne sibi malum inferant, ut jus naturæ dictat. Prohibet etiam eadem charitas, ne conjugi noceant, quia præterquam quod quisque tenetur, ex præcepto Evangelico (*Matth.* 19. *v.* 19.), diligere proximum sicut seipsum, conjuges sunt una caro: & ut ait Apostolus (*Ad Ephes.* 3 *v.* 28.), *Viri debent diligere uxores suas ut corpora sua; qui suam uxorem diligit.* Hinc infertur, quod cum propriæ sanitatis detri-

detrimento unus ex conjugibus alteri petenti debitum reddere non tenetur; quia ex Sancto Thoma (*in 4. dist. 32. art. 1. in corp. & ad 2. q. 1.*), „ Matrimonium est prin-
„ cipaliter institutum in officium naturæ, ideo in actu ejus
„ considerandus est motus naturæ, secundum quem nutriti-
„ va non ministrat virtuti generativæ, nisi id quod super-
„ fluit ad conservationem individui... Et ideo cum uxor
„ in virum potestatem non habeat, nisi quantum ad gene-
„ rativam virtutem, non autem quantum ad ea quæ sunt
„ ad conservationem individui ordinata, vir tenetur uxori
„ reddere debitum in his, quæ ad generationem prolis spe-
„ ctant, salva tamen prius incolumitate personæ ". Unde conjux ægrotans, aut sanus, sed statim a prandio aut a balneo, excusatur a debiti redditione ex sancto Antonino (*3. p. tit. 1. c. 21. §. 20.*), quia tunc copula grave affert periculum: excusaretur etiam præsertim vir, si immoderate, & sæpius quam par est, uxor peteret. Præterea si unus ex conjugibus laborans aliquo morbo contagioso, quo alter facile posset infici, exigat debitum a sano, licite potest ab ipso negari.

Quæst. 10. Conjux sanus tenetur-ne reddere debitum leproso petenti?

Resp. „ Quoniam, *ut ait Alexander III.* (*Cap. Quo-*
„ *niam, de Conjuge leprosorum.*) nemini licet, excepta
„ causa fornicationis, uxorem dimittere, constat, quod sive
„ mulier lepra percussa fuerit, sive alia gravi infirmita-
„ te detenta, non est a viro propterea separanda, vel etiam
„ dimittenda. Leprosi autem si continere nolunt, & ali-
„ quam, quæ sibi nubere velit, invenerint, liberum est eis
„ ad Matrimonium convolare: quod si virum, sive uxo-
„ rem, leprosum fieri contigerit, & infirmus a sano car-
„ nale debitum exigat, generali præcepto Apostoli, quod
„ exigitur, est solvendum, cui præcepto nulla in hoc casu
„ exceptio invenitur ". Et ideo dicendum, conjugem sanum leproso petenti ordinarie reddere: tamen si sit grave periculum contagionis, non tenetur, ex rationibus superius allatis; qua in re standum est Medicorum judicio: & ita intelligendam esse Decretalem Alexandri III. ex sanctis Thoma (*in 4. dist. 32. quæst. unic. art. 1. ad 4.*), Bonaventura (*in 4. dist. 32. art. 2. quæst. 1. num. 19.*), & Antonino colligitur: „ Si vero, *ait*
„ *sanctus Antoninus* (*3. p. t. 3. c. 31. §. 30.*), mulier
„ non esset notabiliter infecta, quod immineat periculum,
„ tenetur vir reddere: & multo magis mulier viro leproso,
„ cum non tantum immineat ei periculum.... lepra enim
„ non excusat a redditione debiti, nisi, ut dictum est,
„ cum periculum imminet ". Nec potest ideo leprosus ab usu conjugii repelli, ne proles nascitura contrahat lepram; quia cum lepra sit malum perpetuum, *quamvis*, ut ait sanctus Thomas, *proles generetur infirma, tamen melius est ei sic esse, quam penitus non esse*. Et eodem plane modo differendum est de habitatione, sive in eadem

dem domo, sive in eodem lecto; ut scilicet sanus teneatur tantum ad id quod facere potest, salva incolumitate propria. Attamen notandum est, in hoc omnes convenire, ex cohabitatione majus imminere periculum infectionis, quam ex infrequenti redditione debiti; & ideo vix teneri sanum ad cohabitandum, saltem in eodem lecto. Sed excipiendus est unus casus, in quo quamvis probabile sit infectionis periculum, tenetur tamen sanus leproso debitum reddere, vel etiam cohabitare, saltem in eadem domo: quando scilicet lepra, aut alius similis morbus contagiosus, Matrimonium praecessit, & eo non obstante, a conjuge sano, & talem morbum non ignorante, contractum fuit; quia tunc videtur renunciasse juri suo, dum sciens sponte ad id per Matrimonium se obligavit.

Quæst. 11. Copula conjugalis potest-ne esse illicita ratione periculi, quod ex ea imminet proli?

Resp. Cum talis copula partui damnosa sit contra Matrimonii bona, & legem ipsam naturæ, inde sequitur, illicitam esse conjugibus; & ita dum uxor est gravida, & timetur de occisione fœtus in utero, vel de abortu, mortale est petere, & reddere debitum; sed cessante periculo fœtus, veniale saltem peccatum est in petente. Unde S. Augustinus maritos arguit, dicens (*de bono conjugal. c. 6. tom. 6.*): *Sunt usque adeo incontinentes, ut conjugibus nec gravidis pareant. Ratio conceptus, & partus*, inquit S. Ambrosius (*in Ep. 1. ad Cor. Refert. in Can. Si causa*, 33. *q.* 4.), *juxta legem cessari temporibus his debere demonstrat*. In Canone, *Non solum* (32. *q.* 7.), quod sancto Isidoro tribuitur, talis concubitus his verbis reprehenditur: *Sunt quædam, quæ sicut animalia absque ulla discretione indesinenter libidini serviunt, quas ego nec mutis pecoribus comparaverim; pecora enim cum conceperint, ultra non indulgent maribus copiam sui*. Et S. Hieronymus eos arguens, qui contra tabulas Matrimoniales aliter quam ad habendam sobolem Matrimonio utuntur (*lib.* 1. *contra Jovinian. refert. in Can. Origo* 32. *q.* 4.): *Certe*, inquit, *qui dicunt se causa Reipublicæ, & generis humani, uxoribus jungi, & filios procreare, imitentur saltem pecudes; & postquam venter uxoris intumuerit, non perdant filios, nec amatores se uxoribus exhibeant, sed maritos*. Quod perpendens S. Thomas (*in* 4. *dist.* 31. *in fin. in expositione textus.*): *Ex hoc imminet*, inquit, *periculum abortus; & ideo Hieronymus vituperat accessum viri ad uxorem imprægnatam, non tamen ita quod semper sit peccatum mortale, nisi forte quando probabiliter timetur de periculo abortus*. Unde ut ait S. Antoninus (*p.* 3. *tit.* 1. *c.* 21. §. 4.): „ Tempore prægnationis reddere debitum non est peccatum, & reddere „ debet, si non est periculum abortus; potest etiam exigere in dicto casu absque mortali. Sed ubi esset pe-

„ ricu-

„ riculum probabile abortus, nec debet exigi, nec red-
„ di: alias esset mortale secundum Petrum de Palude,
„ qui etiam dicit, quod petere debitum tali tempore,
„ est semper veniale, si tamen non sit periculum abor-
„ tus ".

Quæst. 12. Usus Matrimonii tempore puerperii, aut ablactationis pueri, est-ne malus ratione damni prolis?

Resp. Debitum petere, & reddere, ante completum tempus purgationum mulieris quæ peperit, seu tempore puerperii, non minus illicitum videtur, quam tempore fluxus menstrui; quia talis copula aliquo modo juri naturali adversatur, puerperii enim tempore mulier minus apta est ad concipiendam prolem; & si eam concipiat, nascetur in pessimo statu. Unde sanctus Gregorius Papa respondens interrogationibus sibi ab Augustino Anglorum Episcopo propositis (*c.* 10. *Refert. in Can. Ad ejus*, *dist.* 5.): „ Mulieres, *inquit*, nisi purgationis tem-
„ pus prius transierit, viris suis non debent admisceri:
„ quippe cum & sine partus causa, cum in consuetis men-
„ struis detinentur, viris suis misceri prohibeantur, ita ut
„ morte lex sacra feriat, si quis vir ad menstruatam mu-
„ lierem accedat ". Quem Canonem, ejus verba referens, Nicolaus primus amplexus est, dum circa dubia a Bulgaris proposita, quid agendum esset præscriberet: „ Quot
„ diebus, *ait summus Pontifex*, viro, postquam mulier
„ filium genuerit, ab ea sit abstinendum, non adinven-
„ tionibus nostris, sed verbis beatæ memoriæ Gregorii
„ Romani Pontificis declaratur ". Deinde Canonem superius allatum refert. Inde concludere licet, petenti tempore puerperii, reddendum non esse debitum. *Prohibentur enim conjuges*, ut ait Glossa (*Glossa in Can. Ad ejus*, *dist.* 5. *verb. Ablactetur.*), *illis temporibus commisceri*, *quia ex tali coitu nascuntur morbosi*, *& leprosi*. De tempore autem ablactationis pueri, videtur dicendum, quod tunc possit tantum esse illicitum petere debitum, quando ex hoc timetur aliquod notabile damnum proli; quod raro videtur accidere; & illud damnum cessat omnino in iis fœminis, quæ pueros aliis lactandos tradunt; in quo tamen sæpius inest aliqua culpa, saltem quando facile possent illos proprio lacte nutrire. Unde audiant, quid idem S. Gregorius dicat (*ubi supra.*): „ Ad ejus vero concubitum
„ vir suus accedere non debet, quousque qui gignitur,
„ ablactetur. Prava autem in conjugatorum moribus
„ consuetudo surrexit, ut mulieres filios quos gignunt,
„ nutrire contemnant, eosque aliis mulieribus ad nutri-
„ endum tradant; quod videlicet ex sola causa inconti-
„ nentiæ videtur inventum, quia dum se continere no-
„ lunt, despiciunt lactare quos gignunt. Hæ itaque,
„ quæ filios suos ex prava consuetudine aliis ad nutri-
„ endum tradunt, nisi purgationis tempus prius trans-
„ ierit, viris suis non debent admisceri ".

Quæst. 13. Quando nam licet, aut non licet, ratione amentiæ, petere, vel reddere debitum?

Resp. Constat primo, quod si amentia non sit perfecta, sed potius fatuitas quædam, & stoliditas, quæ usum totalem rationis, & libertatis non aufert; sive alter conjux, sive uterque ea laboret, copula inter eos nedum est licita, sed etiam est debita, petente alterutro. Et idem dicendum, si vir vere furiosus, habeat tamen dilucida intervalla, & tunc petat. Quod si unus ex conjugibus sit omnino mentis impos, ita ut nulla habeat unquam intervalla, ex natura rei; alter qui est sui compos, potest petere, & reddere debitum, licet forte non teneatur, quia furiosus non petit humano, & rationabili modo: tamen si ex eo concubitu probabile adsit periculum fœtus, aut prolis nascituræ, tunc nullo modo licet, ut infertur ex dictis, & ita videtur, quod regulariter illicita est copula conjugalis, ubi uxor est furiosa, & vir mentis compos; quia maximum subest periculum, ne mulier fœtui noceat; quod periculum cessat in homine furioso.

Quæst. 14. Copula conjugalis fit-ne illicita ratione modi?

Resp. Cum vix castis auribus tolerabilia sunt, quæ de hac materia, præsertim circa debitum, scribuntur, illa omnino præterire cogitaveram; sed ne lectoribus necesse foret Casuistas evolvere, qui eam fuse admodum, cum aliquo legentium periculo, pertractant, satius visum fuit, pauca ex Sanctorum verbis hic attexere. „ Tertius casus, „ in quo copula inter conjuges est peccatum mortale, est „ quantum ad modum, *inquit S. Antoninus* (3. *p. tit.* „ 1. *c.* 10. §. 3.), cum scilicet modus est contra natu- „ ram; sed dicit Thomas (*in dist.* 31. *in fine.*) in quar- „ tum, quod usus conjugii contra naturam, potest dici „ dupliciter: uno modo, cum prætermittitur debitum „ vas: & hoc semper est mortale secundum omnes Do- „ ctores, eo quod proles sequi non potest, & tota inten- „ tio naturæ frustratur. Unde Augustinus 32. *q.* 7. *Can.* „ Adulteris, post aliquas species luxuriæ nominatas subdit: „ Omnium horum pessimum est, quod contra naturam fit, „ ut si mulieris membro ad hoc non concesso vir uti vo- „ luerit: hæc ibi. Unde nullo modo uxor debet viro in hu- „ jusmodi assentiri; non enim excusaretur a mortali pecca- „ to, quantumcumque cum animi displicentia hoc faceret; „ nec timor, vel sufferentia verborum, vel futura inconti- „ nentia viri eam excusaret, nisi ei violentia absoluta infer- „ retur, a qua se non posset defendere; sed ex hoc in futurum „ licite ei posset debitum denegare. Secundus modus con- „ tra naturam est, quando servato debito vase, prætermit- „ titur modus a natura institutus quantum ad situm. Mo- „ dus enim a natura institutus quantum ad situm, est ut mu- „ lier jaceat in dorso, & vir supergrediatur super ventrem „ ejus; & hoc modo aptior fit conceptio. Quando ergo re-

„ cedi-

„ ceditur ab illo modo situali, dicunt aliqui, quod si „ servetur modus contrarius, ut quod vir nubit in fœminam, id est mulier supergreditur virum, quod peccat „ mortaliter, ut Petrus Paludanus, Henricus, & alii. Assignant pro ratione, quia talis modus non convenit seminis infusioni quoad virum, nec seminis receptioni „ quoad mulierem; & sic videtur impediri prolis generatio „ intenta a natura. Si autem alio modo indebito, servato tamen debito vase utatur, distinguit Petrus Paludanus; quia aut hoc facit præcise causa voluptatis, sine aliqua causa necessitatis, vel rationabili; & tunc dicit simpliciter etiam esse mortale, quia non est uxor „ ejus, nisi quoad actus naturales: aliter agendo abutitur Sacramento conjugii, sicut qui perverteret usum, „ & ritum alterius Sacramenti scienter, esset transgressor „ præcepti, non solum in essentialibus, sed etiam in accidentibus. Aut hoc fit ex causa rationabili, puta propter periculum suffocationis partus, propter quod timet „ modo debito ad uxorem accedere; sed ex alia parte accedit quam debita, servato tamen vasculo muliebri, „ nec scienter semen ad extra effundat, non erit mortale. Idem si hoc faciat ex alia infirmitate. Guil. etiam „ in Gloss. Raymundi dicit, quod cum hoc fit propter „ periculum suffocationis, vel ægritudinem, vel aliam „ indispositionem corporis, potest esse sine peccato; quanto „ autem magis receditur a naturalitate modi; tanto gravius peccatur. Sed Albertus Magnus in quartum dicit, „ quod nihil horum, quæ facit vir cum uxore in actu conjugali, servato debito vase, est de se mortale; sed potest esse signum mortalis concupiscentiæ, quando ei non „ sufficit modus determinatus a natura, sed alium invenit, causa se delectandi, cum non subest causa infirmitatis, vel alia rationabilis: ex quibus dictis videtur „ sentire Albertus, quod non impeditur generatio prolis „ per tales modos indebitos, servato debito vase; qui fuit maximus Philosophus. Et hanc rationem videntur „ assignare, qui dicunt, alios modos esse mortales, scilicet impedimentum prolis excipiendo. Dure ergo in „ tali excessu reprehendendi sunt conjuges, & quod abstineant, cum non subest causa: inducendæ sunt adhuc „ uxores, quod viris, a quibus communiter ista procedunt, non consentiant in hujusmodi; si tamen timore verborum, vel incontinentiæ virorum, eis assentiant, non possunt ex hoc argui de mortali, ex quo „ secundum Albertum de se illud mortale non est. „ Nam de intentione viri exigentis, qualitercumque „ non habet ipsa judicare, ut per hoc possit ei debitum „ denegare; nec de facili est præcipitanda sententia de „ tali modo, quod sit mortale in se ".

Ejusdem sententiæ videtur esse Divus Thomas (*ubi supra*): „ Usus contra naturam conjugis est, *inquit*, „ quando debitum vas prætermittit, vel debitum modum

„ a na-

„ a natura institutum quantum ad situm : & in primo
„ semper est peccatum mortale , quia proles sequi non po-
„ test ; unde totaliter intentio naturæ frustratur . Sed in se-
„ cundo modo , non semper est peccatum mortale , ut qui-
„ dam dicunt , sed potest esse signum mortalis concupi-
„ scentiæ: quandoque etiam sine peccato esse potest, quando
„ dispositio corporis alium modum non patitur . Alias tan-
„ to est gravius, quanto magis a naturali modo receditur “.

Quæst. 15. Quando alteruter, vel uterque conjux est excommunicatus , potest-ne inter eos peti , & reddi debitum ?

Resp. Excommunicatio , quæcumque sit , non tollit , aut minuit jus petendi , vel reddendi debitum : & conjux innocens nulla censura innodatur propter convictum , & cohabitationem cum altero conjuge , qui est excommunicatus : quia S. Gregorius VII. in Concilio Romæ habito (*Can. Quoniam* , 1. *q.* 3.) : „ Quoniam multos , *ait* , pec-
„ catis nostris exigentibus , pro causa excommunicationis
„ perire quotidie cernimus , partim ignorantia , partim ni-
„ mia simplicitate , partim timore , partim etiam necessi-
„ tate , anathematis sententiam ad tempus prout possumus,
„ opportune temperamus . Apostolica itaque authoritate ab
„ anathematis vinculo hos subtrahimus , videlicet uxores ,
„ liberos , servos , ancillas , seu mancipia, necnon rusticos,
„ servientes , & omnes alios, qui non adeo curiales sunt , ut
„ eorum consilio scelera perpetrentur, & eos qui ignoranter
„ excommunicatis communicant “. Et Alex. III. explicans illud Gregorii Decretum , ait (*Cap. Inter alia, De sent. excommunicationis*) : „ Quid cum quædam personæ in præ-
„ misso Capitulo denotatæ , illis in quos lata fuerit excom-
„ municationis sententia ante prolationem ipsius, obsequio
„ tenerentur familiariter adhærere , neque postmodum ad
„ contrarium teneantur, cum adhuc debitum duret , benefi-
„ cio Canonis id agente , priore non sunt obnoxietate solu-
„ tæ , sed ad familiare tenentur obsequium : & ita per
„ consequens ad communionem tenentur, sine qua illud ne-
„ queunt exhibere “ . Unde infertur , quod non obstante excommunicatione unius ex conjugibus , alter , sive vir , sive mulier , potest & debet habitare , petere & reddere debitum , ut antea . Notandum tamen , quod neuter conjux potest cum alio participare in crimine , ob quod excommunicatio in alterum lata est , quia sic incurreret eamdem excommunicationem ; ut videre est in Decretali superius allata , ubi postquam Innocentius III. uxorem & alias personas excepit ab incursu Censuræ ob communicationem , subjungit (*In fine*) : *Quibus tamen in his , pro quibus sunt excommunicatione notatæ ut in criminibus , communicare non debent , sed ab eis penitus abstinere* . Colligitur etiam ex cap. *Nuper* , *de Sententia excommunicationis* .

Quæst. 16. Quando quis contraxit Matrimonium cum impedimento simplicis voti continentiæ , potest-ne licite debitum petere , aut reddere ?

Resp.

Resp. Si habens votum continentiæ perpetuæ, contrahit absque valida dispensatione, numquam potest licite petere debitum, licet possit & debeat reddere: „ Quia, *ut* „ *ait sanctus Thomas* (in 4. dist. 38. qq. art. 5. quæstiun- „ cula 2. ad 4.), ex Matrimonii vinculo non obbligatur „ ad petendum debitum, ideo non potest petere debitum „ sine peccato, quamvis possit sine peccato reddere debitum „ exigenti, postquam obligatus est ad hoc per carnalem co- „ pulam præcedentem ". Quod etiam afferit sanctus Bonaventura, his verbis (*in 4. dist.* 28. *art.* 2. *q.* 1. *ad finem.*): „ Potest sine peccato solvere, quia facit id, ad „ quod tenetur: numquam tamen potest sine peccato pe- „ tere: & si uxor moriatur, tenetur omnino contine- „ re ". Unde si uterque conjux contraxisset post emissum votum simplex perpetuæ castitatis, neuter posset petere, licet videatur, quod uterque teneretur reddere.

Quæst. 17. Vovens castitatem post consummatum Matrimonium, potest-ne petere debitum, & reddere?

Resp. Conjux tali voto emisso, tenetur reddere, ut per se patet; sed non potest amplius petere: quia illud votum, non obstante Matrimonio, est licitum, & obligatorium; ut patet ex Concilio Lateranensi tertio, ubi Alexander III. sic loquitur (*in append. tit. de conjugat.*): „ Promisit quis, se non exigere debitum, quod in ejus „ potestate erat; & ideo quoad hoc votum tenuit; non „ reddere autem, non erat in ejus, sed in mulieris pote- „ state. *Et idem de uxore asseritur a Cælestino III. his* „ *verbis* (Can. 2. Refer. in cap. Quidam de Convers. con- „ jugat. Cap. Placet, De Convers. conjug.). Licet votum „ mulieris usquequaque non tenuerit, eatenus tamen fuit „ obligatorium, quatenus se poterat obligare; promisit „ enim intrando Monasterium, se non exacturam carnis „ debitum, quod erat in potestate ipsius; redire vero ad „ sæculum, in ejus potestate non erat, sed in potestate „ mariti: & ideo quantum ad ipsam tenuit votum, quod „ post viri obitum tenere non desiit ".

Quæst. 18. Ille qui cum voto Religionis, aut Ordinis sacri, contraxit Matrimonium potest-ne petere, aut reddere debitum conjugale?

Resp. Qui cum tali voto contrahit, graviter peccat; sed post primam consummationem Matrimonii potest licite reddere, & petere debitum, ut ait Tostatus (*in c.* 17. *Levit. q.* 6.). Notandum tamen, quod post mortem conjugis obligatio profitendi in Religione, quæ, pendente Matrimonio, fuerat tantum suspensa, reviviscit, ut colligitur ex sanctis Thoma, & Bonaventura, ubi supra; & idem plane dicendum est de eo, qui contraxit Matrimonium post votum de non contrahendo: *Est dubium*, inquit sanctus Antoninus (*S. Ant.* 2. *p. tit.* 11. *c.* 2. §. 1.), *utrum qui sic vovet, post Matrimonium contractum possit debitum petere, quia si simpliciter vovisset castitatem, non posset; & aliud videtur vovere casti-*

ſtitatem, aliud vovere non contrahere Matrimonium; quia ſecundus, ſcilicet vovens non contrahere, fornicando non frangit votum; primus e contrario quia vovendo unum, vovet quod implicatur in illo.

Quæſt. 19. Si poſt Matrimonium quis voveat Religionem, vel ſacros Ordines, poteſt-ne deinceps petere, & reddere debitum?

Reſp. Si conjux poſt Matrimonium tantum ratum, voveat Religionem, tenetur votum adimplere ante conſummationem; ſi vero conſummet, peccat quidem mortaliter prima vice; at deinceps poteſt petere, & reddere debitum conjugale, ut conſtat ex rationibus ſuperius allatis. Quod ſi poſt Matrimonium ratum quis voveat ſe ſuſcepturum ſacros Ordines, non tenetur; imo non poteſt eos ſuſcipere, niſi profiteatur Religionem; quia Ordines ſacri non ſolvunt Matrimonium ratum, ut conſtat ex cap. *Antiquæ*, *de voto*, *in Extravagantibus Joannis XXII.* Et ita non impeditur ex hoc, quominus poſſit reddere, & petere debitum; ſed mortua conjuge, aut ſoluto per divortium perpetuum Matrimonio, aut etiam conſentiente conjuge, tenetur votum adimplere. Quod ſi unus ex conjugibus poſt conſummatum Matrimonium voveat Religionem, aut Ordines ſacros, non propterea impeditur a petendo, aut reddendo debitum; quia non tenetur ad caſtitatem, donec revera ſtatum Religionis aut Ordinis aſſumpſerit, ut diximus ſupra. Sed tenebitur, cum primum poterit, votum adimplere: ut v. g. ſi conjux moriatur, vel velit etiam ingredi Religionem.

Quæſt. 20. Quando unus ex conjugibus, poſt conſummatum Matrimonium, vovit continentiam de licentia alterius, poteſt-ne deinceps petere, aut reddere debitum conjugale?

Reſp. Si votum perpetuæ caſtitatis emiſſum fuerit ab uno conjuge cum permiſſione abſoluta alterius conjugis, qua illum cenſeatur liberaſſe ab obligatione reddendi debitum; tunc conſtat, quod neque qui vovit, neque qui permiſit, poſſunt amplius ſine diſpenſatione petere, aut etiam reddere debitum: quia qui vovit, non poteſt petere ſine gravi peccato; faceret enim contra votum: neque qui permiſit, poteſt tunc reddere, quia cooperaretur ſcienter alterius peccato. Ille etiam qui permiſit, non poteſt petere, quia permittendo renunciavit juri ſuo.
„ Continentiæ vota, *ut habetur in Canone* (*Cap. Mani-*
„ *feſtum*, 33. *q.* 5.), nec mulier ſine conſenſu viri, nec vir
„ ſine conſenſu mulieris Deo reddere poteſt. Si autem con-
„ ſenſu alterius eorum, ab altero permiſſa fuerit, & ſi
„ poſtmodum in irritum deducere voluerit qui permiſit,
„ non tamen valet; quia in debito conjugii æque mulier
„ habet poteſtatem viri, ſicut & vir mulieris: atque ideo,
„ ſi quilibet eorum alterum a ſuo jure abſolverit, ad præ-
„ teritam ſervitutem ipſum revocare non poteſt “.

Quæſt.

Quæst. 21. Si vir & fœmina mutuo consensu voverint, vel fecerint pactum reciprocum de non petendo; possuntne deinde a voto, aut pacto recedere?

Resp. Si post ratum Matrimonium ambo de communi consensu emittant votum profitendi in Religione ante consummationem, neuter eorum potest petere, vel reddere, ut patet ex dictis supra; si tamen consumment, graviter peccant ea vice, sed postea possunt licite petere, & tenentur reddere, ex rationibus allatis num. 18. Quod si uterque post consummationem communi consensu voveant Religionem, licet maxime conveniat, ut deinceps abstineant a copula conjugali, etiam antequam votum revera adimpleverint profitendo in Religione, tamen si nullum votum simplex continentiæ tunc emiserint, & unus ex illis petat debitum, ante professionem videtur, quod alter teneatur reddere. Quia per solum votum profitendi in Religione, nullam aliam incurrerunt obligationem, quam suscipiendi Religionem, non autem ex tunc continendi: & ideo quousque Religionem profiteantur, possunt petere, nec eximuntur ab obligatione reddendi debitum: sed ut talia vitentur, quæ parum conveniunt post votum Religionis emissum, & periculosa sunt, satius est, quod in hoc casu statim conjuges votum continentiæ de communi consensu emittant. Sed si conjuges post consummatum Matrimonium, vel ante, voveant de communi consensu continentiam perpetuam, nullus eorum potest deinceps petere, aut reddere. Unde Sanctus Augustinus Edditiæ scribens (*Ep.* 199. *ad Edditiam*, *refert. in Can. Quod Deo*, 35. *q.* 5.); *Quod Deo*, inquit, *pari consensu ambo voveratis, perseveranter usque in finem reddere ambo debuistis; a quo proposito si lapsus est ille, tu saltem instantissime persevera: quod te non exhortarer, nisi quia tibi ad hoc ipse consenserat.* Demum si conjuges communi consensu faciant pactum de non petendo, nec reddendo; durante pacto, neuter eorum tenetur reddere, quia in hoc casu uterque renunciavit juri suo. Sed si communi consensu rescindant pactum, redeunt ad primæva jura, perinde ac si nullum pactum initum fuisset, quia, ut ait S. Joannes Chrysostomus (*refert. in c. Omnis*, *de reg. jur. apud Gregor.*), *Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur.* Si vero tale pactum initum fuerit cum juramento, cum ad illud concurrat invocatio Dei acceptantis, seu firmantis tale pactum, tunc præter mutuum consensum, necessaria est relaxatio facta a Deo, ex ratione regulæ modo allatæ; & ita oportet, ut fiat declaratio ab eo qui tenet locum Dei, seu a Prælato, quod virtute talis juramenti, ex aliqua causa, amplius non obligentur ad observationem pacti; neque enim aliter relaxari debent, aut possunt juramenta, quæ intuitu religionis, & pietatis fiunt.

Quæst. 22. Petitio, vel redditio debiti, fit ne illicita ob affinitatem supervenientem?

Resp.

Resp. Maritus qui copulam consummatam habet cum consanguinea uxoris, non potest amplius debitum petere, ut constat ex cap. 1. *De eo qui cognovit*, *&c.* ubi sic habetur: *Si quis cum filiastra sua scienter fornicatus fuerit, nec a matre debitum petere potest; & si petat, uxor non tenetur reddere.* Tamen talis conjux incestuosus tenetur reddere debitum, altero petente; quia, ut ait Innocentius III. (*Cap. Discretionem, eod. tit.*) *Affinitas, quæ post contractum legitime Matrimonium, inter virum & uxorem inique contrahitur, ei non debet officere, quæ hujusmodi iniquitatis particeps non existit, cum suo jure non debeat sine sua culpa privari.* Et de tali incestuoso sic loquitur Cœlestinus III. (*Cap. Transmissæ, eod. tit. Cap. Tuæ fraternitatis, &c Jordanæ, eod. tit.*) *Legitimæ uxori cohabitans, & necessaria subministrans, non cognoscat eam, quamdiu vixerit nisi ab ea fuerit requisitus: & tunc ad ipsam non sine gravi cordis dolore accedat.* Notandum autem, quod si v. g. mulier committat incestum, & ex eo contrahat affinitatem, consentiente, vel aliquo modo cooperante marito; tunc ille non potest amplius exigere debitum a conjuge, quæ facta est affinis, & illa non debet reddere; nam, ut ait S. Bonaventura (*in 4. dist. 34. p. 3. q. 2.*), *Conjux factus affinis ex incestu, amittit jus petendi debitum, non tamen reddendi, quia non potuit peccatum ejus præjudicare uxori, nisi fuerit conscia sceleris.* Et Canones modo allati ideo tantum decernunt, conjugem delinquentem teneri ad reddendum debitum innocenti uxori, quia uxor hujusmodi iniquitatis particeps non existit, & non debet sine culpa suo jure privari; igitur quando est particeps iniquitatis istius, privatur hoc jure. Et ratio est, quia affinitas ex delicto est causa, cur prohibeatur petitio delinquenti; sed in hoc ultimo casu est affinitas ex delicto in utroque conjuge: ergo uterque ex effectu hujus affinitatis privatur jure petendi, & consequenter reddendi debitum; quod a fortiori dicendum est, si uterque conjux invicem incestum commiserit cum consanguineis alterius; quia cum uterque ex hoc privetur suo jure; non possunt deinceps petere, aut reddere invicem debitum: & sicut hæc affinitas inducitur ipso facto, licet copula sit occulta, nec probari possit in judicio; ita illud impedimentum petendi, & reddendi debitum contrahitur ipso facto; & ut ait Glossa (*Glossa in Can. Nosse, 30. q. 1.*) *Statim ipso facto perditum est jus eligendi, licet per sententiam Ecclesiæ non sit ablatum jus: & cum non habeat alter jus petendi, nec reliquus dare tenetur*; modo certus sit de facto quod contracta est affinitas: & sicut hoc impedimentum affinitatis supervenientis propter copulam incestuosam, contrahitur, sive habita fuerit illa copula ante consummationem Matrimonii, sive post consummationem, ut patet ex cap. *Discretionem*: ita etiam impedit petitionem debiti, sive accidat ante consummationem, sive post consummationem.

Quæst. 23.

Quæst. 23. Si maritus, v. g. habeat copulam cum muliere affini uxoris suæ, vel cum propria consanguinea, perdit ne ex hoc crimine jus petendi debitum?

Resp. In his duobus casibus constat, nullam oriri affinitatem, quæ impediat petitionem debiti, quia textus Canonici supra relati loquuntur tantum de eo, qui habuit copulam cum consanguineis uxoris, non vero cum affinibus ejusdem uxoris; & licet ex affinitate aliqua forte possit oriri affinitas, ista tamen non dirimit matrimonium; neque etiam cum maritus cum propria consanguinea habet copulam, talis incestus producit aliquod impedimentum affinitatis: & ita cum in Jure Canonico nullibi prohibeatur petitio aut redditio in his casibus, concludendum est, non prohiberi.

Quæst. 24. Sunt ne aliqui casus, in quibus uxor v. g. non prohibeatur a petitione debiti, etiamsi habuerit copulam cum consanguineo?

Resp. Quotiescumque talis copula habita fuit sine peccato, non privat jure petendi debitum; & ita si per vim absolutam, vel per ignorantiam facti invincibilem accidit, non obstat, quominus possit peti, & reddi debitum, quia injustum est quemquam culpæ immunem, suo privari jure. Sed si ignorantia facti sit vincibilis & culpabilis, tunc non excusat, ut ratio suadet, & colligitur ex doctrina sanctorum Thomæ (*in 4. dist.* 34.) & Bonaventuræ (*in* 4. *dist.* 34.); & ita si uxor copulam habeat cum consanguineo mariti, dubitans aliquantulum, utrum sit consanguineus, non excusatur a privatione juris petendi debitum. Incurrit quoque eandem pœnam, etiamsi ignoret, eam fuisse statutam a sacris Canonibus: quia, ut dicitur in regulis Juris Canonici (*Cap. Ignorantia*, 13. *de regul. jur. in* 6.), *Ignorantia facti, non juris excusat*. Si vero copula incestuosa habita fuerit per metum cadentem in constantem virum, cum semper in ea adsit culpa mortalis, *Quia debemus*, ut ait Sanctus Augustinus (*de Civ. Dei lib.* 1. *c.* 1. *ref. in* 32. *q. Canon. Itane* 1.), *potius quælibet mala tolerare, quam malo consentire*: incurritur ex ea privatio juris petendi debitum; cum ille, qui eam habuit, effectus sit particeps iniquitatis, & reus criminis incestus.

Quæst. 25. Ad quem gradum se extendit hæc affinitas ex copula incestuosa post matrimonium, quæ privat jure petendi debitum conjugale?

Resp. Dicendum est, quod post Decretum Concilii Tridentini, affinitas per tale delictum contracta, non impedit petitionem debiti, nisi usque ad secundum gradum inclusive; nam propter eam solum rationem statutum est hoc impedimentum affinitatis circa petitionem debiti, quia affinibus erat vetitum contrahere, & copulari carnaliter; sed nunc non prohibentur contrahere ultra secundum gradum. Et ita concludendum est, hanc affinitatem

tatem

tatem non impedire petitionem debiti, nisi quando copula habita fuit cum consanguinea conjugis in primo vel secundo gradu: & illud fuisse decisum a summo Pontifice, refert Farinacius in Declarationibus super sess. 24. Concilii Tridentini, c. 5. de Matrimonio his verbis (*Conc. Tr. Sess. 23. de ref. Matr. c. 4.*) *S. D. N. Gregorius XIII. ex sententia Congregationis, dixit, per hoc Decretum sublatum censeri impedimentum quoque supervenientis affinitatis post contractum Matrimonium; quia si impedimentum dirimens sublatum est, quod majus est; ergo & illud quod solum impedit, ut is, per quem contracta est affinitas, sine peccato possit exigere debitum, quod minus est.* Videri possunt, quæ diximus in cap. 6. de impedimentis Matrimonii.

Quæst. 26. Superveniens cognatio spiritualis potest-ne reddere illicitam petitionem, vel redditionem debiti?

Resp. Cognatio spiritualis oritur inter conjuges, quando unus ex eis est minister vel patrinus in ministerio Baptismi, vel Confirmationis filii communis, vel filii alterutrius ex conjugibus: & olim quidem separabantur omnino conjuges propter similem cognationem supervenientem, ut patet ex Can. *Pervenit* (30. *q.* 1.), & Can. *Si quis* (30. *q.* 1.), ubi sic habetur: *Si quis filiastrum vel filiastram suam ante Episcopum tenuerit ad confirmationem, separetur ab uxore sua, & nunquam aliam accipiat.* Sed posterioribus summorum Pontificum Constitutionibus statutum fuit, quod ille tantum conjux, qui cum aliqua culpa talem cognationem spiritualem per Baptismum aut Confirmationem contraxisset, jure petendi debitum conjugale privaretur; sed tamen teneretur alteri petenti reddere. Unde primo talem pœnam non incurrit, qui filium baptizavit, vel etiam suscepit de sacro fonte in casu necessitatis: Nam Joannes Papa VIII. proposito hoc casu (*Can. Ad limina* 30. *q.* 1.): „ Quod „ quis filium suum in extremo vitæ positum, necdum „ Baptismatis unda lotum, absentia scilicet Sacerdotum, „ necessitate cogente, baptizasset, eumque ipse propriis „ manibus retinendo suscepisset, &c. *sic respondet*: Si „ supradictus genitor filium suum corpore morientem a- „ spiciens, ne animam perpetua morte morientem di- „ mitteret, sacri unda Baptismatis lavit, ut eum de pote- „ state authoris mortis & tenebrarum eriperet, benefe- „ cisse laudatur, & idcirco suæ uxori jam legitime so- „ ciatæ impune, quam diu vixerit, judicamus manere „ conjunctum". Et Alexander III. consultus (*Cap. Si vis de cognatione spirituali*), „ si vir vel mulier scien- „ ter, vel ignoranter filium suum de sacro fonte susce- „ perit, an propter hoc separari debeant? Nobis vide- „ tur, *inquit*, quod sive ex ignorantia, sive ex malitia „ id fecerint, non sunt ab invicem separandi, nec alter „ alteri debitum debet subtrahere, nisi ad continentiam „ servandam possit induci; quia si ex ignorantia id fa-

„ ctum est, eos ignorantia excusare videtur, si ex mali-
„ tia, eis sua fraus non debet patrocinari, vel dolus". Unde sic differit S. Thomas (*in 4 sent. dist. 42. q. 1. art. 1. in corp.*): Aut spiritualis cognatio inducitur causa ne-
„ cessitatis, sicut cum pater baptizat puerum in articulo
„ mortis; & tunc non impedit actum Matrimonii ex
„ neutra parte; aut inducitur extra casum necessitatis,
„ ex ignorantia tamen; & tunc si ille, ex cujus actu
„ inducitur, diligentiam adhibuit, est eadem ratio, sic-
„ ut & de primo: aut ex industria extra casum necessi-
„ tatis; & tunc ille, ex cujus actu inducitur, amittit
„ jus petendi debitum, sed tamen debet reddere, quia
„ ex culpa ejus non debet aliquod incommodum alius
„ reportare". Eodem plane modo loquitur sanctus Bonaventura (*in 4 sent. dist. 41. p. 1. q. 2. n. 8.*): „ Quan-
„ tum ad jus solvendi debitum, distinguendum; quia
„ hoc aut factum est ex necessitate, ut puta, quando
„ parvulus est in periculo mortis, & non est qui bapti-
„ zet eum: aut ex ignorantia, aut ex industria. In pri-
„ mo casu simpliciter non amittit jus petendi nec sol-
„ vendi: in secundo casu similiter, si fuit diligentia,
„ non amittit: in tertio casu amittit jus petendi, qui
„ hoc facit; tamen quia non debet peccatum suum alte-
„ ri imputare, tenetur reddere".

Quæst. 27. Quando post contractum matrimonium incidit dubium, vel etiam notitia impedimenti dirimentis, quod erat inter conjuges; quo pacto possunt in his casibus reddere, aut petere debitum?

Resp. Varii casus in hac quæstione includuntur, & ideo dicendum primo, quod si uterque conjux mala fide, seu cum dubio impedimenti dirimentis, quod erat inter eos, contraxit, neuter, durante tali dubio, potest petere vel etiam reddere debitum; quia nemo sine peccato potest exponere se periculo fornicationis. Et cum ille qui petit, in hoc casu semper illicite, & rem illicitam petat, alter non debet reddere. Secundo, si alter tantum cum mala fide, seu dubio non levi contraxit, non potest petere, sed tenetur, durante dubio, reddere innocenti, qui bona fide contraxit, & nullo modo dubitat de validitate Matrimonii. Unde Lucius III. consultus in casu dubii de impedimento ligaminis, sic scribit (*Cap. Dominus, de secundis nuptiis*): „ Si aliquis vel aliqua
„ de morte prioris conjugis adhuc sibi existimat dubitan-
„ dum, ei qui sibi nupsit, debitum non deneget postu-
„ lanti, quod a se tamen noverit nullatenus exigendum.
„ Quod si post hoc de prioris conjugis vita constiterit,
„ relictis adulterinis complexibus, ad priorem conjugem
„ revertatur".

Sed Innocentius III. varias in hac materia difficultates dilucide solvit (*Can. Inquisitioni, de sent. excomm.*):
„ Credimus distinguendum, inquit, utrum alter conju-
„ gum pro certo sciat impedimentum conjugii, propter

„ quod

„ quod fine mortali peccato non valet carnale commer-
„ cium exercere, quamvis illud apud Ecclefiam probare
„ non poffit; an non fciat certo, fed credat. In primo
„ cafu debet potius excommunicationis fententiam humi-
„ liter fuftinere, quam per carnale commercium pecca-
„ tum operari mortale. In fecundo diftinguimus utrum
„ habeat confcientiam hujufmodi ex credulitate levi &
„ temeraria, an ex probabili & difcreta; & quidem ad
„ fui Paftoris confilium (confcientiæ levis & temerariæ
„ credulitatis explofo) licite poteft non folum reddere,
„ fed exigere debitum conjugale. Verum cum confcien-
„ tia pulfat animum ex credulitate probabili & difcreta,
„ quamvis non evidenti & manifefta, debitum quidem
„ reddere poteft, fed poftulare non debet, ne in alteru-
„ tro vel contra legem conjugii, vel contra judicium
„ confcientiæ committat offenfam". Tertio, fi unus ex conjugibus dicat alteri, effe inter eos impedimentum dirimens, vel alias Matrimonium ex defectu confenfus, aut alio, effe nullum, alter non tenetur ei credere in propria caufa: & donec in veram dubitationem inducatur, poteft petere debitum; quia poffeffio bonæ fidei ftat pro eo, etiamfi lis moveatur ab alio coram Judice fuper nullitate Matrimonii; „ Quæris, *inquit Clemens III.* (*Cap.*
„ *Laudabilem ut lite pendente nihil innovetur.*), quan-
„ do Matrimonium accufari contingit, an ftatim fit car-
„ nale commercium fufpendendum? Ad quod breviter
„ refpondemus, quod conjugum alteruter accufatus, an-
„ te probatam accufationem, jure quod habet in altero,
„ privari non poffit". Tenetur tamen conjux innocens omnem adhibere diligentiam, ut fit certus de veritate, aut falfitate talis impedimenti, ne fe periculo fornicationis committat; & fi in dubium leve inducatur, poteft, eo rejecto, petere, & reddere debitum; fed fi illud dubium evadat probabile, & difcretum, ut ait Innocentius III. ubi fupra, tunc non poteft eo manente petere; fed fi alter conjux nihil dubitans petat, tenetur reddere, donec certus fit de veritate impedimenti dirimentis; qua certitudine femel admiffa, nullo pacto poteft reddere, etiamfi compellatur per excommunicationem, ut vidimus in Decretali modo relata: „ Si oriatur, *inquit Sanctus*
„ *Thomas* (*in 4. fent. dift.* 38. *in fine in expofitione lit-*
„ *ter.*), dubitatio aliqua de vita prioris viri, ex aliqua
„ caufa, quæ etiam certitudinem facere poffit, non de-
„ bet nec reddere, nec exigere debitum: fi autem caufa
„ illa facit probabilem dubitationem, debet reddere, fed
„ non exigere: fi autem fit levis fufpicio, poteft utrum-
„ que licite facere: quia debet illam caufam potius ab-
„ jicere, quam fecundum hoc confcientiam formare".
Iifdem fere verbis mentem fuam aperit Doctor Seraphicus, dum ait (*in 4. fent. dift.* 38. *in expofitione litteræ fub fin.*): „ Si mulier incipiat poft contractum Matri-
„ monium dubitare de morte prioris viri: aut eft dubi-

„ tatio levis ; & hæc secundum consilium Prælati poterit a corde removeri, & poterit debitum exigere, & reddere. Si vero probabiliter dubitat, debitum debet reddere, sed non exigere. Si vero certificatur de vita primi viri, nec petere debet, nec reddere: sed statim secundum virum deserere". Liceat hic obiter advertere, summos Pontifices Lucium, & Innocentium *, simulque Doctores Angelicum, & Seraphicum, aperte relatis modo verbis Probabilistarum opiniones explodere, dum scrupulum quidem, seu levem suspicionem rejiciendam esse asserunt: sed vera dubitatione manente, quæ ex rationibus æqualiter utrinque probabilibus consurgit, volunt, nos teneri agere juxta id quod tutius est, dum dicunt debere conjugem dubitantem reddere debitum, sed non posse petere; nam petendo exponeretur quis periculo fornicationis, quod vitat non petendo; non reddendo etiam exponeretur periculo agendi contra legem conjugii, & contra justitiam, quod vitat reddendo. Nec dicas exponi, etiam reddendo, periculo fornicationis; quia licet illud verum sit, tamen inter duo mala minus est eligendum, juxta doctrinam Canonum: & in hoc casu ex una parte adest dubium de fornicatione; ex altera autem est certa injustitia, & dubium de violatione conjugii: cum igitur injustitia sit majus crimen quam fornicatio, quia in injustitia offenditur Deus & proximus, & in fornicatione solus offenditur Deus; adde, quod in hoc casu injustitia est certa in non reddente, quia injuste spoliaret alium sua possessione ratione dubii; & in reddente

---

* *Cap. Duo mala, dist. 13.*
Duo mala licet sint omnino cautissime præcavenda; tamen si periculi necessitas ex his unum perpetrare compulerit, id debemus resolvere, quod minori nexu noscitur obligare
Can. Nervi, ib. ex S. Greg. Papa: Est quod ad destruendas Beemoth versutias subtiliter fiat, & dum mens inter minora, & maxima peccata constringitur, si omnino nullus sine peccato evadendi aditus patet, minora semper eligantur.
Cap. Non solum, 21. q. 4.
In omni quod agimus hæc est moderatio solertius observanda, ut si in talem forte lapsum versuti hostis inciderimus insidiis, ex quo sine aliquo peccati contagio surgere non possimus: illum potius evadendi aditum petamus, in quo minus periculi nos perpessuros esse credimus.
Cap. Ad audientiam de homic.
In dubiis semitam debemus eligere tutiorem.
Cap. Significastis, 28. de homic.
Cap. juvenis, de Sponsal. & matrim. In his quæ dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus.
Cap. Illud de Clerico excommunic. administrant. In dubiis, via est eligenda tutior.

dente fornicatio est tantum in dubio: ut ergo minus malum eligatur, debet reddi: & ita manente tali apparentia rationum, seu motivorum, ut intellectus neutri parti possit firmiter adhærere; sed dubitet semper, utrum sit impedimentum, necne; debemus agere in praxi secundum id quod tutius est, id est, quod magis removet a peccato, juxta constantem doctrinam sacrorum Canonum, & summorum Pontificum. Nec possunt probabilitatum amatores, judicii directi & reflexi inani distinctione effugere, & amoliri authoritatum illarum vim; cum scilicet nulla sit potior ratio, cur in his casibus judicium illud reflexum (quo quis judicat actum suum in praxi licere, quamvis ex judicio directo de illius bonitate dubitetur, propter rationes oppositas æqualis ponderis) petentes in dubio, vel non reddentes debitum, conjuges excusare non valeat: nam secundum Probabilistas, in casu illius dubii posset conjux petere, quia debet sequi opinionem probabilem sibi faventem, & per judicium reflexum ita discurrere: Quicumque agit juxta opinionem probabilem, bene agit; sed est opinio probabilis, quod validum sit Matrimonium, & ita quod possim eo uti; ergo bene ago eo utendo, & petendo debitum. Eadem ratiocinatione posset etiam idem conjux alteri petenti non reddere, quia est probabile, quod Matrimonium invalidum sit; & ita sequendo opinionem probabilem posset eum licite repellere. Sed explosa probabilitate, summi Pontifices Lucius, & Alexander, simulque illustres Ecclesiæ Doctores, & magna Theologiæ Scholasticæ lumina Sanctus Thomas, & Sanctus Bonaventura, asseruerunt, illum qui in dubio est, id est, qui inter duas opiniones æque probabiles versatur, quarum una quid licere, altera non licere asserit, teneri agere juxta tutiorem opinionem, quæ magis a peccato removet, & juxta hoc principium, casus supra dictos resolverunt. Quo posito, statuendum necesse est, nunquam licere sequi opinionem minus probabilem, & minus tutam, in concursu probabilioris, & tutioris; quandoquidem in concursu æque probabilis, minus tutam sequi non licet, ut patet ex Decretalibus supra relatis, & sanctis Doctoribus.

Quæst. 28. *Quot sunt casus, in quibus unus ex conjugibus potest negare debitum conjugale alteri petenti?*

Resp. De his casibus passim locutus sum hoc capite; ideo summarie & breviter hic tantum referam, & indicabo varios casus excusantes a redditione debiti; quorum primus est, quando reddi non potest sine notabili sanitatis detrimento, vel infectionis periculo, ratione lepræ, aut similis morbi contagiosi. Notandum tamen, quod fœminæ non excusantur a reddendo debito ob incommoda, & molestias, quas gravidæ experiuntur; neque etiam ob periculum, quod eis imminet ex partu; nisi ob aliquam infirmitatem, aut indispositionem corporis, assererent Medici, ex partu futuro, extraordinarium & præ-

 sens

sens vitæ, aut sanitatis periculum mulierem subituram; quia alias nubendo, pœnis a Deo Evæ & aliis mulieribus impositis se sponte subjecerunt. Secundo, cum ex concubitu adesset periculum fœtui, qui in utero est. Tertio, quando is qui petit, adulterium commisit. Quarto, quando unus ex conjugibus de Religionis ingressu per duos menses ante consummationem cogitat. Quinto, quando est impotens ad habendam copulam. Sexto excusatur ratione fluxus ordinarii sanguinis menstrui. Septimo, ratione temporis puerperii, seu purgationum mulieris quæ peperit. Octavo, ratione loci sacri, aut publici, aut in conspectu alterius. Nono, ratione dementiæ, aut ebrietatis petentis; præsertim quando adesset periculum proli nasciturae, vel fœtui. Decimo, ratione modi quo petens vult copulam habere. Undecimo, ratione voti emissi de consensu petentis, seu etiam pacti initi, eo durante. Duodecimo, ratione affinitatis contractæ a petente, per incestum. Decimotertio, ratione cognationis spiritualis contractæ a petente. Decimoquarto tandem, certa notitia nullitatis Matrimonii excusat conjugem a reddendo debito conjugi petenti. Hos omnes casus fusius supra explicavimus.

Quæst. 29. Conjux qui adulterium occulte commisit, privatur ne ipso facto jure petendi debitum, ita ut non possit exigere sine culpa?

Resp. Videtur, distinctionem esse faciendam in hac quæstione inter petitionem, & exactionem debiti conjugalis, quia exactio quamdam coactionem involvit, non autem petitio: petimus enim etiam non debita, & gratis concedenda. Hoc posito, videri potest, quod adulter conjux, sive vir, sive fœmina, potest petere sine peccato, non tanquam debitum, sed tamquam ex benevolentia concedendum; quia non absolute ex adulterio privatus est usu conjugii, ut privaretur ex incestu inducente impedimentum affinitatis; sed dicendum, juxta sanctorum Raymundi & Antonini mentem, non posse conjugem adulterum exigere debitum conjugale, tanquam debitum; quia amplius non debetur, & conjux innocens coram Deo, & re ipsa est absolutus ab obligatione reddendi tali adultero, quantumvis occulto; licet per accidens quamdiu adulterium perpetratum ignorat conjux innocens, ex conscientia erronea teneatur reddere: *Adulterans*, inquit sanctus Antoninus (3. *p. tit.* 1. *c.* 21. §. 9.), *quia peccando in legem Matrimonii, actu conjugii indignum se reddit, non debet exigere, nisi purgata culpa; alias peccat: reddere tamen tenetur exactus, secundum Raymundum.*

Quæst. 30. Tactus, aspectus, & delectationes morosæ, sunt-ne licitæ inter conjuges?

Resp. Breviter. Tactus, oscula, amplexus, & similia inter conjuges, si sine ordine ad copulam, sed ad solam voluptatem cum periculo pollutionis, vel etiam sine illo pe-

periculo habeantur, sunt illicita, ut colligitur ex sancto Antonino; sed si talia ordinentur ad copulam, licita fiunt, & induunt rationem copulæ, ad quam naturaliter ordinantur, „ Sextus casus, *inquit sanctus Antoninus* „ (*1. p. tit. 1. c. 21. §. 6.*), in quo conjuges peccant mor- „ taliter, est quando conjux voluptatem prævenit, & „ provocat diversis modis, ut manibus, vel cogitationi- „ bus: vel utendo calidis, & incentivis, ut possit plu- „ ries convenire. Hoc tamen non simpliciter intelligen- „ dum est, sed quando in talibus præparatoriis propter „ se delectaretur: sicut si confricationibus impudicis mem- „ bra attrectando, sequatur pollutio extra vas debitum, „ non est dubium quod est mortale; quia omnis pollu- „ tio extraordinaria est peccatum mortale, quando vigi- „ lando procuratur. Idem videtur, si diu insistat in hu- „ jusmodi, non intendendo venire ad actum conjugalem, „ sed finem in his ponere. Sed si quis causa generandæ „ prolis, vel vitandæ fornicationis in se vel in socio, „ aut debitum reddendi, cum alias sit impotens, se pro- „ vocet esu, vel potu calefactivorum, aut osculis, & „ amplexibus; quibus etiam animalia se provocant, ut „ columbæ, & ursi, vel aliquibus aliis tactibus, in qui- „ bus non quærit propter se delectari, sed solum ad a- „ ctum illum præparari, non videtur peccatum: quia li- „ cet juvare naturam corporis ad obediendum rectæ ra- „ tioni. Item si hoc facit, ut sit potens cognoscere pro- „ pter delectationem, quam tamen nollet cum alia ex- „ periri; tunc gravius peccat præveniendo delectatio- „ nem, non tamen mortaliter, quia non quærit in hac „ provocatione delectari, sed in actu conjugali: unde „ videtur idem specie, quod de fine". Ut autem osculi gravitas ponderetur, sive inter non conjugatos, sive inter conjugatos, quando non in signum urbanitatis, & benevolentiæ, neque in ordine ad copulam habetur, propositionem ab Alexandro VII. inter alias damnatam hic juvat apponere, 40. propositio damnata: *Est probabilis opinio, quæ dicit, esse tantum veniale osculum habitum ad delectationem carnalem & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis*. Delectationes autem morosæ inter conjuges habitæ, ex cogitatione voluntaria concubitus inter illos exerciti, vel exercendi, quando actu non referuntur ad illam copulam statim habendam, illicitæ sunt, & sæpius mortalem culpam involvunt, quia delectatio venerea, quæ non tendit, & refertur ad copulam, est ipsis conjugibus illicita: sicut non conjugato nequaquam licet delectationem morosam habere de copula cum uxore, quando erit conjugatus: neque viduæ, de copula habita cum marito; neque sponsis de futuro, de copula habenda post Matrimonium. Sed de materia adeo periculosa hæc dixisse sufficiat.

SANCTISS. D. N. D.

INNOCENTII

DIVINA PROVIDENTIA

PAPÆ XII.

Constitutio, qua plura declarantur, ac præscribuntur pro tollendis abusibus & fraudibus circa Ordinationes alienorum subditorum.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

SPeculatores Domus Israel, quæ est sancta Dei Ecclesia, per ineffabilem Divinæ Bonitatis abundantiam constituti, eo potissimum ab ipsis Pontificatus Nostri primordiis Pastoralis Vigilantiæ nostræ studia convertenda esse duximus, ut qui in sortem Domini vocantur, sacrisque addicuntur ministeriis, quippe quos irreprehensibiles esse convenit, ut præesse valeant corrigendis, ac in quos tamquam in speculum reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt, quod imitentur; tales sint, qui digne possint Dominica Sacramenta tractare, ac ædificent cunctos tam fidei scientia, quam operum disciplina.

Sane hoc inito consilio, non alios, quantum fieri potest, quam qui in sanctitate, & justitia per ordinatissimos Ecclesiasticæ Militiæ gradus statis intervallis ambulaverint, ac pie & fideliter in Ministeriis anteactis se gesserint, ad Sacerdotium assumi, sacrasque Ordinationes, juxta priscum Ecclesiæ morem, præscriptis a jure temporibus, orationi, ac jejunio consecratis, haberi cupientes, severiorem quandam in concedendis indultis suscipiendi sacros Ordines extra tempora hujusmodi, & interstitiis ad id designatis minime servatis, ultro Nobis proposuimus adhibendam rationem; qua videlicet servata, ante meritum laboris, ante tempus examinis, ante experientiam disciplinæ, Sacerdotalis honor non probatis

tis minime tribuatur; nec unquam heri sacrilegi, hodie Sacerdotes, heri prophani, hodie sacrorum Antistites, veteres vitio, virtute rudes, & recentes discipuli simul, ac Magistri pietatis creentur; sed ii tantum, juxta constitutas a Majoribus Leges, ab humili gradu fidelis populi ad sacrarum administrationum sublimitatem promoveantur, qui post mutatum habitum sæcularem diuturna conversatione inter Clericos fuerint comprobati, ac multo tempore didicerint, quæ postmodum alios docere tenentur.

Cæterum per ea ipsa indulta, quæ super præmissis parcius quidem, ac ex certis tantum, & magis rationabilibus causis concedere decrevimus, contraria quavis illorum interpretatione penitus improbata, salutarem illam, quam sacri Generalis Tridentini Concilii Decreta de non ordinandis ad patrimonii titulum, nisi illis, quos Episcopi pro necessitate, vel commoditate suarum Ecclesiarum assumendos judicaverint, præscribunt, disciplinam nequaquam relaxatam intelligi, quinimo nec unquam ad indulta hujusmodi exequenda Episcopos ipsos arctare, sed illorum executionem arbitrio semper eorumdem Episcoporum, quorum conscientias hac in re strictissime oneratas voluimus, prorsus relinquere declaravimus: sperantes in Domino, eos, qui juxta Apostoli monitum, nemini cito manus imponendas esse probe norunt, sibi, & universo gregi attendentes, in quo eos posuit Spiritus sanctus regere Ecclesiam Dei, reverenda ipsis spiritibus Angelicis Ministeria, ab hominibus sine consideratione apprehendi numquam permissuros, nec temere recipi passuros, quæ vita probata dumtaxat accipere promeretur.

Omnes insuper & singulos, cujuscumque tandem gradus, ordinis & dignitatis fuerint, quibus ex hujus sanctæ Sedis gratia sacros Ordines præfatos extra eadem tempora conferendi, vel aliis, ut illos sic conferre valeant, indulgendi potestas fieri consuevit, cum divinos Ordines largiri districti semper esse judicii oporteat, serio monitos voluimus, ut præscriptos sibi desuper in suis quique facultatibus terminos religiose custodiant, nec eos, cujusvis consuetudinis, aut exempli prætextu, ullatenus transgrediantur.

Verum quo impensius Apostolicæ gubernationis curam & cogitationes in hæc intendimus, eo majori cum animi nostri dolore, ex quamplurium Venerabilium Fratrum nostrorum Archiepiscoporum & Episcoporum in diversis Regionibus existentium delatis ad nos querelis accepimus, graviora quotidie malignari inimicum in Sancto, sacrilega scilicet illorum impudentia in dies crescente, qui propriæ salutis immemores, Clericales Ordines sibi forsan a propriis Præsulibus denegatos, seu quos aliquibus canonicis sibi obstantibus impedimentis, denegari merito verentur, ab alienis Episcopis, non quæ Jesu

Christi, sed eas, quæ ad ipsos non pertinent Oves, in animarum suarum perniciem quærentibus, nec tot canonicas damnationes contra usurpantes alienæ plebis hominem latas perhorrescentibus, absque suorum Prælatorum commeatu, hoc est, dimissoriis commendatisve eorum litteris destituti, quinimo eis inscijs, & sæpe etiam invitis, sub minus legitimis Beneficii Ecclesiastici, Originis, Domicilii, seu etiam familiaritatis, ac continuæ Ordinantium Episcoporum commensalitatis quæsitis titulis, in sacrarum legum fraudem & contemptum illegitime suscipiant; atque ita non intrantes per ostium, & nihilominus Tabernaculum Domini cum macula inhabitare non dubitantes, Sacrificium in sacrilegium convertunt, judicium absque misericordia sibi consciscunt, Deoque minime placentes, & tamen placere velle præsumentes, non modo eum non placant, sed magis irritant, dum videntur in cordibus suis dicere, Non requiret.

Hinc est, quod nos ex commissæ nobis divinitus Apostolicæ servitutis munere, abusus, fraudes, ac scandala hujusmodi penitus, & omnino e medio tollere, ac irreligiosam contra facientium audaciam, quantum Nobis ex alto conceditur, compescere, & reprimere volentes, necnon felicis record. Urbani VIII. contra male ordinantes, & male ordinatos, quæ incipit: *Secretis*, aliorumque Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, ac etiam conciliaribus hac in re editis Constitutionibus, & Ordinationibus inhærentes, illasque quoad ea, quæ præsentibus non adversantur, quatenus opus sit, innovantes; de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, ejusdem Concilii Tridentini Interpretum, qui quæcumque antehac super præmissis ab ipsorum Cardinalium Congregatione in particularibus casibus edita Decreta, declarationes, seu responsa, ad earumdem præsentium limites reducenda esse censuerunt, consilio, ac etiam motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ad omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiæ utilitatem, veteris disciplinæ instaurationem, totiusque Christiani Populi ædificationem:

Hac generali nostra, & perpetuo valitura Constitutione, decernimus & declaramus, nulli Episcopo, seu cujusvis loci Ordinario, tametsi Cardinalatus honore fulgeat, licere, exterum quempiam, ac sibi ratione originis, seu domicilii, juxta modum inferius declarandum, legitime contracti non subditum, ad Clericalem tonsuram promovere, cujusvis Beneficii Ecclesiastici ei statim, ac tonsura hujusmodi insignitus fuerit, conferendi, seu ad quod is a Patronis jam præsentatus, seu nominatus fuerit, prætextu; etiamsi Beneficium prædictum de novo ea expresse adjecta lege fundatum fuisse constiterit, ut quis immediate post Clericalem characterem susceptum ad illud instituatur. Præterea Clericum, qui legi-

legitime jam a proprio Episcopo ad eandem Clericalem tonsuram, seu etiam ad Minores Ordines promotus fuerit, non posse ab alio Episcopo ratione, ac titulo cujuscumque Beneficii in illius Diœcesi obtenti, ad ulteriores Ordines promoveri, nisi ante eorumdem susceptionem testimoniales litteras proprii Episcopi, tam Originis, quam Domicilii super suis natalibus, ætate, moribus, & vita sibi concedi obtinuerit, easque Episcopo ordinanti in actis illius curiæ conservandas exhibuerit.

Licet vero Clericus ratione cujusvis Beneficii in aliena Diœcesi obtenti, subjici dicatur jurisdictioni illius Episcopi, in cujus Diœcesi Beneficium hujusmodi situm est; eam tamen de cætero hac in re inconcusse servari volumus regulam, ut nemo ejusmodi subjectionem ad effectum suscipiendi Ordines acquirere censeatur, nisi Beneficium prædictum ejus sit reditus, ut ad congruam vitæ sustentationem, sive juxta taxam Synodalem, sive ea deficiente, juxta morem Regionis, pro promovendis ad sacros Ordines, detractis oneribus, per se sufficiat, illudque ab Ordinando pacifice possideatur, sublata quacumque facultate supplendi, quod deficeret fructibus ejusdem Beneficii, cum adjectione Patrimonii etiam pinguis, quod ipse Ordinandus in eadem, seu alia quavis Diœcesi obtineret: ac Episcopus sic Ordinans tam de prædictis testimonialibus litteris, quam de reditu Beneficii hujusmodi, expressam in consueta collatorum Ordinum attestatione mentionem facere debebit.

Cæterum subditus ratione originis is tantum sit, ac esse intelligatur, qui naturaliter ortus est in ea Diœcesi, in qua ad Ordines promoveri desiderat, dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti, occasione nimirum Itineris, Officii, Legationis, Mercaturæ, vel cujusvis alterius temporalis moræ, seu permanentiæ ejus Patris in illo loco; quo casu nullatenus ejusmodi fortuita nativitas, sed vera tantum, & naturalis Patris origo erit attendenda.

Quod si quis tanto temporis spatio in eo loco, in quo ex accidenti, sicut præmittitur, natus est, moram traxerit, ut potuerit ibidem Canonico aliquo impedimento irretiri; tunc etiam ab Ordinario ejus loci litteras testimoniales, ut supra, obtinere, illasque Episcopo ordinanti per eum in collatorum Ordinum testimonio similiter recensendas præsentare teneatur.

At si Pater in alieno loco, ubi ejus filius natus est, tamdiu, ac eo animo permanserit, ut inibi vere domicilium de jure contraxerit; tunc non origo Patris, sed domicilium per Patrem legitime, ut præfertur, contractum, pro ordinatione ejusdem filii attendi debeat.

Subditus autem ratione domicilii ad effectum suscipiendi Ordines, is dumtaxat censeatur, qui, licet alibi natus fuerit, illud tamen adeo stabiliter constituerit in ali-

quo loco, ut vel per decennium saltem in eo habitando, vel majorem rerum, ac bonorum suorum partem, cum instructis ædibus in locum ejuscemodi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit, & nihilominus ulterius utroque casu se vere, & realiter animum hujusmodi habere jurejurando affirmet. Si quis tamen a propriæ originis loco in ea ætate discesserit, qua potuerit alicui Canonico impedimento obnoxius effici, etiam Ordinarii suæ originis testimoniales litteras, ut supra, afferre debebit, ac de illis expressa similiter mentio in susceptorum Ordinum litteris facienda erit.

Ad hæc nullus Episcopus alienæ Diœcesis subditum familiarem suum ad aliquos sacros, seu minores Ordines, vel etiam primam tonsuram promovere, seu ordinare præsumat absque ejus proprii, Originis scilicet, seu Domicilii, Prælati testimonialibus litteris, ut supra; & nisi ad præscriptum Concilii Tridentini præfati, sess. 23. c. 9. de Reform. familiarem prædictum per integrum, & completum triennium in suo actuali servitio secum retinuerit, ac suis sumptibus aluerit; Beneficium insuper, quod ei ad vitam sustentandam, juxta modum superius præfinitum, sufficiat, quacumque fraude cessante, statim, hoc est, saltem intra terminum unius mensis a die factæ Ordinationis, re ipsa illi conferat, ac in Ordinationis hujusmodi testimonio expressam itidem familiaritatis, ac litterarum prædictarum mentionem facere teneatur.

Porro, ut quicumque fraudibus aditus omnino præcludatur, volumus, & Apostolica authoritate statuimus, atque decernimus, ut Episcopus quilibet suos ratione Originis, sive Domicilii subditos Clericos, quoscumque ab alienis Episcopis quavis authoritate etiam cum suis commendatitiis litteris promotos, nedum ad formam Concilii Tridentini supradicta sess. 14. c. 3. de Refor. quoad scientiam examinare valeat, verum etiam Ordinum eis collatorum testimoniales litteras, gratis tamen, recognoscere, ac diligenter perquirere, an quoad illos præsentis Constitutionis forma & dispositio adimpleta fuerit, assignato sic promotis termino competenti ei magis bene viso ad docendum de ejusmodi adimplemento, ita ut quos eo termino elapso id minime præstitisse compererit, a susceptorum Ordinum exercitio, si ita & quandiu ei expedire videbitur, suspendere, illisque ne in altari, aut in aliquo Ordine ministrent, interdicere possit.

Ita vero præmissa omnia, & singula perpetuo ac inviolabiliter observari, atque adimpleri volumus, ut si quid in iisdem præmissis, seu eorum aliquo secus fiat, Ordinans quidem a collatione Ordinum per annum, Ordinatus vero a susceptorum Ordinum executione, quam-

quandiu proprio Ordinario videbitur expedire, eo ipso suspensus sit; aliisque insuper gravioribus pœnis pro modo culpæ, nostro, & pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio infligendis, uterque subjaceat.

Decernentes pariter, easdem præsentes litteras semper firmas, validas & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime, & inviolabiliter observari. Sicque & non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, ac Sedis præfatæ nuncios, aliosve quoslibet, quacumque præeminentia, & potestate fungentes & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate & authoritate, ubique judicari & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus præmissis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, aut quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & litteris Apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus in genere, vel in specie, seu alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut alia aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum exprimerentur & insererentur, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, eisdem præsentibus pro expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut præsentes litteræ in valvis Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, necnon Cancellariæ Apostolicæ, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, publicentur, & affigantur, sicque publicatæ, & affixæ, omnes & singulos, quos illæ concernunt, perinde arctent, & afficiant, ac si unicuique eorum nominatim & personaliter intimatæ fuissent: Quodque earumdem præsentium transumptis, seu exem-

exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides, tam in judicio, quam extra illud, ubique adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum Decretorum, Declarationis, Voluntatis, Statuti, & Derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire: ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctam Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo quarto, pridie nonas Novembris, Pontificatus noſtri anno quarto.

B. Card. Prodatarius.

J. F. Card. Albanus.

Viſa de Curia. J. Sacripantes.

D. Ciampinus.

Loco ✠ Plumbi.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Anno a Nativitate Domini noſtri Jeſu Chriſti milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo-quarto, indictione ſecunda, die ſexta menſis Novembris, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Innocentii Divina Providentia Papæ XII. anno quarto, ſupradictæ litteræ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Eccleſiæ Sancti Joannis Lateranenſis, Baſilicæ Principis Apoſtolorum, & Cancellariæ Apoſtolicæ, in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis & conſuetis Urbis, per me Thomam Orlandum, ejuſdem Sanctiſſimi D. N. Papæ Curſorem.

Franciſcus Antonius Simoncellus.
Mag. Curſ.

DECRETA

Congregationis a Sanctiſſimo Domino noſtro ſpecialiter deputatæ ſuper moderatione Indultorum ſuſcipiendi Ordines extra tempora a Jure ſtatuta.

SAnctiſſimus Dominus noſter INNOCENTIUS Papa XII. pro paſtorali ſuo in commiſſum ſibi gregem Dominicum zelo, ac tuendæ diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſtudio,

dio, prospicere volens, ne indulta suscipiendi extra tempora a Jure statuta Ordines, nimis facile concedantur, Congregationi particulari Eminentissimorum D. D. Cardinalium Carpinei, Casanatis, Marescotti, Colloredi, Panciatici, & Albani, nec non Illustrissimorum D. D. Sperelli, Ciampini, Sacripantis, meique Secretarii infrascripti specialiter deputatæ, expendendas commisit causas, ex quibus præfata indulta tribui solent, ut Sanctitati suæ referri posset, quæ ratio deinceps ineunda, modusque adhibendus videretur in concessione similium indultorum.

Quæ quidem Congregatio in ædibus præfati Eminentissimi Carpinei, die 10. Novemb. atque iterum 7. Decembris anni currentis habita, re mature discussa, censuit, indulta hujusmodi, si Sanctissimo placuerit, concedi posse ex causis infrascriptis: videlicet,

Ut quis Beneficio, vi cujus arctatur ad Presbyteralem Ordinem suscipiendum, vel alteri etiam perpetuo Beneficio, quod obtinet, vel Capellaniæ ad vitam sibi concessæ, per se ipsum inservire possit. Ob Penuriam Sacerdotum in illis partibus, vel in monasterio pro Regularibus. Ob solatium patris vel matris, dummodo quinquaginta ætatis annos excedant, & orator saltem per triennium in Clericali habitu honeste, & laudabiliter vixerit. Item concedi posse censui eadem indulta Referendario utriusque signaturæ, familiaribus Summi Pontificis, Canonicis Cathedralis, vel etiam Collegiatæ Ecclesiæ, eorumque coadjutoribus, Magistris, seu etiam Baccalaureis in sacra Theologia, Doctoribus utriusque, vel saltem Canonici juris, seu licentiatis, dummodo singulos præfatos gradus in publica, & approbata Universitate obtinuerint: iis etiam qui saltem per triennium sedulam Theologiæ studiis operam navaverint; ac tandem 26. ætatis annum excedentibus, si per triennium in Clericali habitu honeste, & laudabiliter vixerint.

E contra censuit, non expedire, ut eadem indulta concedantur, ex eo quod quis Diaconus, Subdiaconus litterarum Apostolicarum scriptor sit, seu magister in artibus, nobilis, aut præsens in Curia, vel quod Philosophiæ cursum absolverit, aut alicui Ecclesiæ adscriptus fuerit, ad cujus servitii titulum, ex Apostolico indulto, Clerici ordinari possunt: aut onus Missarum, non tamen ex Beneficio ecclesiastico proveniens, habere se doceat.

Insuper censuit, indulta hujusmodi deneganda esse iis, qui aliqua dispensatione indigent impedimenti ex eorum delicto provenientis; & Sede Episcopali vacante, infra annum a die vacationis, minime danda iis, qui Beneficii ecclesiastici recepti, seu recipiendi occasione, arctati non fuerint.

Item numquam concedenda pro festivis diebus continuis, sed semper pro interpolatis aliquo temporis spatio, arbitrio Episcopi definiendo.

Deni-

Denique censuit, Episcopos omnes, ac etiam Apostolicos Nuncios & Legatos, litteris in forma Brevis circularibus admonendos, decrevisse Sanctitatem suam, indulta prædicta non ita passim, sed ex certis tantum legitimisque causis concedere; nec Episcopos ad eorum executionem adstringere, sed illam semper ipsorum arbitrio, onerata eorumdem conscientia relinquere. Item per eadem indulta licentiam non tribui promovendi quempiam ad patrimonii titulum, nisi ad normam Concilii Tridentini; eos vero omnes, qui ab Apostolica Sede facultates obtinent conferendi Ordines extra tempora, vel aliis respective tribuendi licentiam, ut conferant, maxime cavere debere, ne præscriptos sibi in iisdem facultatibus limites, cujusvis consuetudinis, aut exempli prætextu, transgrediantur.

Hæc autem omnia & singula supradicta Decreta, audita ex me integra ipsorum relatione, Sanctissimus Dominus noster laudavit & approbavit, ac tam in Dataria, & Secretaria brevium, quam a cæteris omnibus Ministris & Officialibus Curiæ, ad quos pertinet, perpetuo & inviolabiliter servari mandavit, sublata omnibus quacumque facultate, prædicta indulta aliter quam ad formam eorumdem Decretorum, in posterum expediendi. Hac die 14. Decembris 1693.

Carolus Augustinus Fabronus
Secretarius.

INSTRUCTIO PAROCHORUM *& Confessariorum pro Casibus, quorum absolutio, seu dispensatio a Sacra Pœnitentiaria Apostolica impetratur.*

CUM sæpe sit experientia compertum, plurimos utriusque sexus Christi fideles, & præcipue in longinquis degentes, censurarum vinculis, votorum obligationibus, Matrimoniorum impedimentis, necnon irregularitatum, & casuum quoquomodo reservatorum ligaminibus adstrictos ad sanctam Sedem, ejusque Sacram Pœnitentiariam spectantibus irretitos, in illis lacrymose persistere, & continuis conscientiæ agitationibus laboriose perdurare, cujus mali causas ex similibus provenire innotuit.

Primo, eo quod Parochi, vel alii, ad quos hujusmodi Pœnitentes recurrere contingit, in Pagis, aut locis ruralibus degunt, & viam, modumque recurrendi ad præfatam Sacram Pœnitentiariam ignorant, nec aliquem hic Romæ agnoscunt, ad quem supplicationes dirigant, unde Pœnitentes perplexos dimittunt; quibus cum ad Ordinarium accedendi (fœminis præsertim) verecundia aut timor aditum intercludat, consilium ulterius requirere nescientes, remedium disperant, & in prædictis vinculis, obligationibus, impedimentis, inhabilitatibus, & casibus reservatis, cum periculo damnationis insordescunt.

Secun-

Secundo evenit, quod Pœnitentes egeni recognitionem pro solicitatione, & labore agentium, Romæ commorantium, exolvere non valentes, inconsolati, ac conscientiæ morsibus concussi, in periculoso statu manere coguntur, & forte (quod pejus est) sibi persuadent, Sacræ Pœnitentiariæ Tribunal aliquid lucri pro litteris prædictis recipere, cum re vera Sacræ Pœnitentiariæ Ministri nec aliquid quamvis minimum, nec etiam sponte oblatum, unquam recipiant, & gratis omnia exhibentes, singulos ad se recurrentes, serena fronte complectantur.

Tertio accidit etiam nonnumquam per inadvertentiam exponentium, ut gratiæ juxta exposita obtentæ, irritæ evadant, eo quia casus & circumstantias necessarias reticent; unde fit, quod litterarum executores, casu postea Pœnitentium examinato, rem aliter se habere, quam expressum fuerat, comperiant, & gratias subreptitias aut obreptitias esse inveniant: quare Pœnitentes confusi remanent, & spe novæ dispensationis se carere putantes, in prædictis vinculis, obligationibus, &c. miserabiliter remanent.

Quare gratum Deo, & utile fidelibus futurum esse speratur, si iste modus recurrendi ad ipsam Sacram Pœnitentiariam proponatur.

Confessores itaque, cum Pœnitentes vinculis præfatis irretitos ad se accedere contigerit, casuum qualitates, & præfatorum casuum circumstantias considerent, causasque dispensationum, aut commutationum exprimant; & caveant, ne quod occultum est, publicum faciant, præsertim impedimenta occulta Matrimoniorum; nam publica, vel ad publicum redacta, non pertinent ad Sacram Pœnitentiariam.

Et sic præfati Confessores, seu Pœnitentes, poterunt casus præfatos cum dictis circumstantiis, & causis exponere, sive Latino, sive quocumque alio idiomate propriæ regionis; nam Sacra Pœnitentiaria suos ex quacumque regione Pœnitentiarios subordinatos habet: & exprimant insuper in fine expositionis casus nomen, & cognomen, cui sit a Sacra Pœnitentiaria rescribendum, etiam si ipsum nomen, & cognomen sit fictitium. Itemque modum, per quem responsio secure dirigi possit, significando scilicet vulgari nomine oppidum, seu civitatem, & regionem, cum data mensis, & anni, in hunc modum.

Intus incipiant Epistolam, seu supplicationem sic:

Eminentissime, & Reverendissime Domine.

N. Mulier emisit votum simplex castitatis; manet in periculo incontinentiæ, nisi nubat: supplicat sibi votum commutari, ad effectum contrahendi Matrimonium.

Ter-

Terminent Epistolam, seu supplicationem sic; Dignetur Eminentia vestra rescribere ad N. N. & exprimant nomen, & cognomen, cui est rescribendum; Ac Civitatem N. exprimendo nomen Civitatis: Per Oppidum N. exprimendo vulgari nomine, nomen Oppidi. Et dirigere Breve, seu gratiam simplici Confessario, Magistro in Theologia, sive Decretorum Doctori, sive Parocho, cui Pœnitens aperuit suam conscientiam, ne ipse Pœnitens, & præsertim fœminæ cogantur circumire pro executione gratiæ Sacræ Pœnitentiariæ.

Dirigant Epistolam, seu supplicationem scribendo extra, seu a foris, in hunc modum:

Eminentissimo, & Reverendissimo Domino, Domino Cardinali Majori Pœnitentiario.

Romam.

Et, si tardaverit responsio, Confessarii rescribant, ne forte sit deperdita; & nunquam desperent Pœnitentes.

Monentur insuper Parochi, sive Confessarii, ad quos præsentes litteræ pervenerint, illarum notitiam, quibus poterunt, pro animarum salute communicare.

Cum autem plures Confessarii, ad quos litteræ Sacræ Pœnitentiariæ ut plurimum diriguntur, vix eas legere valeant, tum ob characteres Gothicos, seu Bullaticos, qui in dictis litteris adhibentur, seu etiam varias abbreviationes verborum, seu breviaturas, quarum usum non habent plerique Confessarii; utile visum fuit, talium abbreviationum catalogum ordine alphabetico hic attexere.

Breviaturarum communium, in litteris Sacræ Pœnitentiariæ apponi solitarum, explicatio.

Archiepũs	Archiepiscopus
Al'r	Aliter
Al's	Alias
Absolũo	Absolutio
Apl'ica	Apostolica
Appbãtis	Approbatis
Auttẽ	Authoritate
Cardĩlis	Cardinalis
Cañicè	Canonicè
Ceñ	Censuris
Circumpẽoni	Circumspectioni
Xpũs	Christus

Con-

Conſeōne	Confeſſione
Conſeōri	Confeſſori
Coiōne	Communione
Conſcīæ	Conſcientiæ
Conſtituōnibus	Conſtitutionibus
Diſcrēoni	Diſcretioni
Diſpenſāo	Diſpenſatio
Dñus	Dominus
Eccl'æ	Eccleſiæ
Eccl'is	Eccleſiaſticis
Effūs	Effectus
Epūs	Epiſcopus
Excōe	Excommunicatione
Exīt	Exiſtit
Fr	Frater
Frūm	Fratrum
Gñli	Generali
Humōi	Hujuſmodi
Humilr	Humiliter
Infraptūm	Infraſcriptum
Irregultē	Irregularitate
Igr	Igitur
Intrōpta	Introſcripta
Līa	Licentia
Ltīma	Legitima
Lrǣ	Litteræ
Ltē	Licitè
Mrīmonium	Matrimonium
Magrō	Magiſtro
Mirāone	Miſeratione
Mīr	Miſericorditer
Nulltūs	Nullatenus
Ordīo	Ordinatio
Ordināoni	Ordinationi
PP	Papa
Pr	Pater

Pon-

Pontũs	Pontificatus
Ptũs	Præfatus, ſeu prædictus
Ptũr	Præfertur, ſeu Prædicitur
Pntïm	Præſentium
Pbtẽr	Presbyter
Pbrĩcida	Presbytericida
Pœñia	Pœnitentia
Pœñiaria	Pœnitentiaria
Põe	Poſſe
Prõr	Procurator
Qtñus	Quatenus
Qmlbt	Quomodolibet
Qd	Quod
Relãri	Regulari
Relione	Religione
Rõma	Romana
Sñtæ, vel St	Sanctæ
Saluri	Salutari
Señtia	Sententia
Spealr	Specialiter
Supplionibus	Supplicationibus
Spũalibus	Spiritualibus
Tñ	Tamen
Tm	Tantum
Thĩa, vel Theõlia	Theologia
Tli	Tituli
Veñabli	Venerabili
Vræ̃	Veſtræ

DECRE-

DECRETUM

De Apochryphis Indulgentiis.

DElatæ sæpius fuere ad Sacram Congregationem, Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis præpositam, Indulgentiæ quædam confictæ, & omnino falsæ, quæ per diversas Orbis Christiani partes circumferuntur: aliæ vero examinandæ, quæ adhibito studio inventæ sunt vel apocryphæ, vel a Romanis Pontificibus revocatæ, vel nullæ, quod datum eis tempus præteriisset; quarum quidem plurimæ, cum non facilem cognitionem habeant Christi fideles, harum rerum minus peritos fallunt, qui spe Indulgentiæ, remissionisque peccatorum suorum consequendæ frustrantur. Quamobrem eadem Sacra Congregatio vehementer cupiens huic malo magis in dies serpenti occurrere, animarum profectui, & Indulgentiarum dignitati consulere, plures illarum singulari diligentia tolli, & in Indicem referri curavit.

Tales in primis sunt illæ, uti asserunt, concessæ a Joanne II. & Sixto IV. recitantibus Orationem charitatis Jesu Christi Domini Nostri, Precor te, Piissime Domine, &c. ab Urbano II. Ecclesiæ S. Mariæ, ut vulgo dici solet, Campagnolæ, & S. Victoriæ ab Eugenio III. Revelationi de plaga in humero Jesu-Christi factæ S. Bernardo, ab Innocentio III. Archiconfraternitati, & Ordini Redemptionis, a Bonifacio IX. visitantibus Capellam S. Nicolai de Tolentino in ejus die Festo, a Joanne XXII. osculantibus mensuram plantæ pedis Beatæ Mariæ Virginis, ab Alexandro VI. Imagini B. Mariæ, vulgo dictæ, Laghetti, a Leone X. gestantibus funiculum S. Francisci, primum in Urbe impressæ, deinde Mediolani anno 1665. (suas tamen habent, & veras, Confratres Archiconfraternitatis Chordigerorum S. Francisci) recitantibus Salutationem Angelicam ad pulsum horologii; & Imagini Conceptionis Mariæ Virginis Immaculatæ in circulo depictæ, cujus pedibus Luna subjecta est, a Pio IV. vel Pio V. Principio Senarum, a Clemente VIII. dicentibus Orationem, O magnum Mysterium, &c. & Ecclesiæ S. Mariæ, quam vocant, Montis Serrati, Avenione impressæ; tum aliæ pro animabus Christi fidelium defunctorum, impressæ Matriti 20. Julii 1606. a Paulo V. cantantibus Hymnum, Te Matrem Dei laudamus, te Mariam Virginem confitemur, &c. vel si die Sabbati interfuerint, dum idem canitur; & Coronis, Rosariis, Imaginibus, & Numismatibus, quæ medallias appellant, ab eo benedictis, Federico Cardinali Borromæo supplicante, anno 1611. dum Ecclesia Romæ in honorem S. Caroli ædificaretur; & ab eodem Paulo, & Gregorio XV. dicentibus, Sia lodato il santissimo Sacramento, Laus

ſanctiſſimo Sacramento: ab Urbano VIII. in honorem ejuſdem Sacramenti, precibus Cardinalis Magalotti, & Sacerdotibus, celebrata Miſſa, dicentibus, Ave Filia Dei Patris, Ave Mater Dei Filii, &c. a Clemente X. recitantibus, mane, meridie ac veſpere conſuetam Antiphonam, Angelus Domini, &c. & in fine, Deo gratias, & Mariæ: ac demum aliæ a nonnullis Romanis Pontificibus tributæ, ut ajunt, Coronis Myſteriorum Paſſionis Domini Noſtri Jeſu-Chriſti, prece magni Ducis Etruriæ.

Talis Indulgentia Sodalitatis S. Nicolai, qua repetita quinquies Oratione Dominica, & Salutatione Angelica, unam liberari animam quolibet die a Purgatorii pœnis affirmant. Tales aliæ Peruſii Confraternitatis ſanctorum Sebaſtiani, & Rochi, & Romæ Societatis S. Bernardi ad Columnam Trajani. Tales demum aliæ Cruce ſignatorum ſancti Euſtorgii Mediolani, Arimini, & Bononiæ.

Ejus generis ſunt & illæ conceſſæ, ut ajunt, Capellæ Roſarii in Eccleſia S. Antonii de Rovigo, ſeu Rodigii; vel Eccleſiæ Sanctiſſimæ Trinitatis Bergomi, aut S. Petri Montis Todoni, die Feſto Inventionis ſanctiſſimæ Crucis; vel geſtantibus funiculum S. Franciſci de Paula, vel celebrantibus Miſſas S. Auguſtini, aut alias quinque in honorem quinque Feſtivitatum B. Virginis, vel recitantibus Officium S. Franciſcæ Romanæ, aut Antiphonam, O Paſſio magna, &c. in memoriam Paſſionis Jeſu, aut Roſarium S. Annæ (quod Congregatio Sacrorum Rituum non probat) aut orationem, quæ impreſſa cum imagine S. Annæ circumferri ſolet, Ave gratia plena, &c. (quæ oratio prohibetur) aut Officium Conceptionis B. Virginis Immaculatæ, quod aſſerunt a Paulo V. probatum fuiſſe, aut orationem, Deus, qui nobis in S. Syndone, &c. (excipitur indulgentia centum dierum anno 1671. conceſſa precibus Duciſſæ Sabaudiæ ad annos 25. cunctis in illius ditione degentibus) aut aliam, Ave Filia Dei, &c. poſt Communionem recitandam, vel aliquo conſpicuo ſigno venerantibus ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti nomen; Indulgentiæ rurſus octoginta millium annorum veteri de Tabula exſcriptæ, quam in Baſilica Lateranenſi aſſervari affirmant, pro dicentibus orationem illam vere piam, Deus qui pro redemptione Mundi, &c. tum quæ impreſſæ fuerunt Papiæ anno 1670. ſub hoc titulo, Sommario dell' Indulgenze conceſſe dalla Santità di Noſtro Signore Papa Leone X. all' Immagine della Concezione della Glorioſa Vergine Madre; vel Piſauri ſub nomine B. Joannæ, anno 1608. evulgatæ, vel Barlettæ, ſeu Baruli, a recitantibus quaſdam non ſane malas orationes lucrandæ, vel Parmæ a viſitantibus per Quadrageſimæ dies Eccleſias tertii Ordinis ſancti Franciſci, vel Piſtorii, & Vaſtallæ a recitantibus orationem, Ave ſanctiſſima Maria, Mater Dei, Regi-

na cæli, & aliæ in peculiari impresso libro descriptæ, quibus frui dicunt devotos Seraphicos, & Benefactores.
His annumerandæ sunt, quæ Crucibus Caravacensibus tributæ dicuntur, vel Coronæ, sive Stellario Conceptionis Virginis Immaculatæ, quod ex duodecim globulis precariis constat, vel Granis, Crucibus, & Coronis Aloysiæ ab Ascensione Hispaniæ Monialis Ordinis S. Claræ, vel mensuræ altitudinis Jesu-Christi Domini Nostri, vel imagini, aut mensuræ vulneris lateri ejus inflicti, vel orationis, ut ajunt, in sepulcro Domini nostri repertæ; & Indulgentiæ, ut ajunt, innixæ revelationi factæ sanctæ Birgittæ, Mectildi, & Elisabeth, vel B. Joannæ de Cruce, & concessæ, ut afferunt, gratis, quæ aliquod ex tribus granis tetigerint extantibus penes Romanum Pontificem, Hispaniarum Regem, & Ministrum Generalem Fratrum Minorum Observantiæ sancti Francisci.
Omnes vero, & singulas jam dictas Indulgentias sacra Congregatio partim esse confictas, & plane falsas declarat, partim apocryphas, vel ex alio capite nullas, quæ nemini suffragari possunt, easque in futurum ullo in loco ut veras publicari, & lucrandas Christi fidelibus proponi vetat; foliaque, & libros, ubi sic proponuntur, seu asseruntur, omnino præcipit aboleri, nisi prædictæ Indulgentiæ fuerint diligenter expunctæ; nec ideo tamen vult, alias quas hoc Decretum non continet, pro veris, & legitimis, taciteque probatis haberi.
Ac demum omnes indulgentias concessas ante Decretum Clementis VIII. latum die 9. Januarii 1567. Coronis Rosarii, Granis, seu Calculis, Crucibus, & Imaginibus sacris; vel ante Breve Pauli V. quod incipit, *Romanus Pontifex*, &c. editum 23. Maji anno 1606. personis Regularibus quarumcumque Religionum, & Ordinum, etiam Mendicantium: vel ante Constitutionem 115. Clementis VIII. cujus initium *Quæcumque*, &c. & 68. Pauli V. incipientem, *Quæ salubriter*, &c. habitas per aggregationem, vel aliam communicationem ab Archiconfraternitate ulla, Ordine, Congregatione, Societate, etiam Jesu, Capitulo, vel cœtu quocumque, vel ab eorum Officialibus, Superioribus, aliisque personis, vel persona, etiamsi earum, vel ejus mentio specialis, & individua facienda esset, nisi fuerint deinde Romani Pontificis auctoritate innovatæ, aut confirmatæ, nullius esse roboris, & momenti, pariter declarat.
Porro Summaria Indulgentiarum pro Congregationibus Doctrinæ Christianæ, Confraternitatibus sanctissimæ Trinitatis, & Redemptionis Captivorum, Nominis Dei, Rosarii, B. Mariæ de Mercede, & Redemptionis Captivorum, B. Mariæ de Monte Carmelo, cincturæ S. Augustini, & S. Monicæ, nisi ab eadem Congregatione recognita, non permittuntur.
Indulgentias vero Stationum Urbis, quæ a Romanis Pontificibus singulari quodam beneficio vel communica-

tæ sunt, vel communicabuntur interdum aliquibus locis, Ordinibus, aut personis, diebus tantum Stationum in Missali Romano descriptis suffragari posse declarat; semel autem dumtaxat in die plenariam Indulgentiam in certos dies Ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus lucrifieri.

De quibus relatione facta per Secretarium ad Sanctissimum, cuncta Sanctitas Sua probavit, & inviolate servari jussit.

Datum Romæ die 7. Martii 1678.

Aloysius Card. Homodeus.

Loco ✠ Sigilli.

Michael Angelus Riccius Segretarius.

Die 12. Mensis Martii 1678. supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad Valvas Curiæ, & in acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Rochum de Stephanis, Sanctissimi Domini Nostri Papæ Curs.

Laurentius Signus Magister Curs.

INNOCENTII XI.

Declaratio

Pro Altaribus Privilegiatis ad Fidelium Defunctorum suffragium.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

ALias postquam felic. record. Alexander Papa VII. Prædecessor noster per quasdam suas in simili forma Brevis die 22. Januarii 1667. expeditas litteras, dubia in diversis Mundi partibus, occasione Decreti Congregationis tunc existentium S. R. E. Cardinalium sacris Ritibus præpositorum, die 5. Augusti 1662. emanati, & ab ipso Alexandro Prædecessore approbati, de non celebrandis Missis Defunctorum in Festis ritus duplicis exorta dirimere cupiens, inter cætera, quoad Altaria Privilegio Apostolico pro animabus fidelium Defunctorum in perpetuum decorata, & in quibus proinde quotidie, etiam in Festis ritus duplicis, celebrandæ fuissent Missæ Defun-

functorum ex obligatione, declaraverat per celebrationem Missarum de Festo currenti satisfieri injunctis obligationibus, & Indulgentias per ejusdem Privilegia Apostolica concessas animabus fidelium Defunctorum in Purgatorio existentibus suffragari, perinde ac si celebratæ fuissent Missæ Defunctorum ad formam dictorum Privilegiorum: rec. mem. Clemens Papa IX. pariter prædecessor noster, aliam subinde ortam dubitationem, utrum scilicet dictarum Alexandri Prædecessoris litterarum dispositio quoad Altaria pariter quidem Privilegiata, sed non in perpetuum, nec pro omnibus hebdomadæ diebus, & ad quæ Missæ non ex obligatione, sed ex sola Fidelium devotione celebrarentur, locum haberet, similiter tollere desiderans, declarationem a memorato Alexandro Prædecessore, sicut præmittitur, editam, ad Altaria, ut præfertur, non in perpetuum, sed ad septennium, seu aliud brevius, vel longius tempus, ac non omnibus, sed aliquo, vel aliquibus tantum hebdomadæ diebus tunc, & in futurum quandocumque Privilegiata, authoritate Apostolica extendit, & proinde ut Missæ, quæ ibidem de Festo currenti, in quo Missæ Defunctorum celebrari non possent, sive ex obligatione, sive ex sola fidelium devotione celebrandæ essent, suffragentur, ita ut animæ Christi fidelium, pro quibus celebrarentur, Indulgentias per Privilegia hujusmodi concessas consequerentur in omnibus, & per omnia, perinde ac si Missæ Defunctorum ad formam eorumdem Privilegiorum celebratæ fuissent, eadem auctoritate concessit, & indulsit, & alias, prout in ipsius Clementis Prædecessoris litteris, etiam in forma Brevis die 23. Septembris 1669. desuper expeditis: quarum, & præfatarum Alexandri Prædecessoris litterarum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis haberi volumus, uberius continetur. Cum autem postmodum, sicut accepimus, novum circa præmissa excitatum fuerit dubium, videlicet, an supradictæ Alexandri, & Clementis Prædecessorum declarationes sibi pariter locum vindicarent etiam in diebus Dominicis, & infra Octavas Paschatis, Resurrectionis, Pentecostes, & Corporis Christi, aliisque anni diebus, quibus licet a Festo duplici non impediantur, adhuc tamen Missæ Defunctorum juxta ritum, & morem Ecclesiæ celebrari nequeunt, quatenus nimirum Missæ, quas iisdem diebus celebrare licet, servata cæteroquin dictorum Privilegiorum forma, ad Præfata Altaria Privilegiata celebrarentur: Nosque dubium hujusmodi Congregationi Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum examinandum commiserimus, ac eadem Cardinalium Congregatio re mature discussa, nuper per suum Decretum die 3. Aprilis proxime præteriti editum, præfatas Alexandri, & Clementis Prædecessorum declarationes intelligendas esse pro omnibus diebus, quibus juxta Rubricas Missæ Defunctorum cele-

brari non possunt, responderit. Hinc est, quod Nos ex commissæ Nobis cælitus dispensationis munere, fidelium Defunctorum animarum in Purgatorio existentium suffragiis peramplius consulere cupientes, Decretum hujusmodi a memorata Cardinalium Congregatione editum, ut præfertur, Apostolica authoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate supradictæ Congregationis Cardinalium. Decernentes, easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri ac obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula, de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud, habeatur, quæ præsentibus ipsis haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 4. Maji millesimo sexcentesimo octuagesimo octavo, Pontificatus nostri anno duodecimo.

J. F. Albanus.

DECRETUM.

CUM a Sacra Congregatione Indulgentiis, sacrisque Reliquiis præposita, Cameracensis Archiepiscopus quæsivisset, quæ vis, & sententia Clausulæ, (quæ hodie Brevibus Indulgentiarum apponi solet) Volumus autem, ut si alias Christi fidelibus dictam Ecclesiam qualibet anni die visitantibus aliqua alia Indulgentia perpetua, vel ad tempus nondum elapsum duratura, concessa fuerit, præsentes litteræ nullæ sint; Sacra Congregatio, re diligentius examinata, Clausulam sic explicandam censuit, si videbitur Sanctissimo Domino Nostro: Ea minime contineri Altaria Privilegiata pro Defunctis, neque Indulgentias, aut certo personarum generi concessas, ut Confraternitati, Regularibus, & Capitulo, aut certum pium opus in ipsa Ecclesia peragentibus, ut Litanias, aliasve hu-

hujusmodi preces recitantibus, ac iis, qui Christiana doctrina erudiuntur, vel alios erudiunt, & qui sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti expositioni cum oratione quadraginta horarum intersunt: neque Stationum Urbis, & septem Altarium Indulgentias instar septem Altarium Basilicæ Vaticanæ concessas, neque demum quæ pro unica vice conceduntur. Cæterum si alia indulgentia, sive plenaria, sive non plenaria, in perpetuum, vel ad tempus, tum ab eodem, tum ab alio Romano Pontifice, generatim Christi fidelibus Ecclesiam, vel aliquod ejus Altare, seu Capellam, visitantibus, eodem anni die, vel diverso concessa fuerit, de qua non fiat in litteris Apostolicis mentio, has litteras ob adjectam clausulam esse prorsus irritas, ac nullas. Datum die 23. Junii 1676.

De his autem facta relatione ad Sanctissimum Dominum Nostrum, die 28. Martii 1677. sententiam Congregationis approbavit.

C. Card. Maximus.

Loco ✠ Sigilli.

Michael Angelus Riccius Secret.

Die, mense, & anno, supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad Valvas Curiæ, & in Acie Campi Floræ, ut moris est, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Franciscum Antonium Simoncellum, Sanctissimi Domini Nostri Papæ Cursorem.

Pro D. Mag. Curs. Joannes Antonius Scajola Apost. Curs.

INSTRUCTIO

Pro examine illorum Testium, qui inducuntur pro contrahendis Matrimoniis, ex Decreto Sacræ Congregationis S. Officii, sub die 21. Augusti 1670.

IN primis Testis moneatur de gravitate juramenti, in hoc præsertim negotio pertimescendi, in quo Divina simul, & humana Majestas læditur, ob rei, de qua tractatur, importantiam, & gravitatem, & quod imminet pœna triremium, & fustigationis deponenti falsum.

2. Interrogetur de Nomine, Cognomine, Patria, ætate, exercitio, & habitatione.

3. An sit Civis, vel exterus; & quatenus sit exterus, quanto tempore est in loco, in quo Testis ipse deponit.

4. An ad examen accesserit sponte, vel requisitus; si dixerit, accessisse sponte a nemine requisitum, dimitta-

tur, quia præsumitur mendax; si vero dixerit, accessisse se requisitum, interrogetur, a quo, vel a quibus, ubi, quando, quomodo, coram quibus, & quoties fuerit requisitus; & an sciat adesse aliquod impedimentum inter contrahere volentes.

5. Interrogetur, an sibi pro hoc Testimonio ferendo fuerit aliquid datum, promissum, remissum, vel oblatum a contrahere volentibus, vel ab alio, ipsorum nomine.

6. Interrogetur, an cognoscat ipsos contrahere volentes, & a quanto tempore, in quo loco, qua occasione, & cujus qualitatis, vel conditionis existant.

Si respondit negative, Testis dimittatur; si vero affirmative;

7. Interrogetur, an contrahere volentes sint Cives, vel exteri; si responderit, esse exteros, supersedeatur in licentia contrahendi, donec per litteras Ordinarii ipsorum contrahere volentium doceatur de eorum libero statu, de eo tempore, quo permanserunt in sua Civitate, vel Diœcesi. Ad probandum vero eorundem contrahere volentium statum liberum pro reliquo temporis spatio, scilicet usque ad tempus, quo volunt contrahere, admittantur Testes idonei, qui legitime, & concludenter deponant statum liberum contrahere volentium, & reddant sufficientem rationem causæ eorum scientiæ, absque eo, quod teneantur deferre attestationes Ordinariorum locorum, in quibus contrahere volentes moram traxerunt.

Si vero responderit, contrahere volentes esse Cives.

8. Interrogetur, sub qua Parochia hactenus contrahere volentes habitarint, vel habitent de præsenti.

9. Item, an ipse Testis sciat, aliquem ex prædictis contrahere volentibus quandoque habuisse uxorem, vel maritum, aut professionem fecisse in aliqua Religione approbata, vel suscepisse aliquem ex Ordinibus Sacris, Subdiaconatum scilicet, Diaconatum, vel Presbyteratum, vel habere aliud impedimentum, ex quo non possit contrahi Matrimonium.

Si vero Testis responderit, non habuisse uxorem, vel maritum, neque aliud impedimentum, ut supra;

10. Interrogetur de causa scientiæ, & an sit possibile, quod aliquis ex illis habuerit uxorem, vel maritum, vel aliud impedimentum, &c. quod ipse Testis nesciat.

Si responderit affirmative; supersedeatur, nisi ex illis Testibus probetur concludenter, non habuisse uxorem, vel maritum, neque ullum aliud impedimentum, &c.

Si vero responderit negative;

11. Interrogetur de causa scientiæ, ex qua deinde judex colligere poterit, an Testi sit danda fides.

Si responderit, contrahere volentes habuisse uxorem, vel maritum, sed esse mortuos;

12. Interrogetur de loco, & tempore, quo sunt mortui, & quomodo ipse Testis scit fuisse conjuges, & nunc

esse

esse mortuos. Et si responderit, mortuos fuisse in aliquo Hospitali, vel vidisse sepeliri in certa Ecclesia, vel occasione Militiæ fuisse sepultos a Militibus; non detur licentia contrahendi, nisi prius recepto Testimonio authentico a Rectore Hospitalis, in quo prædicti decesserunt, vel a Rectore Ecclesiæ, in qua humata fuerunt eorum cadavera, vel si fieri potest, a Duce illius Cohortis, in qua descriptus erat Miles: si tamen hujusmodi Testimonia haberi non possunt, Sacra Congregatio non intendit excludere alias probationes, quæ de jure communi possunt admitti, dummodo sint legitimæ, & sufficientes.

13. Interrogetur, an post mortem dicti Conjugis defuncti aliquis ex prædictis transierit ad secunda vota.

Si responderit negative;

14. Interrogetur, an esse possit, quod aliquis ex illis transierit ad secunda vota, absque eo quod ipse Testis sciat. Si responderit affirmative, supersedeatur a licentia, donec producantur Testes, per quos negativa coarctetur concludenter.

Si vero negative;

15. Interrogetur de causa scientiæ, qua perpensa, Judex poterit judicare, an sit concedenda licentia, necne.

Si contrahentes sunt vagi, non procedatur ad licentiam contrahendi, nisi doceant per fides Ordinariorum suorum, esse liberos, & in aliis servata forma Concilii Tridentini in *cap.* Multi *sess.* 24.

Fides, aliaque documenta, quæ producuntur de partibus, non admittantur, nisi sint munita sigillo, & legalitate Episcopi Ordinarii, & recognita saltem per Testes, qui habeant notam manum, & sigillum; & attente consideretur, quod fides, seu Testimonia bene, & concludenter identificent personas, de quibus agitur.

Pro Testibus in hac materia recipiantur magis consanguinei, quia præsumuntur melius informati; & Cives magis, quam exteri: nec admittantur homines vagi, & Milites, nisi data causa, & maturo consilio; & Notarius exacte describat personam Testis: quem si cognoscit, utatur clausula, *Mihi bene cognitus*: sin minus, examen non recipiat, nisi cum persona Testis aliqua alia compareat cognita Notario, & quæ attestetur de nomine, & cognomine ipsius Testis, necnon de idoneitate ejusdem ad Testimonium ferendum; & hujusmodi examinibus debent interesse in Urbe ultra Notarium Officiales specialiter deputandi ab Eminentissimo Vicario, & extra Urbem vel Vicarius Episcopi, vel aliqua alia persona insignis, & idonea, specialiter ab Episcopo deputanda: alias puniatur Notarius arbitrio Sacræ Congregationis, & Ordinarius non permittat fieri publicationes.

Ordinarii præcipiant omnibus & singulis Parochis in eorum Diœcesibus existentibus, ut pro Matrimoniis cum exteris contrahendis non faciant Publicationes in eorum

Ecclesiis, nisi certiorato Ordinario, a quo, vel ejus Generali Vicario, prius teneantur authenticam reportare, quod pro tali Matrimonio fuerunt examinati Testes in eorum Tribunali, qui probant statum liberum contrahere volentium.

Contravenientes autem severe puniantur.

Cum plures Episcopi in suis Synodis inseruerint brevem notitiam impedimentorum Matrimonii vulgari linguâ exaratam, quam etiam quolibet anno a Parochis publicari jusserunt: eandem in Synodo Cæsenatensi Eminentissimi Cardinalis Denhoff repertam, hic referre non inutile duxi.

Tavola degl'impedimenti del Matrimonio da pubblicarsi dai Parrochi.

GL' Impedimenti del Matrimonio, che impediscono il contraerlo, ed annullano il contratto, sono compresi ne' versi seguenti.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas;
Affinis, raptor, si clandestinus, & impos:
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

Error.

Il primo è l'errore circa la sostanza della persona; cioè se io intendo di far parentela con Berta, e lo fo con Antonia, ovvero intendo di far parentado con la primogenita, e me ne vien data un'altra; in tutti questi casi, e simili, il Matrimonio è nullo. Ma se l'errore fosse circa la qualità della persona, come a dire, che credevo fosse bella, e ricca; ma il fatto non sta così, il Matrimonio è valido.

Conditio.

Il secondo è la condizione, cioè servile; come a dire, se uno s'apparenta con una schiava, che credeva esser libera, essendo egli libero, il Matrimonio non tiene; il medesimo è, se la donna libera piglia un schiavo, il che se sapesse non lo sarebbe.

Votum.

Il terzo Impedimento è il voto solenne, fatto per professione espressa o tacita, in una Religione approvata, o nel pigliar gli Ordini.

Cognatio.

Il quarto impedimento è la parentela, la quale è in tre modi, cioè naturale, spirituale, e legale: la naturale to-

toglie, e impedisce il Matrimonio insino al quarto grado inclusive; e facendo il Matrimonio con tale impedimento, sono scomunicati, se l' ignoranza non li scusa. La parentela spirituale si piglia dalli Sacramenti del Battesimo, e della Confermazione; e questa impedisce, ed annulla il Matrimonio solamente tra colui, che battezza, o cresima, e colui che è battezzato, o cresimato, e similmente tra quello che battezza, o cresima, o tiene, e tra il padre, e la madre del battezzato, o cresimato. La parentela legale è una propinquità che nasce dall' adozione, e questa ha tre gradi: il primo è degli ascendenti, e discendenti; cioè dell' adottante, e dell' adottato, e discendenti dall' adottato; e questo impedimento non si toglie per discioglimento dell' adozione, nè per l' emancipazione.

Il secondo è quasi trasversale, cioè fra l' adottato, e li figliuoli naturali dell' adottante, durante l' adozione, e stando il figliuolo naturale nella podestà del Padre, e non altrimente.

Il terzo grado, è una certa affinità legale, cioè tra la moglie dell' adottato, e l' addottante; e tra l' adottato, e la moglie dell' adottante; la quale dura perpetuamente, come la prima; e ciascheduna di queste parentele impedisce, ed annulla il Matrimonio.

Crimen.

Il quinto impedimento è il delitto: e questo è di due sorte; il primo è se uno ammazza il marito con intenzione di contrarre il Matrimonio con la moglie di lui; il quale omicidio fatto con consenso d' ambe le parti impedisce ed annulla per sempre: come impedisce, ed annulla ancora il Matrimonio, se uno solo delli consorti machina la morte dell' altro, purchè v' intervenga l' adulterio. L' altro impedimento è l' adulterare scientemente con la moglie d' altri, e contrarre con essa Matrimonio, vivente l' altro consorte: ovvero promette di contrarre; il che impedisce ed annulla, ancorchè il primo Matrimonio non fosse ancora consumato.

Cultus disparitas.

Il sesto impedimento è la diversità della Religione; perchè tra il battezzato, e quello che non ha il Battesimo, non può esser Matrimonio, non potendo riceversi Sagramento alcuno senza il Battesimo. Ma può esser Matrimonio con li battezzati, benchè fossero eretici, scomunicati, ed apostati; essendo il Matrimonio valido, benchè si faccia male a contrarre con essi.

Vis.

Il settimo impedimento è la forza, ovvero violenza: quando alcuno è forzato, o violentato a contraere Matrimonio, volendo la Santa Chiesa, e la ragion naturale, che li Matrimonj siano liberi.

Ordo.

L'ottavo impedimento è l' Ordine sagro: e se alcuno, avendo l' Ordine sagro, contraesse, non tiene, ma resta scomunicato.

Ligamen.

Il nono impedimento, è quando la persona ha moglie, o marito, perchè non può contraere altro Matrimonio.

Honestas.

Il decimo impedimento è la giustizia della pubblica onestà, la quale ha principio dalli sponsalizj, cioè quando si promette di doversi in futuro pigliar per marito, o per moglie; e questo impedimento consiste in una proibizione canonica, la quale annulla (se i sponsalizj sono validi) il Matrimonio, che uno de' detti promettenti contraesse con qualche parente nel primo grado dell' altro, ma quella pubblica onestà, che viene dal Matrimonio rato, annulla anche sin al quarto grado.

Affinis.

L'undecimo impedimento è l' affinità, la quale non è altro, che una approssimazione di persona, che nasce dalla copula carnale; e se la copula sarà lecita, come quella del Matrimonio, impedisce fino al quarto grado inclusive; se sarà illecita, insino al secondo inclusive.

Raptor.

Il duodecimo impedimento è, quando alcun rubasse una donna, e mentre sta in sua potestà, contraesse con quella de facto Matrimonio, detto Matrimonio è nullo: ma se prima la ponesse separata da se in luogo sicuro, e libero, e quella lo volesse per suo marito, il Matrimonio sarebbe valido.

Clandestinus.

Il decimoterzo impedimento è, quando si celebrasse il Matri-

Matrimonio ſenza la preſenza del proprio Parroco, e di due teſtimonj.

Impos.

Il decimoquarto impedimento è l'impotenza di conſumare il Matrimonio, o che proceda da cagion naturale, o da accidentale, purchè ſia perpetua.

In oltre il difetto dell'età di quattordici anni compiti nell'uomo, e di dodici parimente nella donna, impediſce ed annulla il Matrimonio; ſe la malizia, o prudenza da giudicarſi dall'Ordinario, non ſuppliſſe a detto difetto.

Cum cauſæ matrimoniales ſummi momenti ſint, & ſæpius in illis tractandis incidant dubia, quorum certa reſolutio difficile haberi poteſt: utile putavi hic inſerere dubia, & reſolutiones, quæ in Synodo Bononienſi anno 1698. regiſtrata reperi.

Dubia aliquot circa exterorum Matrimonia, cum Reſponſionibus S. Congregationis. Ordines ultimo loco ab Urbe emanati circa Matrimonia cum exteris contrahenda, inter alia diſponunt, quod Ordinarii præcipiant omnibus, & ſingulis Parochiis in eorum Diœceſibus exiſtentibus, ut pro Matrimoniis cum exteris contrahendis, non faciant publicationes in eorum Eccleſiis, niſi certiorato Ordinario, a quo, vel ejus generali Vicario, prius teneantur fidem authenticam reportare, quod pro tali Matrimonio fuerint examinati teſtes in eorum tribunali, qui probent ſtatum liberum contrahere volentium.

1. Quæritur, an illi ex Diœceſibus circumvicinis & ipſi teneantur tales probationes facere? an vero ſufficiat fides denunciationum in eorum Diœceſibus factarum cum legalitate Ordinarii, & probatio eorum ſtatus poſt diſceſſum ab ipſa Diœceſi?

R. Hujuſmodi habentur pro exteris, & conſequenter tenentur probationes facere.

2. Item, an contrahere volentes, in confinibus eorum Diœceſis habitantes, & ob vicinitatem ab eorum rectoribus cogniti, teneantur eaſdem facere probationes? an vero ſufficiant publicationes ab ipſis Rectoribus faciendæ?

R. Etiam iſti tenentur facere probationes.

3. An eaſdem teneantur facere probationes illi, qui ante ætatem nubilem a propria Diœceſi diſcedentes, ad aliam ſe contulerunt, & in ea poſtmodum ſemper habitaverunt?

R. Non tenentur, quia non fuerunt extra Diœceſim tempore habili ad contrahendum.

4. An in Civitate, in qua milites Hiſpanici, Teutonici, Alemanni, & aliarum longinquarum regionum, reſidere ſolent, idem cum ipſis ſervandum? vel ſufficiat, probationes in ipſa Civitate recipere de eorum ſtatu, a teſtibus ipſarum regionum de negotio edoctis?

R. Tenentur facere probationes juxta formam Instructionis; quia isti facilius committunt polygamiam.

5. An facta per parochum monitione Ordinario contrahere volentis, fides status ejusdem sit ab eodem Parocho, vel a contrahere volente reportanda?

R. Tenetur fidem reportare, & Parocho consignare, is qui vult Matrimonium contrahere; sed est in libertate Parochi, hujusmodi onus in se assumere.

6. An eædem probationes sint servandæ in casu necessitatis, & ab existentibus in articulo mortis, sic contrahere volentibus?

R. Non sunt servandæ in articulo mortis, intra quem scilicet probabiliter non adsit tempus sufficiens faciendi diligentias; cum hoc etiam, quod si infirmus forte convaluerit, debeant fieri diligentiæ, juxta Instructionem, antequam simul conveniant.

7. An requiratur attestatio proprii Ordinarii pro exteris, qui per decem annos & ultra, domicilium acquisierunt in loco ubi sunt Matrimonium contracturi, si eorum status liber probetur per testes fide dignos, tam originis, quam domicilii?

R. Requiritur.

8. An requiratur dicta attestatio pro illis exteris, qui unicam vel plures duxerunt, & e contra; si mortuæ fuerint in loco, ubi iterum matrimonium contrahere desiderant, ac amplius post mortem a dicto loco non discesserunt?

R. Requiritur pariter.

Cardinalis Paulus Æmilius Rondininus inseruit in fine Synodi Assisensis ann. 1636. Litteras Circulares S. Congregationis Sancti Officii, quæ valde utiles in praxi esse possunt.

Litteræ Circulares S. Congregationis Sanctæ Inquisitionis, super Matrimoniis contrahendis.

Illustrissimo e Reverendissimo Signor come fratello.

E' Così frequente il delitto di poligamia nel Sant' Ufizio, ancorchè severamente venghi castigato, che ha dato occasione a questi Eminentissimi miei Signori d'applicarvi qualche rimedio; perchè si è visto per esperienza, che buona cagione di questo eccesso è la facilità, con la quale si esaminano ed ammettono i testimonj dagli Ordinarj, non conosciuti, senza farli specificar bene le circostanze necessarie, e coartare la libertà di quelli che vogliono contrarre: ha la Santità di Nostro Signore espressamente ordinato, che si mandi a V. S. e a tutti gli Ordinarj, l'inclusa Istruzione, per esaminare simili testimonj sopra gl'interrogatorj contenuti in essa; avvertendola, che soddisfaccino in modo nelle risposte,

che evacuino bene tutte quelle cose, che se li dimandano: e perchè ciò possa seguir con maggior esatteza, si ordina, che si debbano esaminare avanti V. S. o suo Vicario, da' quali saranno interrogati: proibendo onninamente il farsi tali esami dalli soli Notarj. Doverà in oltre, avanti di esaminar il testimonio, dopo datoli il giuramento, ammonirlo di dire la verità; avvertendolo, che se deporrà il falso, sarà egli castigato di pena di Galera, come il medesimo poligamo. E acciò li Vicarj e Notarj siano più avvertiti, ed oculati, e non allettati da interesse alcuno, espressamente si proibisce a gli uni, e a gli altri, sotto pena della privazione dell' uffizio, ed altre arbitrarie, etiam afflittive del corpo, il pigliare per simili esami mercede di sorta alcuna; ma dovranno esaminare gratis, etiam quoad scripturam.

Avvertendola, per ordine preciso di Sua Beatitudine, che se non saranno osservate le cose suddette per l' avvenire, e perciò seguirà il detto delitto di poligamia, farà questa S. Congregazione grave risentimento contro li Vescovi, Vicarj, e Notarj, che averanno trasgredito, come contro di quelli che saranno stati causa d' un tanto eccesso. Farà finalmente V. S. notare la presente lettera in cotesto Archivio, acciò resti a perpetua memoria registrata per informazione de' suoi Successori. Pregandole per fine dal Signor Iddio prosperità ed ogni contento.

Di Roma li 15. Luglio 1630.

Di V. S. come fratello,
Il Cardinal Sant' Onofrio.

INNOCENTIUS
EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI,
Ad perpetuam rei memoriam.

Cœlestis Pastor Christus Dominus, ut jacentem in tenebris mundum, variisque gentium erroribus involutum, a potestate diaboli, sub qua misere post lapsum primi parentis tenebatur, sua ineffabili miseratione liberaret, carnem sumere, & in ligno Crucis chirographo Redemptionis nostræ affixo, in testimonio suæ in nos charitatis, sese Hostiam viventem Deo pro nobis offerre dignatus est: mox rediturus in cælum, Ecclesiam Catholicam Sponsam suam, tamquam novam civitatem sanctam Jerusalem descendentem de cælo, non habentem rugam, neque maculam, unam sanctamque in terris relinquens armis potentiæ suæ contra portas inferi

circum vallatam, Petro Apostolorum Principi, & Successoribus ejus regendam tradidit, ut doctrinam ab ipsius ore haustam, sartam tectamque custodirent; ne oves pretioso suo sanguine redemptæ, pravarum opinionum pabulo in antiquos errores reciderent; quod præcipue beato Petro mandasse sacræ litteræ docent: cui enim Apostolorum nisi Petro dixit, Pasce oves meas? & rursus, Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos? Quare nobis, qui non nostris meritis, sed inscrutabili Dei omnipotentis consilio, in ejusdem Petri Cathedra pari potestate sedemus, semper fixum in animo fuit, ut Populus Christianus eam sectaretur fidem, quæ a Christo Domino per Apostolos suos perpetua, & numquam interrupta traditione prædicata fuit, quamque ipse usque ad sæculi consummationem permansuram esse promisit.

Cum igitur ad Apostolatum nostrum relatum fuisset, quemdam *Michaelem de Molinos*, prava dogmata tum verbo, tum scripto docuisse, & in praxim deduxisse, quæ prætextu Orationis quietis contra doctrinam, & usum a sanctis Patribus ab ipsis nascentis Ecclesiæ primordiis receptum, Fideles a vera Religione, & a Christianæ pietatis puritate in maximos errores, & turpissima quæque inducebant; Nos, cui cordi semper fuit, ut fidelium animæ nobis ex alto commissæ purgatis pravarum opinionum erroribus ad optatum salutis portum tuto pervenire possint; legitimis præcedentibus indiciis, prædictum *Michaelem de Molinos* carceribus mancipari mandavimus, deinde coram Nobis, & Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana Generalibus Inquisitoribus Apostolica auctoritate specialiter deputatis, auditis pluribus in Sacra Theologia Magistris, eorumque suffragiis tum voce, tum scripto susceptis, matureque perpensis, implorata etiam Sancti Spiritus assistentia, cum prædictorum Fratrum nostrorum unanimi voto, ad damnationem infrascriptarum Propositionum ejusdem *Michaelis de Molinos*, a quo fuerunt pro suis recognitæ, & de quibus propositionibus tamquam a se dictatis, scriptis, communicatis, & creditis, ipse convictus, & respective confessus fuerat, ut latius in processu, & Decreto de mandato nostro lato die 28. Augusti præsentis anni 1687. devenire, ut infra, decrevimus.

PROPOSITIONES.

1. Oportet, hominem suas potentias annihilare. Et hæc est via interna.

2. Velle operari active, est Deum offendere, qui vult esse ipse solus agens, & ideo opus est, seipsum in Deo totum & totaliter derelinquere, & postea permanere velut corpus exanime.

3. Vo-

3. Vota de aliquo faciendo sunt perfectionis impeditiva.

4. Activitas naturalis est gratiæ inimica, impeditque Dei operationes, & veram perfectionem, quia Deus operari vult in nobis sine nobis.

5. Nihil operando anima se annihilat, & ad suum principium redit, & ad suam originem, quæ est de essentia Dei, in qua transformata remanet, ac divinizata, & Deus tunc in se ipso remanet, quia tunc non sunt amplius duæ res unitæ, sed una tantum: & hac ratione Deus vivit, & regnat in nobis, & anima se ipsam annihilat in esse operativo.

6. Via interna est illa, in qua non cognoscitur nec lumen, nec amor, nec resignatio, & non oportet Deum cognoscere; & hoc modo recte proceditur.

7. Non debet anima cogitare, nec de præmio, nec de punitione, nec de Paradiso, nec de Inferno, nec de Morte, nec de Æternitate.

8. Non debet velle scire, an gradiatur cum voluntate Dei, an cum eadem voluntate resignata maneat, nec ne; nec opus est, ut velit cognoscere suum statum, nec proprium nihil: sed debet ut corpus exanime manere.

9. Non debet anima reminisci nec sui, nec Dei, nec cujuscumque rei, & in via interna omnis reflexio est nociva, etiam reflexio ad suas humanas actiones, & ad proprios defectus.

10. Si propriis defectibus alios scandalizet, non est necessarium reflectere, dummodo non adsit voluntas scandalizandi; & ad proprios defectus non posse reflectere, gratia Dei est.

11. Ad dubia, quæ occurrunt, an recte procedatur, necne, non opus est reflectere.

12. Qui suum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet curam habere, nec de Inferno, nec de Paradiso; nec debet desiderium habere propriæ perfectionis, nec virtutum, nec propriæ sanctionis, nec propriæ salutis, cujus spem purgare debet.

13. Resignato Deo libero arbitrio, eidem Deo relinquenda est cogitatio, & cura de omni re nostra; & relinquere, ut faciat in nobis sine nobis suam divinam voluntatem.

14. Qui divinæ voluntati resignatus est non convenit, ut a Deo rem aliquam petat; quia petere est imperfectio, cum sit actus propriæ voluntatis, & electionis, & est velle, quod divina voluntas nostræ conformetur, & non quod nostra divinæ. Et illud Evangelii: *Petite, & accipietis*, non est dictum a Christo pro animabus internis, quæ nolunt habere voluntatem. Immo hujusmodi animæ eo perveniunt, ut non possint a Deo rem aliquam petere.

15. Sicut non debent a Deo rem aliquam petere, ita nec illi ob rem aliquam gratias agere debent: quia utrumque est actus propriæ voluntatis.

16. Non

16. Non convenit Indulgentias quærere pro pœna propriis peccatis debita; quia melius est, divinæ justitiæ satisfacere, quam Divinam misericordiam quærere; quoniam illud ex puro Dei amore procedit, & istud ab amore nostri interessato: nec est res Deo grata, nec meritoria, quia est velle Crucem fugere.

17. Tradito Deo libero arbitrio, & eidem relicta cura, & cognitione animæ nostræ, non est amplius habenda ratio tentationum, nec eis alia resistentia fieri debet, nisi negativa, nulla adhibita industria; & si natura commovetur, oportet sinere, ut commoveatur, quia est natura.

18. Qui in oratione utitur imaginibus, figuris, speciebus, & propriis conceptibus, non adorat Deum in spiritu, & veritate.

16. Qui amat Deum eo modo, quo ratio argumentatur, aut intellectus comprehendit, non amat verum Deum.

20. Asserere, quod in oratione opus est sibi per discursum auxilium ferre, & per cogitationes, quando Deus animam non alloquitur, ignorantia est. Deus numquam loquitur: ejus locutio est operatio; & semper in anima operatur, quando hæc suis discursibus, cogitationibus, & operationibus eum non impedit.

21. In oratione opus est manere in fide obscura, & universali, cum quiete, & oblivione cujuscumque cogitationis particularis, ac distinctæ attributorum Dei, ac Trinitatis, & sic in Dei præsentia manere ad illum adorandum, & amandum, eique inserviendum, sed absque productione actuum, quia Deus in his sibi non complacet.

22. Cognatio hæc per fidem non est actus a Creatura productus, sed est cognitio a Deo Creaturæ tradita, quam Creatura se habere non cognoscit, nec postea cognoscit illam se habuisse; & idem dicitur de Amore.

23. Mystici, cum sancto Bernardo in Scala Claustralium, distinguunt quatuor gradus, Lectionem, Meditationem, Orationem, & Contemplationem infusam. Qui semper in primo sistit, numquam ad secundum pertransit. Qui semper in secundo persistit, numquam ad tertium pervenit, qui est nostra contemplatio acquisita, in qua per totam vitam persistendum est, dummodo Deus animam non trahat, absque eo quod ipsa id expectet, ad contemplationem infusam: & hac cessante, anima regredi debet ad tertium gradum, & in ipso permanere, absque eo quod amplius redeat ad secundum, aut primum.

24. Qualescumque cogitationes in oratione occurrant, etiam impuræ, etiam contra Deum, Sanctos, Fidem, & Sacramenta, si voluntarie non nutriantur, nec voluntarie expellantur, sed cum indifferentia, & resignatione tolerentur, non impediunt Orationem Fidei; imo eam

per-

perfectiorem efficiunt, quia anima tunc magis Divinæ voluntati resignata remanet.

25. Etiamsi superveniat somnus, & dormiatur, nihilominus fit oratio, & contemplatio actualis; quia oratio & resignatio, resignatio & oratio idem sunt; & dum resignatio perdurat, perdurat & oratio.

26. Tres illæ viæ, Purgativa, Illuminativa, & Unitiva, sunt absurdum maximum, quod dictum fuerit in Mystica; cum non sit, nisi unica via, scilicet via interna.

27. Qui desiderat, & amplectitur devotionem sensibilem, non desiderat, nec quærit Deum, sed se ipsum: & male agit, cum eam desiderat, & eam habere conatur, qui per viam internam incedit, tam in locis sacris, quam in diebus solemnibus.

28. Tædium rerum spiritualium, bonum est; siquidem per illud purgatur amor proprius.

29. Dum anima interna fastidit discursus de Deo, & virtutes, & frigida remanet, nullum in se ipsa sentiens fervorem, bonum signum est.

30. Totum sensibile, quod experimur in vita Spirituali, est abominabile, spurcum, & immundum.

31. Nullus Meditativus veras virtutes exercet internas, quæ non debent a sensibus cognosci. Opus est amittere virtutes.

32. Nec ante, nec post Communionem alia requiritur præparatio, aut gratiarum actio (pro istis animabus internis) quam permanentia in solita resignatione passiva, quia modo perfectiore supplet omnes actus virtutum, qui fieri possunt, & fiunt in via ordinaria. Et si hac occasione insurgunt motus humiliationis, petitionis, aut gratiarum actionis, reprimendi sunt, quoties non dignoscatur, eos esse ex impulsu speciali Dei; alias sunt impulsus naturæ nondum mortuæ.

33. Male agit anima, quæ procedit per hanc viam internam, si in diebus solemnibus vult aliquo conatu particulari excitare in se devotum aliquem sensum: quoniam animæ internæ omnes dies sunt æquales, omnes festivi. Et idem dicitur de locis sacris, quia hujusmodi animabus omnia loca æqualia sunt.

34. Verbis, & lingua gratias agere Deo non est pro animabus internis; quæ in silentio manere debent, nullum Deo impedimentum apponendo, quod operetur in illis: & quo magis Deo se resignant, experiuntur, se non posse orationem Dominicam, seu Pater noster, recitare.

35. Non convenit animabus hujus vitæ internæ, quod faciant operationes, etiam virtuosas, ex propria electione, & activitate, alias non essent mortuæ: nec debent elicere actus amoris erga B. Virginem, Sanctos, aut Humanitatem Christi; quia cum ista objecta sensibilia sint, talis est amor erga illa.

36. Nul-

36. Nulla Creatura, nec Beata Virgo, nec Sancti sedere debent in nostro corde, quia solus Deus vult illud occupare, & possidere.

37. In occasione tentationum, etiam furiosarum, non debet anima elicere actus explicitos virtutum oppositarum, sed debet in supradicto amore, & resignatione permanere.

38. Crux voluntaria mortificationum pondus grave est, & infructuosum, ideoque dimittenda.

39. Sanctiora opera, & Pœnitentiæ, quas peregerunt Sancti, non sufficiunt ad removendam ab anima vel unicam adhæsionem.

40. Beata Virgo nullum umquam opus exterius peregit, & tamen fuit Sanctis omnibus sanctior. Igitur ad sanctitatem perveniri potest absque opere exteriori.

41. Deus permittit, & vult, ad nos humiliandos, & ad veram transformationem perducendos, quod in aliquibus animabus perfectis, etiam non arreptitiis, dæmon violentiam inferat eorum corporibus, easque actus carnales committere faciat, etiam in vigilia, & sine mentis offuscatione, movendo physice illorum manus & alia membra, contra earum voluntatem. Et idem dicitur quoad alios actus per se peccaminosos; in quo casu non sunt peccata, quia his non adest consensus.

42. Potest dari casus, quod hujusmodi violentiæ ad actus carnales contingant eodem tempore ex parte duarum personarum, scilicet maris, & fœminæ, & ex parte utriusque sequatur actus.

43. Deus præteritis sæculis Sanctos efficiebat Tyrannorum ministerio: nunc vero eos efficit Sanctos ministerio dæmonum, qui causando in eis prædictas violentias, facit, ut illi seipsos magis despiciant, atque annihilent, & se Deo resignent.

44. Job blasphemavit, & tamen non peccavit labiis suis, quia fuit ex dæmonis violentia.

45. Sanctus Paulus hujusmodi dæmonis violentias in suo corpore passus est, unde scripsit: *Non quod volo bonum, hoc ago; sed quod nolo malum, hoc facio.*

46. Hujusmodi violentiæ sunt medium magis proportionatum ad annihilandam animam, & ad eam ad veram transformationem, & unionem perducendam; nec alia superest via. Et hæc est via facilior, & tutior.

47. Cum hujusmodi violentiæ occurrunt, sinere oportet, ut satanas operetur, nullam adhibendo industriam, nullumque proprium conatum; sed permanere debet homo in suo nihilo: & etiamsi sequantur pollutiones, & actus obscœni propriis manibus, & etiam pejora, non est opus seipsum inquietare: sed foras emittendi sunt scrupuli, dubia, & timores: quia anima fit magis illuminata, magis roborata, magisque candida, & acquiritur sancta libertas. Et præ omnibus non opus est hæc confiteri, & sanctissime fit non confitendo, quia hoc

pacto

pacto superatur dæmon, & acquiritur thesaurus pacis.

48. Satanas, qui hujusmodi violentias infert, suadet deinde, gravia esse delicta, ut anima se inquietet, ne in via interna ulterius progrediatur; unde ad ejus vires enervandas, melius est, ea non confiteri, quia non sunt peccata, nec etiam venialia.

49. Job ex violentia dæmonis se propriis manibus polluebat, eodem tempore, quo *mundas habebat ad Deum preces* (sic interpretando locum ex cap. 16. Job.)

50. David, Hieremias, & multi ex sanctis Prophetis hujusmodi violentias patiebantur harum impurarum operationum externarum.

51. In sacra Scriptura multa sunt exempla violentiarum ad actus externos peccaminosos. Ut illud de Sampsone, qui per violentiam se ipsum occidit cum Philisthæis, conjugium iniit cum alienigena, & cum Dalila meretrice fornicatus est, quæ alias erant prohibita, & peccata fuissent. De Juditha, quæ Holopherni mentita fuit. De Elisæo, qui pueris maledixit. De Elia, qui conbussit Duces cum turmis Regis Achab. An vero fuerit violentia immediate a Deo peracta, vel dæmonum ministerio, ut in aliis animabus contingit, in dubio relinquitur.

52. Cum hujusmodi violentiæ, etiam impuræ, absque mentis offuscatione accidunt, tunc anima Deo potest uniri, & de facto semper magis unitur.

53. Ad cognoscendum in praxi, an aliqua operatio in aliis personis fuerit violenta, regula, quam de hoc habeo, nedum sunt protestationes animarum illarum, quæ protestantur, se dictis violentiis non consensisse, aut jurare non posse, quod his consenserint, & videre, quod sint animæ, quæ proficiunt in via interna: sed regulam sumere a lumine quodam actuali, cognitione humana, ac Theologia superiore, quod me certo cognoscere facit cum interna certitudine, quod talis operatio est violenta: & certus sum, quod hoc lumen a Deo procedit, quia ad me pervenit conjunctum cum certitudine, quod a Deo perveniat, & mihi nec umbram dubii relinquit in contrarium; eo modo, quo interdum contingit, quod Deus aliquid revelando, eodem tempore animam certam reddit, quod ipse sit qui revelat, & anima in contrarium non potest dubitare.

54. Spirituales vitæ ordinariæ in hora mortis se delusos invenient, & confusos, & cum omnibus passionibus in alio mundo purgandis.

55. Per hanc viam internam pervenitur, etsi multa cum sufferentia, ad purgandas, & extinguendas omnes passiones, ita quod nihil amplius sentitur, nihil, nihil: nec ulla sentitur inquietudo, sicut corpus mortuum: nec anima se amplius commoveri sinit.

56. Duæ leges, & duæ cupiditates, animæ una, & amo-

amoris proprii altera, tamdiu perdurant, quamdiu perdurat amor proprius: unde quando hic purgatus est, & mortuus, ut si per viam internam, non adsunt amplius illæ duæ leges, & duæ cupiditates, nec ulterius lapsus aliquis incurritur, nec aliquid sentitur amplius, ne quidem veniale peccatum.

Per contemplationem acquisitam pervenitur ad statum non faciendi amplius peccata, nec mortalia, nec venialia.

58. Ad hujusmodi statum pervenitur non reflectendo amplius ad proprias operationes; quia defectus ex reflexione oriuntur.

59. Via interna sejuncta est a Confessione, a Confessariis, & a Casibus conscientiæ, a Theologia, & Philosophia.

60. Animabus provectis, quæ reflexionibus mori incipiunt, & eo etiam perveniunt ut sint mortuæ, Deus Confessionem aliquando efficit impossibilem, & supplet ipse tanta gratia præservante, quantam in Sacramento reciperent; & ideo hujusmodi animabus non est bonum in tali casu ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere, quia id est illis impossibile.

61. Anima, cum ad mortem mysticam pervenit, non potest amplius aliud velle, quam quod Deus vult, quia non habet amplius voluntatem, & Deus illi eam abstulit.

62. Per viam internam pervenitur ad continuum statum immobilem in pace imperturbabili.

63. Per viam internam pervenitur etiam ad mortem sensuum; quin imo signum, quod quis in statu nihilitatis maneat, id est mortis mysticæ, est, si sensus exteriores non repræsentent amplius res sensibiles, ac si non essent; quia non perveniunt ad faciendum, quod intellectus se ad eas applicet.

64. Theologus minorem dispositionem habet, quam homo rudis, ad statum contemplationis. Primo, quia non habet fidem adeo puram. Secundo, quia non est adeo humilis. Tertio, quia non adeo curat propriam salutem. Quarto, quia caput refertum habet phantasmatibus, speciebus, opinionibus, & speculationibus, & non potest in illum ingredi verum lumen.

95. Præpositis obediendum est in exteriori, & latitudo voti obedientiæ Religiosorum tantummodo ad exterius pertingit, in interiore vero aliter res se habet, quo solus Deus, & Director intrant.

66. Risu digna est nova quædam doctrina in Ecclesia Dei, quod anima quoad internum gubernari debeat ab Episcopo: quod si Episcopus non sit capax, anima ipsum cum suo Directore adeat. Novam dico doctrinam, quia nec sacra Scriptura, nec Concilia, nec Canones, nec Bullæ, nec Sancti, nec Auctores eam unquam tradiderunt, nec tradere possunt; quia Ecclesia non judicat de occultis, & anima jus habet eligendi quemcumque sibi bene visum.

67. Di-

67. Dicere, quod internum manifestandum est exteriori Tribunali Præpositorum, & quod peccatum sit id non facere, est manifesta deceptio; quia Ecclesia non judicat de occultis: & propriis animabus præjudicant his deceptionibus: & simulationibus.

68. In mundo non est facultas, nec jurisdictio ad præcipiendum, ut manifestentur Epistolæ Directoris quoad internum animæ: & ideo opus est animadvertere, quod hoc est insultus satanæ &c.

QUas quidem propositiones tanquam Hæreticas, suspectas, erroneas, scandalosas, blasphemas, piarum aurium offensivas, temerarias, Christianæ disciplinæ relaxativas, & eversivas, & seditiosas, respective; ac quæcumque super iis verbo, scripto, vel typis emissa, pariter cum voto eorumdem Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, & Inquisitorum Generalium, damnavimus, circumscripsimus, & abolevimus; deque eisdem, & similibus omnibus, & singulis posthac quoquo modo loquendi, scribendi, disputandi, easque credendi, tenendi, docendi, aut in praxim reducendi facultatem quibuscumque inrerdiximus, & contrafacientes omnibus Dignitatibus, Gradibus, Honoribus, Beneficiis, & Officiis, ipso facto perpetuo privavimus, & inhabiles ad quæcumque decrevimus, vinculoque etiam anathematis eo ipso innodavimus, a quo nisi a Nobis, & a Romanis Pontificibus Successoribus nostris, valeant absolvi. Præterea eodem nostro Decreto prohibuimus, & damnavimus omnes libros, omniaque opera, quocumque loco, & idiomate impressa, necnon omnia manuscripta ejusdem *Michaelis de Molinos*; vetuimusque, ne quis cujuscumque gradus, conditionis, vel status, etiam speciali nota dignus, audeat sub quovis prætextu, quolibet pariter idiomate, sive sub eisdem verbis, sive sub æqualibus, aut æquipollentibus, sive absque nomine, seu ficto, aut alieno nomine ea imprimere, vel imprimi facere, neque impressa seu manuscripta legere, vel apud se retinere, sed Ordinariis locorum, aut Hæreticæ pravitatis Inquisitoribus statim tradere, & consignare teneatur sub eisdem pœnis superius inflictis: qui Ordinarii, & Inquisitores statim ea igni comburant, vel comburi faciant. Tandem, ut prædictus *Michael de Molinos*, ob hæreses, errores, & turpia facta prædicta debitis pœnis in aliorum exemplum, & ipsius emendationem plecteretur, lecto in eadem nostra Congregatione toto processu, & auditis dilectis filiis Consultoribus nostris sanctæ Inquisitionis Officii, in Sacra Theologia, & in jure Pontificio Magistris, cum eorumdem Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium unanimi voto, dictum *Michaelem de Molinos*, tamquam reum convictum, & confessum respective, & uti Hæreticum formalem, licet pœnitentem in pœnam arcti & perpetui carceris, & ad peragendas alias

pœnitentias salutares, prævia tamen abjuratione de formali per ipsum emittenda, servato juris ordine damnavimus: mandantes, ut die, & hora præfigendis, in Ecclesia Sanctæ Mariæ super Minervam hujus Almæ Urbis, præsentibus omnibus Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, & Romanæ Curiæ nostræ Prælatis, universoque populo ad id etiam per concessionem Indulgentiarum convocando, ex alto tenor processus, stante in suggesto eodem *Michaele de Molinos*, una cum sententia inde sequuta legeretur; & posteaquam idem de *Molinos* habitu Pœnitentiæ indutus, prædictos errores, & hæreses publice abjurasset, facultatem dedimus dilecto filio nostro sancti Officii Commissario, ut eum a Censuris, quibus innodatus erat, in forma Ecclesiæ consueta absolveret; quæ omnia in executionem dictæ nostræ Ordinationis die 3. Septembris labentis anni solemniter adimpleta sunt.

Et licet supra narratum Decretum de mandato nostro latum, ad majorem fidelium cautelam typis editum, publicis locis affixum, & divulgatum fuerit; nihilominus ne hujus Apostolicæ damnationis memoria futuris temporibus deleri possit, utque populus Christianus Catholica veritate instructior per viam salutis incedere valeat, Prædecessorum nostrorum summorum Pontificum vestigiis inhærentes, hac nostra perpetuo valitura Constitutione supradictum Decretum denuo approbamus, confirmamus, & debitæ executioni tradi mandamus: iterum supradictas Propositiones definitive damnantes, & reprobantes, librosque, & manuscripta ejusdem *Michaelis de Molinos* prohibentes, & interdicentes, sub eisdem pœnis, & Censuris contra transgressores latis, & inflictis.

Decernentes insuper, præsentes litteras semper, & perpetuo validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere: sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, quavis auctoritate fungentes, & functuros, ubique judicari, & definiri debere, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ac irritum, & inane quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Volumus autem, ut præsentium transumptis etiam impressis manu Notarii publici scriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem fides prorsus adhibeatur, quæ ipsis originalibus litteris adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis, damnationis, reprobationis, punitionis, Decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctam Mariam

riam Majorem, anno incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo octuagesimo-septimo duodecimo Kalend. Decembris, Pontificatus nostri anno duodecimo.

F. Datarius.

J. F. Albanus.

Registrata in Secretaria Brevium.

Visa de Curia. S. de Pilastris.

D. Ciampinus.

Loco ✠ Plumbi.

Anno a Nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo sexcentesimo octuagesimo octavo, Indictione Undecima, die vero 19. Februarii, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini N. D. Innocentii divina Providentia Papæ XI. anno ejus duodecimo, præsentes litteræ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Ecclesiæ Sancti Joannis Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, ac in Acie Campi Floræ, & in aliis locis solitis & consuetis Urbis per me Franciscum Perinum, Sanctissimi Domini nostri Papæ & Sanctissimæ Inquisitionis Cursorem.

EDITTO

Della Vita, ed onestà de' Chierici confermato nel Sinodo Diocesano.

Giacomo, per la Dio Misericordia, del Titolo de' Santi Pietro, e Marcellino, della S. R. C. Prete Cardinale Cantelmo, Arcivescovo di Napoli.

DOvendo Noi, per eseguir le parti del nostro pastoral uffizio, provedere al conveniente decoro, ed esemplarità de' costumi delle persone Ecclesiastiche di questa Città, e Diocesi; come di quelli, da' quali dipende lo Splendore di Santa Chiesa, e per il lor esempio, la santificazione de' popoli, a che sono tenuti per l' obbligo chiericale; per tanto inerendo alle sante, e lodevoli Costituzioni de' Sommi Pontefici, a' Sagri Canoni, ed altre disposizioni de' nostri Predecessori, col tenore del presente nostro Editto, ordiniamo, e comandiamo:

1. Che tutte le persone Ecclesiastiche a Noi soggette di que-

questa Città, e Diocesi di Napoli, ed anche straniere abitanti in essa di qualsivoglia stato, grado, e condizione si siano, ancora del Capitolo della nostra Chiesa Cattedrale, debbano andar vestite con vesti chiericali lunghe, e talari, foderate di color onesto, con le cinte, senza portar calzette di colore indecente ad Ecclesiastici, o fettuccie, o bottoni d'oro, e di gemme a' polsi, nè manichetti con merletti, ed alla maniera de' secolari; ma vadano modesti, come conviene a Chierici, sotto le pene imposte de' Sacri Canoni, e Constituzioni de' Sinodi Provinciali, e Diocesani de' nostri Predecessori, e della perdita della veste che porteranno contro la forma della nostra presente proibizione, ed altre a nostro arbitrio.

2. Ordiniamo, e comandiamo, ch' ogni Ecclesiastico vada con la chierica, e tonsura conveniente all' ordine ecclesiastico, nel quale è costituito, e non porti capelliere, volgarmente chiamate perrucchini, o capelli lunghi disdicevoli alla Chieresia, come viene stabilito nel Concilio Provinciale: sotto pena di carcere, ed altre a nostro arbitrio.

3. Proibiamo, che nessuna persona Ecclesiastica di qualsivoglia stato, e condizione ardisca portare, o farsi portare da altri, armi di qualsivoglia sorte, sì difensive, come offensive, e molto meno archibugietti, siansi lunghi, o corti, stiletti, coltelli lunghi, detti a fronde d' oliva, o alla Genovese, pugnali, e simili, e tutte armi proibite, ancorchè andassero per viaggio, sotto pena di cinque anni di relegazione per i nobili, e di cinque anni di galera rispetto agli altri: nelle quali siano compresi li minori di 25. anni, maggiori però di 18. ed i minori di detta età restino sotto le pene riservate a nostro arbitrio.

4. E perchè nelli Casali della nostra Diocesi, per la lontananza de' nostri Ministri, si rende difficile, se non quasi impossibile, ritrovare, e catturare in fragranti i transgressori de' sopraddetti nostri ordini, vogliamo per la puntuale osservanza d' essi che simili contravvenzioni si possano per l' avvenire provare per testimonj degni di fede, e maggiori d' ogni eccezione, sotto pena, in quanto a' Sacerdoti, e Chierici, che non porteranno vesti chiericali talari, collaro decente, cinta, e chierica come sopra, di sei mesi di carcere, ed altre a nostro arbitrio; e quanto a quelli che presumeranno di portar armi, tanto lunghe, come corte, e tanto di ferro, come di fuoco, sotto pena d' un anno di carcere, ed altre similmente a nostro arbitrio, anche per la prima volta che saranno denonziati; rimanendo però ferme, se saranno ritrovati in fragranti, le pene sopra imposte per le medesime contravvenzioni.

5. Che l' armi predette, tanto di fuoco quanto di qualsivoglia altra sorta, non possa veruno Ecclesiastico tenersele

sele in casa, sotto le pene della perdita di quelle, ed altre a nostro arbitrio, benchè fosse di qualsivoglia minor età, e che non possa portare magli ferrati fuori di Città, sotto pena di tre mesi di carcere.

6. Che niun Ecclesiastico possa tener giuochi di qualsivoglia sorta nelle proprie case, come in altre, o giardini, nè in altri luoghi, nè tenere, nè far tenere affitti di quelli, nè participazione alcuna in essi, nè possa giocare a dadi, o carte, o assistere a giuochi pubblici, nè meno a veder giocare, sotto pena di sei mesi di carcere, ed altre a nostro arbitrio; e sia lecito a' nostri ministri di pigliar dadi, carte, o danari, che se gli ritroveranno innanzi, quali s' intendano da essi guadagnati.

7. Che niun Ecclesiastico vada con barca per mare, o per terra, a piedi, o in carrozza, con donne scandalose, o sospette, o andar facendo musiche, o serenate, o sonando, cantando, nè di giorno, nè di notte, ancorchè non vi fossero donne, sotto pena a' Sacerdoti, ed altri d' ordine sagro, o benefiziati, di sei mesi di carcere, ed agli altri di tre mesi.

8. Che niun Ecclesiastico dimori, o vada in casa di meretrici, o donne sospette, nè tenga quelle in casa, nè con esse abbia comunicazione, sotto pena per la prima volta a' Sacerdoti, ed altri d' ordine sagro, o benefiziati, d' un anno di carcere, ed agli altri di sei mesi: quali pene si duplicheranno, se s' incorrerà più volte.

9. Che niun Ecclesiastico vada mascherato in tempo di carnevale, o d' altro tempo, nè di giorno, nè di notte, nè a veder commedie pubbliche, nè reciti in esse, sotto pena a' Sacerdoti, ed altri d' ordine sagro, o benefiziati, di sei mesi d' esilio, ed agli altri di tre mesi, ed altre a nostro arbitrio.

10. Che niun Ecclesiastico, tanto in tempo d' estate, come in altro tempo, ardisca di nuotare in pubblico, ed esposto alla vista de' secolari, ovvero nella spiaggia di Posilippo, essendo indecentissimo allo stato chiericale; sotto pena di tre mesi di carcere, ed altre a nostro arbitrio, tanto a' Chierici, quanto a' Sacerdoti.

11. Proibiamo a' Sacerdoti, ed altri d' ordine sagro, o benefiziati, d' attendere a negozj forensi di qualsivoglia sorta ne' Regj tribunali, eccetto proprj, o delle loro Chiese, o di persone miserabili, servata la forma del Sagro Concilio di Trento, sotto le pene riservate a nostro arbitrio; nè possa nelli suddetti casi alcun Chierico, o Sacerdote, sotto l' istesse pene, andare ne' Regj tribunali, se prima non avrà da Noi, o dal nostro Vicario generale la licenza in scriptis, che, secondo il solito, si concederà gratis.

12. Che niuno ardisca di portare l' abito Clericale, passata l' età di sette anni, in questa Città, e Diocesi, se non sarà almeno tonsurato, senza licenza del nostro Vicario generale, da concedersi come sopra, sotto pena della perdita

ta dell'abito, ovvero sottana, rivocando ogni altra licenza per l'addietro conceduta; e li Chierici in minoribus, che han lasciato l'abito Chiericale, non ardiscano ripigliarlo senza nostra licenza, da concedersi come sopra, sotto pena di carcere, o d'altro a nostro arbitrio.

13. Avendo il Sig. Card. Caracciolo di buona memoria ordinato, in esecuzione de' Decreti del Sac. Conc. di Trento, che tutt'i Chierici d'ordini minori, e maggiori fra gli altri requisiti da presentare per esser promossi, uno de' principali fosse l'attestato d'essersi frequentemente esercitati ne' loro ordini respective, e d'aver similmente frequentato i Santissimi Sagramenti, e perchè ci dispiace sentire, che non pontualmente s'eseguiscono; pertanto, a fine d'esserne maggiormente accertati, vogliamo, che vengano ogni Domenica mattina i medesimi Chierici d'Ordini minori, e maggiori di questa Città, e Borghi, da i Preti della Missione al Borgo delle Vergini, ad esercitarsi ivi nelle sacre fonzioni, nelle quali saranno istruiti, e ne riceveranno la santissima Comunione; e dal Superiore di detti Missionarj ne doveranno riportare l'attestato, tanto dell'esercizio delle sagre funzioni, quanto d'avervi ivi frequentemente ricevuta la santissima Comunione, senza quali non saranno mai ammessi agli Ordini, che respettivamente chiederanno.

14. Che ciascun Chierico, o Sacerdote, in tutte le fonzioni Ecclesiastiche che occorreranno, oltre le vesti comuni talari convenienti, conforme s'è detto di sopra, porti la cotta, e berretta da Prete sotto pena a nostro arbitrio; rinnovando anche in ciò l'altre pene imposte contro quelli, che nei funerali contravvengono, secondo gli ordini de' nostri Predecessori ne' loro Editti, e Sinodi Diocesani.

15. Considerando, quanto sia giovevole alla salute dell'anime l'istruirsi ne' documenti della Santa Fede, al qual effetto fu creata da' nostri Predecessori una deputazione d'Ecclesiastici; avvertiamo così i Chierici, che vorranno essere promossi a gli Odini, come i Sacerdoti, i quali non sono approvati, e vorranno essere approvati ad udire le confessioni, che non saranno ammessi; se fra gli altri requisiti, non porteranno fede autentica d'essersi esercitati in insegnare la Dottrina Cristiana, secondo gli sarà prescritto dalli nostri Deputati, come ordinò la Santità di Nostro Signore, mentre era Arcivescovo di questa Città, con Editto dei 10. Febbraro dell'anno trascorso, e per maggiormente abilitarsi in questo Apostolico ministero, vogliam, che siano tenuti d'andare frequentemente in una delle Congregazioni d'Ecclesiastici di questa Città a loro arbitrio, o almeno il Sabbato dopo pranzo di venire nella nostra Cattedrale, dove ci provederemo d'Instruttori.

16. Perchè molti, o essendo poco degni dei Sacri ministeri, o per isfuggire quella maggior cultura, che pos-

sono ricevere dal proprio Pastore, ricorrono con finti, e mendicati pretesti da Vescovi alieni, o per esser tonsurati, o per esser promossi ad altri Ordini, contro la disposizione de' Sagri Canoni, del Sacro Conc. e Constit. Apostoliche, abbiamo perciò Noi stimato di paternamente ammonirli a non incorrere consimile reato, perchè procederemo con ogni rigore all' esecuzione delle pene imposte da' medesimi Sagri Canoni, e Costituzioni Apostoliche, e specialmente alla sospensione dall' esercizio degli Ordini, anche con l'esempio de' nostri Predecessori.

17. Essendoci pervenuto a notizia, che molti Ecclesiastici forastieri poco disciplinati, e meno instrutti nelle sacre cerimonie della Messa, e molte volte inquisiti nelle loro patrie, capitano a celebrare in questa Città: e dovendo Noi invigilare, che questo sacrosanto Sacrifizio si celebri con la maggior devozione, e venerazione possibile, ordiniamo, che non siano ammessi in alcuna Chiesa a celebrare, senza la licenza del nostro Vicario generale, la quale non si darà, se prima non averanno esibite le lettere dimissoriali de' loro Ordinarii, e quelle non saranno riconosciute, e ritrovate nella forma dovuta, da due Sig. Deputati da Noi a tal effetto; e se li medesimi Sacerdoti non saranno anche ritrovati bene instrutti nelle sacre cerimonie dalli Preti della casa della Missione fatta nel Borgo delle Vergini, secondo lo stile introdotto da' nostri Predecessori; andando per altro con abito, e forma decente ad Ecclesiastico. E quelli Sacrestani, e qualsivoglia altre Persone Ecclesiastiche, che li ammetteranno a celebrare senza la suddetta licenza, incorreranno nelle pene contenute ne' Sinodi di questa Città, e suo Conc. Prov. all' esecuzione delle quali procederemo, anche in virtù de' Decreti della Sacra Congreg. spezialmente emanati per questa nostra Diocesi, comprensivi di qualsivoglia persone anche privilegiate, ed esenti.

18. Similmente niun Sagrestano, o altra persona Ecclesiastica, sotto pena a nostro arbitrio, ardisca di ammettere Sacerdoti a celebrare, o con sottane corte, o altre vesti d'aggiustacore, giamberghe, e consimili, indecenti ad Ecclesiastici, nè con parrucche, chiome, e capelli lunghi; ma solo con sottane lunghe, e talari; e niun Sacerdote ardisca di celebrare con anello in dito, sotto la pena della perdita di esso: ed insieme ordiniamo, che al servizio delle Chiese non ammettano, senza nostra licenza, o del nostro Vicario generale, da concedersi gratis, persone, quali non siano iniziate almeno di prima tonsura, e quelli medesimamente con abito decente, come sopra, e che non si tengano scanni, o altre cose simili per sedere, nè far conversazione nelle porte delle Chiese, sotto pena a nostro arbitrio, ed altre comminate ne' Sinodi, ed Editti altre voltre emanati da' nostri Predecessori.

Dichiarando, che in tutti li predetti capi riserviamo l' arbitrio di poter accrescere o sminuire le pene stabilite, secon-

secondo la qualità de' fatti. E acciocchè niuno possa allegare causa d'ignoranza, ordiniamo, che il presente Editto sia pubblicato, ed affisso nella nostra Chiesa Cattedrale, e nelle Chiese Parrocchiali di questa Città, e Diocesi, e stia perpetuamente affisso nelle Sagrestie delle medesime in luogo patente; qual pubblicazione, ed affissione vogliamo che abbia effetto, come se fosse a ciascheduno intimato personalmente. Dato in Napoli, dal nostro Palazzo Arcivescovale, questo dì 21. Gennaro 1692.

Giacomo Card. Cantelmo, Arcivescovo.

BENEDICTI XIV.

CONSTITUTIO

Circa Matrimonia, quæ vocantur Conscientiæ.

Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis.

BENEDICTUS

PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

" SATIS Vobis compertum esse non dubitamus, *Venerabiles Fratres*, eam semper fuisse piæ Matris Ecclesiæ vigilem curam, ut Sacramentum Matrimonii, *Magnum* ab Apostolo nuncupatum, publice, & palam a Fidelibus celebretur. Quod quidem, ut diligentius, quam antea factum fuerat, imposterum ab omnibus observaretur, Sancta Tridentina Synodus, Lateranensis Concilii sub Innocentio III. celebrati vestigiis inhærendo, præcepit, ut imposterum, antequam Matrimonium contrahatur, ter a proprio Contrahentium Parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia publice denuntietur; deindeque, nullo legitimo concurrente impedimento, ad illius celebrationem in facie Ecclesiæ, coram Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus Testibus præsentibus, rite procedatur. Voluit etiam eadem Sancta Synodus, apud Parochum diligenter Librum custodiri, in quo Conjugum, & Testium nomina, diesque, & locus Matrimonii describantur.

" §. I. Providæ tamen hujusmodi leges, tanta auctoritate saluberrime institutæ, prava horum temporum

" con-

* conditione ſenſim prolabi viſæ ſunt, & enerves pro-
* pemodum reddi, ob Matrimonia uſu nimis recepta,
* quæ occulte adeo celebrantur, ut illorum notitia,
* quantum fieri poteſt, obliteretur, & in tenebris igno-
* rantiæ perpetuo jaceat conſepulta. In more etenim
* poſitum eſt, illa celebrari nullis præviis factis Denun-
* ciationibus, coram ſolo Parocho, vel alio Sacerdote
* de ejus licentia, adhibita præſentia tantum duorum
* Teſtium appoſite a Contrahentibus advocatorum, quo-
* rum fides nemini illorum eſt ſuſpecta; remque peragi
* ſæpe extra Eccleſiam, quandoque etiam intra illam,
* januis tamen occluſis, vel eo temporis momento, quo
* ſemota alterius cujuſvis præſentia, ſcientia initi Ma-
* trimonii, præter Parochi, Contrahentium, Teſtium-
* que perſonas, alios penitus effugiat.
* §. 2. Quantum a Sacramenti dignitate, & ab Ec-
* cleſiaſticarum legum præſcripto occulta hæc Matrimo-
* nia, *Conſcientiæ* vulgo nuncupata, ut plurimum ab-
* horreant, ſatis ſuperque conjicere quis poterit, qui
* mentis aciem ad exitioſos illorum effectus convertat.
* Hinc enim gravia ortum habent peccata, præſertim
* vero eorum, qui Divini Judicii interminatione poſt-
* habita priore Uxore, cum qua clam contraxerunt,
* relicta, cum alia ſpe futuri Matrimonii decepta, &
* in turpem ſecum vivendi licentiam adducta, palam
* contrahere promittunt. Quorumdam vero mentem
* ita pravæ cupiditates excæcant, ut novum contra-
* here ſecretum Matrimonium audeant, poſt alterum
* ſecreto itidem contractum, & nondum prioris Con-
* jugis morte ſolutum, ſeſeque magno ſcelere polyga-
* mos reddant. Alii etiam eo impudentiæ devenere,
* ut in hujus magni Sacramenti contemptum, poſt pri-
* mas ſecreto initas, alteras aut publice, aut privatim
* nuptias contrahendo, ſeſe audacius polygamia pari-
* ter innodare non perhorreſcant. Age vero quam gra-
* via, quam nullo pacto ferenda ex his Matrimoniis
* mala oriantur. Si enim ad quamcumque Matrimonii
* ſuſpicionem ſubmovendam, Virum ſeorſim a Mulie-
* re vivere contingat, ſublata eſt illico individua vi-
* tæ conſuetudo, & contemptum eſt verbum Domini:
* *Adhærebit Homo Uxori ſuæ, & erunt duo in carne*
* *una*: Sin hæc vitæ conſuetudo ſervetur, nemo eſt,
* qui illam criminis non arguat, & utpote deteſtabi-
* lem, in ſcandali materiam non traducat. Neque illa-
* ta per ſcandalum diſpendia rependit ſubſecuta celebra-
* tio occulti Matrimonii, quod in tenebris deliteſcit,
* & ab omnibus ignoratur.
* §. 3. Leviora quoque damna non ſunt, quæ ſuſce-
* ptæ proli irrogantur. Sæpe enim contingit, illam a
* Parentibus, & a Matre præſertim amotam, nec pie,
* nec liberaliter inſtitui; ſed incertis fortunæ caſibus
* objectam relinqui; niſi etiam Parentes ipſi, contra

* naturæ leges, auſu nefario illius vitæ inſidientur.
* Ubi vero tam immane facinus Parentes deterreat,
* illoſque ad ſobolem alendam, inſtituendamque huma-
* nitas ipſa compellat; alia imminet Liberis ſuſceptis
* ex occulto Matrimonio lugenda Avitarum facultatum,
* & Bonorum jactura, pro quorum poſſeſſione aſſequen-
* da quamvis clament jura ſanguinis, illis tamen ca-
* reant neceſſe eſt, propter occulta Parentum Matrimo-
* nia, & ademptam legitimitatis, & Filiationis proba-
* tionem.

* §. 4. Huic etiam malorum origini ſunt referenda ip-
* ſa quoque ſecreta Matrimonia contracta a Filiisfami-
* lias contra Patris juſte diſſentientis voluntatem: ex
* quibus quam gravia incommoda exoriri ſoleant, ne-
* minem latet. Quid plura? Adeo invaluit malitia, ut
* quandoque in Minoribus Ordinibus conſtituti Penſio-
* nes, & Beneficia, ad Divinum Cultum Eccleſiaſtica
* munia inſtituta, etiam poſt initum clam Matrimonium
* retinuerint, ſibique de mammona iniquitatis loculos
* miſerrimi comparaverint.

* §. 5. Deflenda hæc igitur potius uberibus lacrymis,
* quam latiore calamo explicanda malorum congeries, &
* cum ex hac Apoſtolicæ Sedis ſpecula omnes ſibi vin-
* dicet noſtræ vigilantiæ curas; temperare non poſſu-
* mus, quin Vos ipſos, Venerabiles Fratres, in par-
* tem noſtræ ſollicitudinis evocantes, veſtram pietatem,
* & zelum excitemus ad cuſtodiendas vigilias noctis ſu-
* per Grege Vobis credito, quem luctuoſa horum tem-
* porum conditio in diſcrimen adducit. Primum itaque
* periculi non infrequens occaſio Vos reddat difficilio-
* res ad remittendum Publicationes, a quibus contra-
* cturi Matrimonium ſæpe per malitioſam ſuggeſtionem
* petunt diſpenſari. Quam caute, ſolerterque oporteat
* ea in re Epiſcopos verſari, non obſcura Vobis a
* Concilio Tridentino exhibentur argumenta. Si enim
* (ait eadem Sancta Synodus) probabilis fuerit ſuſpi-
* cio, Matrimonium malitioſe impediri poſſe, ſi præ-
* ceſſerint Denunciationes; tunc vel una tantum De-
* nunciatio fiat; vel ſaltem Parocho, & duobus Teſti-
* bus præſentibus, Matrimonium celebretur, & deinde
* ante illius conſummationem Denunciationes in Eccle-
* ſia fiant, ut ſi aliqua ſubſunt impedimenta, facilius
* detegantur. Præterea licet Epiſcopo relictum ſit o-
* mnimode ſuper Denunciationibus diſpenſare, hæc ta-
* men facilitas, non a ſola Diſpenſantis voluntate pen-
* det, ſed a Tridentino coercetur arctis prudentiæ, di-
* ſcretique arbitrii legibus; quod idem eſt, ac legiti-
* mam cauſam diſpenſationis requirere.

* §. 6. Parem quoque, imo fortaſſe majorem vigi-
* lantiam neceſſe eſt a Vobis adhiberi, ne, poſt remiſ-
* ſas Denunciationes, celebretur Matrimonium coram
* Parocho, vel alio Sacerdote ab ipſo Parocho, vel a

* Vo-

* Vobis deputato, præſentibus duobus, vel tribus Te-
* ſtibus confidentibus, ne ulla celebrationis notitia, vel
* rumor oriantur. Id enim, ut ad præſcriptum Sacro-
* rum Canonum licite fieri poſſit, non ſatis eſt obvia
* quævis & vulgaris cauſa, ſed gravis, urgens, &
* urgentiſſima requiritur. A Sacro Noſtræ Pœnitentia-
* riæ Tribunali eo potiſſimum caſu fit poteſtas ita ce-
* lebrandi Matrimonium, quo Vir, & Fœmina in fi-
* gura Matrimonii publice degentes, & de quibus nul-
* la viget criminis ſuſpicio, in occulto tamen Concu-
* binatu perſeverent: Facile enim quiſque conjiciet,
* quam abſonum eſſet, eos a ſtatu damnationis per
* gratiam Sacramenti revocandos, ad publice contrahen-
* dum Matrimonium præviis Denunciationibus compel-
* li. Hanc vero praxim Vobis duximus proponendam,
* non quia Diſpenſatio præmiſſo caſui ſolum congruat,
* cum alii ſimiles, & fortaſſe urgentiores eſſe poſſint,
* in quibus diſpenſari expediat; ſed quia Veſtri Paſtora-
* lis Officii partes verſari debent in ſedulo inveſtiganda
* legitima, & urgenti cauſa Diſpenſationis, ne Matrimo-
* nia occulte celebrata luctuoſos habeant exitus, quos
* intimo cordis mœrore recenſuimus.

* §. 7. Hunc porro in ſcopum Vos hortamur, & im-
* penſe admonemus, ut Perſonarum Matrimonium ſe-
* creto contrahere petentium diligens fiat a Vobis inqui-
* ſitio: An ſcilicet ejus qualitatis, gradus, & conditio-
* nis ſint, quæ id probe expoſcant; an ſint ſui, vel a-
* lieni juris; An Filiifamilias, quorum nuptiæ Patri ju-
* ſte diſſentienti ſint inviſæ: ab Epiſcopali etenim, quod
* geritis, munere nimium eſſet alienum, facilem præbe-
* ri Filio inobedientiæ occaſionem; An res ſit de Perſo-
* nis Eccleſiaſticis, licet in Minoribus Ordinibus conſti-
* tutis, Penſiones, & Beneficia Eccleſiaſtica obtinenti-
* bus, ut deteſtabilis illorum retentio in ſtatu Uxorato
* congruis remediis poſtea compeſcatur. Potiſſimum ve-
* ro curet Veſtra ſollicitudo, antequam ſecreti Matrimo-
* nii licentia concedatur, quod Contrahentes clara, &
* indubia, & a quavis fraude immunia exhibeant docu-
* menta ſtatus liberi, ad avertendum ab iis, qui im-
* probi ſint ingenii, polygamiæ periculum.

* §. 8. Quod attinet ad Miniſtrum ſecreti Matrimo-
* nii, volumus ad id munus deputari Parochum alte-
* rius ex Contrahentibus, quem notitia Perſonarum,
* experientia, & diuturnus rerum uſus, quovis Sacerdo-
* te extraneo peritiorem effeciſſe præſumuntur. Si quæ
* tamen Vobis occurrant circumſtantiæ, quæ alium Sa-
* cerdotem loco Parochi expoſcere videantur; gravi im-
* pellente cauſa, is Sacerdos a Vobis eligatur, qui pro-
* bitate, & doctrina, & obeundi muneris peritia com-
* mendetur.

* §. 9. Uni tamen, aut alteri Sacramenti Miniſtro a
* Vobis deputando diſtricte præcipiatur, ne Matrimo-

nio intersit, nisi prius paterna charitate Conjuges in Domino monuerit, Sobolem procreandam regenerari quamprimum oportere Sacro Baptismatis lavacro; ac Christo Judici districtam reddituros esse rationem, nisi Filios ut legitimos agnoverint, eosque pietate, bonisque moribus imbuerint, & frui patiantur Bonis temporalibus, a Majoribus in supremis tabulis relictis, vel provida legum auctoritate delatis.

§. 10. Celebrato autem Matrimonio, indilate a Parocho, vel alio Sacerdote, coram quo initum est, exhibeatur Episcopo illius scriptum documentum, cum nota loci, & temporis, Testiumque, qui celebrationi interfuerunt. Vestrum erit postea diligenter incumbere, quod ad perennem gestæ rei memoriam, præfatum documentum fideliter transcribatur in Libro prorsus distincto ab altero, in quo Matrimonia publice contracta de more adnotantur. Hujusmodi Liber pro Matrimoniis secretis apposite compactus, clausus, & Sigillis obsignatus, in vestra Episcopali Cancellaria caute erit custodiendus: Et eo tantum casu resignari, & aperiri vestra accedente licentia patiemini, quo alia id genus Matrimonia describi oporteat, vel id sibi vindicet justitiæ administrandæ necessitas, vel demum aliquod documentum ab eo exposcant verum interesse habentes, quibus probationum aliunde petendarum non suppetit copia: Sedulo tamen animadvertentes, quod, re absoluta, denuo claudatur, & Sigillis, ut antea, obsignetur. Fides, seu Attestationes clam celebrati Matrimonii, a Parocho, vel Sacerdote, qui vices Parochi gessit, exarandæ, Vobisque exhibendæ, transcribantur in dicto Libro, prout jacent, de verbo ad verbum, a Persona a Vobis deputanda, quæ apud omnes integritatis, probatique nominis luculentum habeat testimonium. Fides vero, & attestationes ipsæ in secretiori loco, sartæ tectæque a Vobis serventur.

§. 11. Quod si ex occulto hujusmodi Matrimonio Prolem nasci contingat, eadem mundetur salutari Aqua Baptismi in Ecclesia, in qua aliis Infantibus hoc Sacramentum indistincte confertur. Et quia ad operiendum clam initum Matrimonium, facile est in Libro Baptizatorum nullam fieri mentionem Parentum, & eorum Nomina consulto reticeri: Volumus, ac expresse mandamus, quod a Patre Baptizati, eoque defuncto, ab illius Matre, suscepta Proles vobis denuncietur; dictaque Denunciatio fiat, vel immediate per Parentes ipsos, vel per literas eorum charactere exaratas, vel per fide dignam Personam ab ipsis Parentibus designatam, ut certo, & clare Vobis constet, quod proles tali loco, & tempore, vel reticitis, vel falso expressis nominibus Parentum, baptizata, est legitima; licet occulti Matrimonii fœdere

pro-

* procreata. Quæ ſane omnia cum Vobis innotuerint, ne illorum excidat memoria, in Libro fideliter deſcribentur ab eo, cui facta a Vobis eſt poteſtas adnotandi Matrimonia occulte celebrata. Liber, in quem Baptizatorum, ac utriuſque Parentis nomina referentur, quamvis diſtingui debeat ab altero Matrimoniorum; eadem tamen diligentia, iiſdemque cautelis in Cancellaria Epiſcopali clauſus, & ſigillis obſignatus, erit cuſtodiendus, prout Librum Matrimoniorum caute cuſtodiri ſupra mandavimus.

* §. 12. Quia vero nonnulli deeſſe non poſſunt, qui propriæ conſcientiæ vocibus obſurdeſcant, & noſtris hiſce mandatis parere negligant; debita pœnarum diſtrictione pro modo culpæ a Vobis puniantur. Quinimmo cum ſatis Nobis experientia compertum ſit, in hujuſmodi negotiis homines, in terram oculos declinantes, ob humanos reſpectus tardiores effici, & a recte agendi ſemita revocari: Mandamus idcirco, Matrimonia occulta a Vobis evulgari, & nota fieri, ſi certo Vobis conſtiterit, ex aliquo Matrimonio occulto procreatam fuiſſe Sobolem, & baptizatam ſuppreſſis Parentum nominibus, nulla præſtita Vobis notitia, ut par erat, ab illius Parentibus, intra triginta dies a Nativitate numerandos.

* §. 13. Ne autem Contumaces, & Inobedientes, violatæ fidei, proditique Secreti Paſtores ſuos inſimulent; ſedulo a Vobis curandum eſt, ut a Parocho, vel alio Sacerdote pro ſecreta celebratione Matrimonii a Vobis deputando, Conjuges clare, & aperte moneantur, ea lege, & pacto illis permitti Secreti Matrimonii celebrationem, ut Soboles inde procreanda non ſolum regeneretur Sacro Baptiſmate, ſed poſt Baptiſma denuncietur Epiſcopo cum nota loci, & temporis adminiſtrati Sacramenti, ac ſincera indicatione Parentum, a quibus ortum habuit, quemadmodum ſupra præmiſſum eſt: Alioquin Matrimonium, licet contractum data per Epiſcopum Secreti fide, in lucem proferetur, in gratiam Filiorum, & ad propulſandam ab illis gravem, nulloque pacto ferendam jacturam.

* §. 14. Volumus denique, ac mandamus, Fides, ſeu Atteſtationes Matrimonii clam initi, & Sobolis ex eo procreatæ, excerptas ex dictis Libris, modo, quo dictum eſt, apud Vos caute cuſtodiendis, tantam promereri fidem, quantam ſibi alii Libri Parochiales Baptiſmatis, & Matrimonii vindicare conſueverunt.

* §. 15. Hæc a Vobis, Venerabiles Fratres, in hac temporum calamitate obſervari enixe præcipimus, ad communem Animarum ſalutem, & ad præſidium Eccleſiaſticæ diſciplinæ, propter invaleſcentem hominum

malitiam nova semper detrimenta vel patientis, vel reformidantis. Cæterum nostris hisce literis sublata nolumus ea validiora remedia, quæ huic malo in diem ingruenti consona dignoscet prudentia vestra, ad Pastorale officium cumulate obeundum. Vobis interea paternæ charitatis, & benevolentiæ testem, Apostolicam Benedictionem impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 17. Novembris 1741. Pontificatus Nostri Anno II.

BENEDICTI XIV.

CONSTITUTIO

Circa Matrimonia in Hollandia, & in Belgio contracta, & contrahenda.

Matrimonia, quæ in locis Fœderatorum Ordinum dominio in Belgio subjectis iniri solent, sive inter Hæreticos ex utraque parte, sive inter Hæreticum ex una parte Virum, & Catholicam Fœminam ex alia, aut viceversa, non servata forma a Sacro Tridentino Concilio præscripta, utrum valida habenda sint, nec ne, diu multumque disceptatum est, animis hominum, ac sententiis in diversa distractis: Id quod satis uberem anxietatis, ac periculorum sementem per multos annos subministravit, quum præsertim Episcopi, Parochi, atque illarum Regionum Missionarii, nihil certi hac super re haberent, nihil vero inconsulta S. Sede auderent statuere, ac declarare. Cum autem, proxime evolutis annis, in tam ancipiti, gravique causa Apostolicæ Sedis judicium vehementius exposceretur, urgeretque id imprimis vigilantissimus Yprensis Episcopus, dum pro debito Officii sui, & sua erga Beati Petri Cathedram observantia, de Ecclesiæ sibi concreditæ statu ad Romanum Pontificem referebat, ponendumque omnino esse tam prolixæ dubitationi finem, gravissimis verbis, ac rationibus persuaderet: Clemens XII. id temporis Romanus Pontifex, qui rei gravitatem, quanti oportebat, æstimaret, Sacræ Congregationi Eminentiss. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum in mandatis dedit, ut de tota controversia diligenter more suo cognosceret. In re itaque tanti momenti volens eadem Sacra Congregatio quam accuratissime procedere, commissæ sibi cognitionis initium ab exquisitis aliorum quoque Belgii Episcoporum Relationibus, atque sententiis, quas desuper explorari satagit, petendum duxit, eodemque tempore audire voluit præstantes aliquot hujus Almæ Urbis Theologos, quibus injunxit, ut rem to-

tam

* tam ea qua decet, maturitate discuterent, suamque o-
* pinionem proferrent.
* §. 1. At dum hæc maxime agerentur, superseden-
* dum per aliquot menses fuit ab istiusmodi Causæ ex-
* peditione, propter viduitatem, quæ intercidit Roma-
* næ Ecclesiæ, donec ad Summum Pontificatum felici-
* ter evectus Sanctissimus D. N. Benedictus XIV. inter
* primas Regiminis sui curas, Causæ hujus cognitio-
* nem repeti jussit a memorata Sacra Congregatione
* Concilii, quam voluit coram se haberi, ut, auditis
* Eminentissimorum Patrum Sententiis, ipse demum
* quid hac de re tenendum foret, supremo suo pronun-
* ciaret oraculo. Cum igitur Congregatio præfata sub
* die 13. Maji currentis anni 1741. coram Sanctitate
* Sua fuerit habita, idem Sanctissimus D. N. spatio ali-
* quo temporis ad rem secum expendendam accepto,
* hanc nuper Declarationem, & Instructionem exarari
* præcepit, qua, veluti certa regula, ac norma, omnes
* Belgii Antistites, Parochi, earumque Regionum Mis-
* sionarii, & Vicarii Apostolici deinceps in hujusmodi
* negotiis uti debeant.
* §. 2. Primo scilicet, quod attinet ad Matrimonia
* ab Hæreticis inter se in locis Fœderatorum Ordinum
* dominio subjectis celebrata, non servata forma per
* Tridentinum præscripta, licet Sanctitas Sua non igno-
* ret, alias in casibus quibusdam particularibus, & at-
* tentis tunc expositis circumstantiis, Sacram Congre-
* gationem Concilii pro eorum invaliditate respondisse;
* æque tamen compertum habens nihil adhuc genera-
* tim, & universe super ejusmodi Matrimoniis fuisse ab
* Apostolica Sede definitum, & alioquin oportere omni-
* no ad consulendum universis Fidelibus in iis locis de-
* gentibus, & plura avertenda gravissima incommoda,
* quid generaliter de hisce Matrimoniis sentiendum sit,
* declarare; negotio mature perpenso, omnibusque ra-
* tionum momentis hinc inde sedulo libratis, declara-
* vit, statuitque, Matrimonia in dictis Fœderatis Bel-
* gii Provinciis inter Hæreticos usque modo contracta,
* quæque imposterum contrahentur, etiamsi forma a
* Tridentino præscripta non fuerit in iis celebrandis ser-
* vata, dummodo aliud non obstiterit canonicum impe-
* dimentum, pro validis habenda esse; Adeoque si con-
* tingat, utrumque Conjugem ad Catholicæ Ecclesiæ
* sinum se recipere, eodem, quo antea, conjugali vin-
* culo ipsos omnino teneri, etiamsi mutuus consensus
* coram Parocho Catholico ab eis non renovetur; Sin
* autem unus tantum ex Conjugibus, sive Masculus,
* sive Fœmina, convertatur, neutrum posse, quamdiu
* alter superstes erit, ad alias nuptias transire.
* §. 3. Quod vero spectat ad ea Conjugia, quæ pari-
* ter in iisdem Fœderatis Belgii Provinciis, absque for-
* ma a Tridentino statuta, contrahuntur a Catholicis

cum Hæreticis, sive Catholicus Vir Hæreticam Fœminam in Matrimonium ducat, sive Catholica Fœmina Hæretico Viro nubat, dolens imprimis quam maxime Sanctitas Sua, eos esse inter Catholicos, qui insano amore turpiter dementati, ab hisce detestabilibus Connubiis, quæ S. Mater Ecclesia perpetuo damnavit, atque interdixit, ex animo non abhorrent, & prorsus sibi abstinendum non ducunt, laudansque magnopere zelum illorum Antistitum, qui, severioribus propositis spiritualibus pœnis, Catholicos coercere student, ne sacrilego hoc vinculo se se Hæreticis conjungant; Episcopos omnes, Vicarios Apostolicos, Parochos, Missionarios, & alios quoscumque Dei, & Ecclesiæ fideles Ministros in iis Partibus degentes serio, graviterque hortatur, & monet, ut Catholicos utriusque sexus ab hujusmodi nuptiis in propriarum Animarum perniciem ineundis, quantum possint, absterreant, easdemque Nuptias omni meliori modo intervertere, atque efficaciter impedire satagant. At, si forte aliquod hujus generis Matrimonium, Tridentini forma non servata, ibidem contractum jam sit, aut imposterum (quod Deus avertat) contrahi contingat; declarat Sanctitas Sua, Matrimonium hujusmodi, alio non concurrente canonico impedimento, validum habendum esse, & neutrum ex Conjugibus, donec alter eorum supervixerit, nullatenus posse, sub obtentu dictæ formæ non servatæ, novum Matrimonium inire. Id vero debere sibi potissime in animum inducere Conjugem Catholicum, sive Virum, sive Fœminam, ut pro gravissimo scelere, quod admisit, pœnitentiam agat, ac veniam a Deo precetur, coneturque, pro viribus alterum Conjugem a vera Fide deerrantem ad gremium Catholicæ Ecclesiæ pertrahere, ejusque Animam lucrari, quod porro ad veniam de patrato crimine impetrandam opportunissimum foret, sciens de cetero, ut mox dictum est, se istius Matrimonii vinculo perpetuo ligatum iri.

§ 4. Ad hæc declarat Sanctitas Sua, ut quidquid hactenus sancitum, dictumque est de Matrimoniis sive ab Hæreticis inter se, sive inter Catholicos, & Hæreticos initis in locis Fœderatorum Ordinum Dominio in Belgio subjectis, sancitum, dictumque intelligatur etiam de similibus Matrimoniis extra fines Dominii eorumdem Fœderatorum Ordinum contractis ab iis, qui addicti sunt Legionibus, seu Militaribus Copiis, quæ ab iisdem Fœderatis Ordinibus transmitti solent ad custodiendas, muniendasque Arces conterminas, vulgo dictas *di Barriera*; Ita quidem, ut Matrimonia ibi præter Tridentini formam, sive inter Hæreticos utrinque, sive inter Catholicos, & Hæreticos inita, valorem suum obtineant, dummodo uterque Conjux ad easdem Copias, sive Legiones perti-

neat;

* neat ; Et hanc declarationem vult Sanctitas Sua com-
* plecti etiam Civitatem Mosæ Trajectensis, a Republi-
* ca Fœderatorum Ordinum, quamvis non jure domi-
* nii, sed tantum oppignorationis, ut ajunt, nomine
* possessam.

* §. 9. Tandem circa Conjugia, quæ contrahuntur,
* vel in Regionibus Principum Catholicorum ab iis, qui
* in Provinciis Fœderatis domicilium habent, vel in Fœ-
* deratis Provinciis ab habentibus domicilium in Regio-
* nibus Catholicorum Principum, nihil Sanctitas Sua de
* novo decernendum, aut declarandum esse duxit; vo-
* lens, ut de iis, juxta canonica Juris communis prin-
* cipia, probatasque in similibus casibus alias editas a
* Sacra Congregatione Concilii resolutiones, ubi dispu-
* tatio contingat, decidatur. Et ita declaravit, statuit-
* que, ac ab omnibus imposterum servari præcepit.
* Die 4. Novembris 1741.

A Card. Gentili S. C. Concilii Præf.

C. A. Archiep. Philippen. Secret.

BENEDICTI XIV.

CONSTITUTIO

Circa ordinem servandum in Causis Matrimonialibus.

BENEDICTUS

EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

* DEI miseratione, cujus judicia incomprehensibi-
* lia sunt, & viæ investigabiles in suprema Ec-
* clesiæ specula immerentes constituti, ut super
* universum Dominicum gregem excubias sedulo aga-
* mus, ad commissum Pastoralis officii munus perti-
* nere dignoscimus, subnascentes ex infernalis hostis
* astutia, & hominum malitia, abusus, quibus &
* animarum saluti pernicies, & Sacramentis Ecclesiæ in-
* juria infertur, radicitus evellere, & potestatis No-
* bis desuper traditæ operam interponere, ut & hu-
* mana cohibeatur temeritas, & veneranda Divinæ le-
* gis servetur auctoritas.

* §. 1. Siquidem Matrimonii fœdus a Deo institutum,

quod, & quatenus naturæ officium est, pro educandæ prolis studio, aliisque Matrimonii bonis servandis perpetuum, & indissolubile esse convenit; & quatenus est Catholicæ Ecclesiæ Sacramentum, humana præsumptione dissolvi non posse, Salvator ipse ore suo pronunciavit, dicens: *Quod Deus conjunxit, homo non separet:* ad aures Apostolatus nostri pervenit, in quibusdam Ecclesiasticis Curis inconsulta nimis Judicum facilitate infringi, & temere, atque inconsiderate de eorumdem Matrimoniorum nullitate latis sententiis, potestatem Conjugibus fieri transeundi ad alia vota. Quos sane improvidos Judices humanæ naturæ conditione, & voce ipsa quodammodo admoneri oportebat, ne tam præcipiti audacia Sanctum Matrimonii nexum frangerent, quem perpetuum, atque indissolubilem primus humani generis Parens præmonuit, inquiens: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea:* Et illud additum est: *Quamobrem relinquet homo Patrem suum, & Matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.*

§. 2. Hujusmodi autem abolendæ pravitatis notitia diversis ex partibus Nobis delata est; atque etiam indicata sunt exempla nonnullorum Virorum, qui post primam, secundam, ac tertiam, quam duxerant, uxorem, ob nimiam Judicum præcipitantiam in nullitate Matrimoniorum declaranda, adhuc illis primis uxoribus superstitibus, ad quartas contrahendas nuptias devenerant; & similiter fœminarum, quæ post primum, secundum, & tertium maritum, quarto etiam, illis quoque viventibus, se junxerant, non sine pusillorum scandalo, & bonorum omnium detestatione, qui sacra Matrimonii vincula ita contemni, & temere perfringi dolebant. Nos autem, his intellectis, gravi affecti dolore, intimo animo ingemuimus, & non prætermisimus Apostolicæ nostræ sollicitudinis partes in Domino adimplere. Siquidem primo Pontificatus Nostri Anno ad Episcopos illarum Partium, in quibus prædicta acciderant, plenissimis datis literis, graviter conquesti sumus de hujusmodi pravitate, quæ in Ecclesia Dei tolerabatur, & ad eam abolendam eorum animos erigere, & pastoralem zelum accendere curavimus, quod etiam egimus cum aliis aliarum Regionum Episcopis, ubi hujusmodi pravum dirimendorum Matrimoniorum usum irrepsisse cognovimus.

§. 3. Verum Nobis responsum est, id sæpe contingere partim ex culpa illorum Judicum, quibus, vel in prima instantia, cum Causa coram Judice Ordinario ex aliqua legitima causa cognosci nequit, vel in secunda, cum in partibus nullus adest Judex, ad cujus Tribunal Causa in gradu appellationis devolvatur, vel si adest, justa de causa coram eo disceptari

ne-

nequit, Causæ Matrimoniales hujusmodi a Sede Apostolica committuntur; qui vel ob inscitiam, vel ob malam voluntatem, proclives sunt ad Matrimonia dissolvenda, atque eadem Matrimonia levi, vel etiam nullo habito examine, irrita, ac invalida declarant: partim etiam ex facto Conjugum super nullitate suorum Matrimoniorum litigantium; cum frequenter unus tantum eorum, qui dissolutionem Matrimonii postulat, in judicio compareat, & Sententia, nullo contradicente, secundum sua vota obtenta, ad alias nuptias convolat, vel ambobus Conjugibus in Judicium venientibus, altero, qui pro Matrimonio, altero vero, qui contra agit, Sententia de nullitate Matrimonii prolata, nullus est, qui ad superiorem Judicem appellationem interponat; vel quia litigantes in specie quidem discordes, re vera inter se concordes sunt & invicem colludentes, contractum matrimonium dissolvi cupiunt; vel quia Pars, quæ pro validitate Matrimonii stabat, ejusque nullitatem acriter contra adversarium impugnabat, lata a Judice sententia contra Matrimonium, mutat voluntatem, vel pecunia sibi ad sumptus litis non suppetente, vel aliis deficientibus auxiliis ad litigandum necessariis, & inceptum opus, ac Causam post primam sententiam deserit: Quo fit, ut deinde ambo Conjuges, vel unus eorum, ad aliud contrahendum Matrimonium se conferat.

§. 4. Quo autem ad Judices pertinet, quibus extra Romanam Curiam pro Litigantium commodo causæ Matrimoniales committuntur, paterna illa vigilantia, qua de justitia unicuique integre sapienterque administranda soliciti esse debemus, encyclicis Litteris ad Venerabiles Fratres Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, & Episcopos scriptis vicesima sexta Augusti anno secundo Pontificatus Nostri providere curavimus, in quibus ea præscripsimus, quæ Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini decretis consona, si diligenter, ut speramus, serventur, in posterum Causæ non nisi personis congrua juris peritia, & necessario probitatis, spectatæque fidei munitis præsidio committentur. Insuper ad ea, quæ in iisdem encyclicis literis constituta sunt, id etiam in præsenti adjungimus: Quod, quamvis concilii Tridentini Decretum, quo causæ Matrimoniales subtractæ fuerunt Decani, Archidiaconi, & aliorum inferiorum judicio, & Episcoporum tantum examini, & jurisdictioni reservatæ, dumtaxat procedat de Archidiaconis, Decanis aliisque inferioribus, qui in eadem Diœcesi constituti, vel privilegio aliquo, vel præscriptione, saltem in visitatione, Causarum Matrimonialium cognitionem sibi adrogabant; ac idcirco minime obstet commissionibus, quæ, pro iisdem causis matrimonialibus defi-

nien-

* niendis, a Sede Apostolica alicui eorum in secunda
* instantia fierent: nihilominus præcipimus, ac manda-
* mus iis, ad quos, hujusmodi Commissionum, seu De-
* legationum expediendarum cura pertinet, ut in futu-
* rum causarum matrimonialium cognitionem non com-
* mittant nisi Episcopis, præsertim vicinioribus, vel si
* nullus sit Episcopus, cui ex legitima causa commode
* committi possit, tunc commissio, & delegatio diriga-
* tur uni ex iis, qui, secundum ordinem, & modum
* a Nobis in præfatis encyclicis Literis præscriptum,
* pro Judice idoneo ab Episcopo cum consilio sui Capi-
* tuli nominatus fuerit.

* §. 5. Quod vero ad ordinem, & seriem judicio-
* rum in causis matrimonialibus pro debita, & congrua
* earum terminatione, servandum spectat; motu pro-
* prio, certa scientia, ac matura deliberatione Nostris,
* deque Apostolicæ potestatis plenitudine hac Nostra in
* perpetuum valitura sanctione constituimus, decerni-
* mus, ac jubemus, ut ab omnibus, & singulis Loco-
* rum Ordinariis in suis respective Diœcesibus persona
* aliqua idonea eligatur, & si fieri potest, ex Ecclesia-
* stico cœtu, juris scientia, pariter & vitæ probitate
* prædita, quæ Matrimoniorum Defensor nominabitur,
* cum facultate tamen eam suspendendi, vel removen-
* di, si justa causa adfuerit, & substituendi aliam æque
* idoneam, & iisdem qualitatibus ornatam; quod etiam
* fieri poterit, quotiescumque persona ad Matrimonio-
* rum defensionem destinata, cum se occasio agendi ob-
* tulerit, erit legitime impedita.

* §. 6. Ad officium autem Defensoris Matrimonio-
* rum hujusmodi, ut supra electi, spectabit, in judi-
* cium venire quotiescumque contigerit, matrimonia-
* les causas super validitate, vel nullitate coram legiti-
* mo Judice disceptari, eumque oportebit in quolibet
* actu judiciali citari, adesse examini testium, voce
* & scriptis Matrimonii validitatem tueri, eaque omnia
* deducere, quæ ad Matrimonium sustinendum necessa-
* ria censebit.

* §. 7. Et demum Defensoris hujusmodi persona, tan-
* quam Pars necessaria, ad judicii validitatem, & inte-
* gritatem censeatur, semperque adsit in Judicio sive
* unus ex Conjugibus, qui pro nullitate Matrimonii a-
* git, sive ambo, quorum alter pro nullitate, alter ve-
* ro pro validitate in judicium veniant. Defensor au-
* tem, cum ei munus hujusmodi committetur, juramen-
* tum præstabit fideliter officium suum obeundi, & quo-
* tiescumque contigerit, ut in judicio adesse debet pro
* alicujus Matrimonii validitate tuenda, rursus idem ju-
* ramentum præbebit: quæcumque vero, eo non legiti-
* me citato aut intimato, in judicio peracta fuerint,
* nulla, irrita, cassa declaramus, ac pro nullis, cassis,
* ac irritis haberi volumus, perinde, ac si citata, & in-

* ti-

* timata non esset ea Pars, cujus citari intererat, &
* quam, juxta legum, & canonum præscripta, ad legi-
* timam judicii validitatem, citari, aut intimari omni-
* no necessarium erat.

* §. 8. Cum igitur coram Ordinario, ad quem causas
* hujusmodi cognoscere pertinet, controversia aliqua pro-
* ponetur, in qua de Matrimonii validitate dubitabitur,
* & existentibus in judicio, vel uno ex Conjugibus, qui
* pro nullitate Matrimonii, vel ambobus, quorum alter
* pro validitate, alter vero pro nullitate actionem in-
* tendat, Defensor Matrimonii partes omnes officii sui
* diligenter adimpleat. Itaque si a Judice pro Matrimo-
* nii validitate judicabitur, & nullus sit, qui appellet,
* ipse etiam ab appellatione se abstineat; idque etiam
* servetur, si a Judice secundæ instantiæ pro validita-
* te Matrimonii fuerit judicatum, postquam Judex pri-
* mæ instantiæ de illius nullitate Sententiam pronuncia-
* verat; sin autem contra Matrimonii validitatem Sen-
* tentia feratur, Defensor inter legitima tempora appel-
* labit adhærens Parti, quæ pro validitate agebat; cum
* autem in judicio nemo unus sit, qui pro Matrimonii
* validitate negotium insistat, vel si adsit, lata contra
* eum Sententia, judicium deseruerit, ipse ex officio ad
* superiorem Judicem provocabit.

* §. 9. Appellatione a prima Sententia pendente, vel
* etiam nulla, ob malitiam, vel oscitantiam, vel collu-
* sionem Defensoris, & Partium, interposita, si ambo,
* vel unus ex Conjugibus novas nuptias celebrare ausus
* fuerit, volumus, ac decernimus, ut non solum serven-
* tur, quæ adversus eos, qui Matrimonium contra in-
* terdictum Ecclesiæ contrahunt, statuta sunt, præser-
* tim, ut invicem a cohabitatione separentur, quoadus-
* que altera Sententia super nullitate emanaverit, a qua
* intra decem dies non sit appellatum, vel appellatio
* interposita deserta deinde fuerit; Sed ulterius ut con-
* trahens, vel contrahentes Matrimonium hujusmodi,
* omnibus pœnis contra Polygamos a Sacris Canonibus,
* & Constitutionibus Apostolicis constitutis, omnino sub-
* jaceant, quas in eos, quatenus opus sit, motu, scien-
* tia, ac potestate simili rursus statuimus, decernimus,
* ac renovamus.

* §. 10. Posteaquam vero, appellationis beneficio, ad
* alterum Judicem causa in secunda instantia delata
* fuerit, omnia, & singula quæcumque coram Judice
* in prima instantia servanda præfinita fuerunt, etiam
* coram altero in secunda exacte, ac diligenter custo-
* dientur, citato in quolibet Judicii actu Defensore ma-
* trimonii, qui voce, & scripto matrimonii validitatem
* strenue, ac pro viribus tuebitur. Et si Judex in se-
* cunda instantia fuit Metropolitanus, aut Sedis Apo-
* stolicæ Nuncius, aut Episcopus vicinior; Matrimonii
* Defensor sit, qui ab ipsis fuerit deputatus, quem-

* ad-

* admodum ipsis deputare mandamus, ut quæ a Nobis
* superius constituta sunt, peragere possit; si autem Ju-
* dex in secunda instantia erit Judex Commissarius, cui
* a Sede Apostolica causæ cognitio demandata sit, & qui
* Tribunal, & jurisdictionem ordinariam non habeat,
* & propterea careat Defensore Matrimonii, volumus,
* ut illo Defensore Matrimonii utatur, qui constitutus
* fuerit ab Ordinario, in cujus Diœcesi causam cogno-
* scet, etiam si idem Ordinarius sit, qui primam Sen-
* tentiam in eadem causa pronunciaverit.

* §. 11. Instructo autem in hunc modum judicio, si
* secunda Sententia alteri conformis fuerit, hoc est, si
* in secunda, æque ac in prima, nullum ac irritum
* matrimonium judicatum fuerit, & ab ea Pars, vel De-
* fensor pro sua conscientia non crediderit appellandum,
* vel appellationem interpositam prosequendam minime
* censuerit; in potestate, & arbitrio Conjugum sit novas
* nuptias contrahere; dummodo alicui eorum, ob ali-
* quod impedimentum, vel legitimam causam id veti-
* tum non sit. Potestas tamen post alteram Sententiam
* conformem, ut supra, Coujugibus facta intelligatur,
* & locum habeat, salvo semper, & firmo remanente
* jure, seu privilegio causarum matrimonialium, quæ ob
* cujuscumque temporis lapsum numquam transeunt in
* rem judicatam; sed si nova res, quæ non deducta,
* vel ignorata fuerit, detegatur, resumi possunt, & rur-
* sus in judicialem controversiam revocari; quod si a se-
* cunda Sententia super nullitate, vel altera Pars appel-
* laverit, vel hujusmodi sit, ut ei, salva conscientia,
* Defensor Matrimonii acquiescendum non putet, vel
* quia sibi videtur manifeste injusta, vel invalida, vel
* quia fuerit lata in tertia instantia, & sit revocatoria al-
* terius præcedentis super validitate in secunda instantia
* emanatæ, volumus, ut firma remanente utrique Con-
* jugii prohibitione ad alias transeundi nuptias, quas si
* contrahere ausi fuerint, pœnis, ut præfertur, a Nobis
* constitutis subesse decernimus, causa in tertia, vel
* quarta instantia cognoscatur, servatis diligenter omni-
* bus, quæ a Nobis in prima, & secunda instantia de-
* mandata fuerunt, nempe, in quolibet judiciali actu,
* citato, & audito Defensore matrimonii, qui a Judice
* tertiæ instantiæ deputatus fuerit.

* §. 12. Defensor autem Matrimonii, quem ad mu-
* nus suum gratis obeundum pro amore Dei, & proxi-
* mi utilitate, & Ecclesiæ reverentia, in Domino ex-
* hortamur, si operam suam sine mercede, aut salario,
* aliqua ex causa exhibere recusaverit, ab ipsius Causæ
* Judice ei constituatur, & ab ea Parte, quæ pro vali-
* ditate Matrimonii agit, si ipsi facultas sit, solvatur;
* sin minus, a Judice primæ, vel secundæ, vel tertiæ
a instantiæ respective subministrabitur, qui pecunias ex
* mulctis suorum Tribunalium redactas, vel redigendas,

* & in

* & in opera pia erogandas, in hujusmodi sumptus in-
* sumere poterunt. Cum vero Judices causæ erunt Ju-
* dices Commissarii, qui neque forum habent, & con-
* sequenter neque pecuniam ex mulctis collectam, vo-
* lumus, ac mandamus, ut Defensori Matrimonii satis-
* fiat ex pecunia mulctarum illius Episcopi, in cujus
* Diœcesi Judex Commissarius, juxta Sedis Apostolicæ
* mandatum, judicium exercebit.

* §. 13. Hactenus quidem quoad Causas Matrimonia-
* les, quæ extra Romanam Curiam pertractantur: Quo-
* ad Causas vero, quæ Romæ disceptandæ sunt, cum
* earum cognitio in prima instantia ad S. R. E. Cardi-
* nalem in præfata Urbe, ejusque Suburbiis, & Districtu
* Vicarium nostrum in Spiritualibus pro tempore spectet,
* mandamus, ac jubemus, ut omnia, & singula, quæ
* in aliis causis extra Romanam Curiam pertractandis
* præscripta fuerunt, nempe ut judicium peragatur, ci-
* tato, & audito Defensore Matrimonii ab eodem Car-
* dinali Vicario deputato, aliaque, ut supra, omnino
* serventur; Tum etiam in aliis causis, quæ in prima
* instantia, ex consensu Partium, vel in secunda, per
* appellationem ad Sedem Apostolicam, omisso medio,
* interpositam, vel in tertia, Romam deferuntur; quas
* omnes judicari volumus, vel in Congregatione S. R.
* E. Cardinalium super interpretatione, & executione
* Concilii Tridentini, vel in causarum Palatii nostri Au-
* ditorio, dummodo Nobis, & Romano Pontifici pro
* tempore justis ex causis non videatur particularis Con-
* gregatio S. R. E. Cardinalium, vel Romanæ Curiæ
* Prælatorum deputanda. Cum autem causa super ma-
* trimonii nullitate agitabitur in dicta Congregatione S.
* R. E. Cardinalium Conc. Tridentini Interpretum, De-
* fensor Matrimonii a Cardinali Præfecto ejusdem Con-
* gregationis, si vero in Palatii nostri Auditorio, ab Au-
* ditore Decano præfati Tribunalis, si demum in Con-
* gregatione particulari, a Persona ejusdem Congregatio-
* nis digniore deputetur.

* §. 14. Unica quidem resolutio pro nullitate Matri-
* monii emanata, si causa in Congregatione Cardina-
* lium Concilii Tridentini Interpretum, vel in Congre-
* gatione particulari deputata cognoscatur, & similiter
* in Palatii nostri Auditorio, unica Sententia super ea-
* dem nullitate pronunciata minime sufficiat ad tribuen-
* dam liberam Conjugibus facultatem novas nuptias con-
* trahendi. Sed, si causa in præfata Congregatione Car-
* dinalium Tridentini Concilii Interpretum introducta fue-
* rit, rursus in eadem, ad Defensoris Matrimonii instan-
* tiam, reproponatur; Si vero Congregationi particula-
* ri commissa fuerit, ad petitionem ejusdem Defenso-
* ris, altera etiam particularis Congregatio deputabitur;
* Si vero in Palatii nostri Auditorio judicata sit, a præ-
* fato Defensore appellatione interposita, ab aliis Audi-
* tori-

* toribus juxta ordinem in gyrum, seu turnum definia-
* tur; Si autem causa universo tribunali commissa fue-
* rit, ab omnibus Auditoribus rursus examinabitur: no-
* lentes omnino, ut ullo in casu Matrimonii vinculum
* dissolutum censeatur, nisi duo judicata, vel resolutio-
* nes, aut Sententiæ penitus similes, & conformes, a
* quibus neque Pars, neque Defensor Matrimonii credi-
* derit appellandum, emanaverint. Quod si secus factum
* fuerit, & novum initum Matrimonium, nostræ volun-
* tatis hujusmodi transgressores pœnis a Nobis, ut su-
* pra, statutis submittantur.

* §. 15. Et quoniam sæpe apud Sedem Apostolicam
* preces porrigi solent pro dispensatione Matrimonii ra-
* ti, & non consummati, quæ ut plurimum pro voto
* consultivo ad Congregationem S. R. E. Cardinalium
* Concilii Interpretum, vel nonnunquam ad aliquam
* Congregationem particularem deputatam, a Romanis
* Pontificibus pro tempore remitti solent, ut hujusmodi
* instantiæ ordine, ac rite procedant, volumus, ac man-
* damus, ut supplex libellus Nobis, vel Romano Pon-
* tifici pro tempore exhibeatur, in quo plena, & accu-
* rata totius facti species contineatur, causæque omnes
* in eo exprimantur, quæ ad obtinendam petitam dis-
* pensationem conducere posse a supplicante censentur,
* ut Romanus Pontifex, eo lecto, & mature considera-
* to, secum deliberare possit, an petitionem rejiciat, vel
* ejus examen alicui ex dictis Congregationibus commit-
* tat; a qua posteaquam suum votum consultivum editum
* fuerit, a Secretario ejusdem Congregationis totius nego-
* tii series exacte Romano Pontifici pro tempore refera-
* tur, qui pro sua prudentia judicabit, an Congregatio-
* nis Resolutio sit approbanda; vel potius totius causæ
* examen alteri Congregationi, vel Tribunali, prout
* eidem Pontifici videbitur, rursus committendum.

* §. 16. Demum volumus, ac decernimus, easdem
* præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces
* existere, & fore, suosque plenarios, & integros effe-
* ctus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat,
* & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus,
* & per omnia plenissime, & inviolabiliter observari.
* Sicque, & non aliter per quoscumque Judices Ordi-
* narios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Aposto-
* lici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam
* de latere Legatos, & S. Sedis Nuntios, aliosve quosli-
* bet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, &
* functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter
* judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate,
* ubique judicari, & definiri debere, ac irritum, & ina-
* ne, si secus super his a quoquam quavis auctoritate
* scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non ob-
* stantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinatio-
* nibus Apostolicis, necnon quibusvis etiam juramento,

* confir-

* confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia ro-
* boratis, Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quo-
* que, indultis, & literis Apostolicis sub quibuscumque
* tenoribus verborum, & formis, ac cum quibusvis etiam
* derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, &
* insolitis clausulis irritantibusque, & aliis decretis, et-
* iam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus
* in genere, vel in specie, seu alias quomodolibet con-
* cessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, &
* singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de
* illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, ex-
* pressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non au-
* tem per clausulas generales idem importantes, mentio,
* seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia ex-
* quisita forma in aliis tradita observata eisdem præsen-
* tibus pro expressis, & insertis habentes, illis alias in
* suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac
* vice dumtaxat expresse derogamus, cæterisque contra-
* riis quibuscumque.

* §. 17. Volumus autem, &c.

* Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno In-
* carnationis Dominicæ millesimo septingentesimo qua-
* dragesimo primo, tertio nonas Novembris, Pontifica-
* tus Nostri Anno II.

D. Card. Passioneus.

X. Sub Datarius. VISA DE CURIA.

N. Antonellus.
J. B. Eugenius

Loco ✠ Plumbi.

F I N I S.

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM in hoc Quinto Tomo contentarum ordine Alphabetico.

A

B

C

D

F

I

L

M

Matri-

Or-

P


Sacer-

V

F I N I S.








MOR
GENE